De

MATRIMONIO

Tractatus Quinque,

Usui

Venerabilis Cleri Americani

accommodati

appendice adjecta duplici,

Auctore

M. Heiss,

Rectore Seminarii S. Francisci Salesii, Dioeceseos Milwauchiensis,
in St. U. Americae Septentrionalis.

Sumptibus Auctoris,
Beneficio Seminarii S. Francisci Salesii.

Monachii 1861.
Ex typographia E. Stahl.

Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.

Epist. ad Eph. c. 5. v. 32.

Sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum.

Conc. Trid.

sess. 24. de reform. matr. cap. 10.

Nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.

S. Leo.

serm. 3. in anniv. assumpt. suae, post initium.

Præfatio.

Quanta et quam multa commoda ad Christianam societatem pervenire possent, si fideles matrimonii sanctitatem satis cognitam haberent, et inviolatam semper servare studerent, econtra vero, ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari, nemo, qui naturam et vim matrimonii serio perpenderit, infitiabitur. [1] Matrimonium enim, ait cum d. Apostolo S. Franciscus Salesius, Patronus Seminarii nostri, est Sacramentum magnum, dico autem in Christo, et in Ecclesia; est res honoranda ab omnibus, in omnibus, et ex omni parte; ab omnibus, quia et virginibus nefas est, de eo aliter, nisi honorifice sentire ac loqui; in omnibus, quia pariter est sanctum inter pauperes, atque inter divites; et ex omni parte, quia ejus origo, finis, forma et materia, atque emolumenta sunt sancta; matrimonium enim est plantarium reipublicae christianae, replendo terram incolis fidelibus, et complendo in coelis electorum numerum; nec minus, ut bonum matrimonii integrum servetur, interest societatis politicae, cujus omnium nervorum fons est et caput. [2] — Quis igitur dubitet, quin summae operae sit pretium, divinum matrimonii institutum funditus investigare, ac

[1]) Catechism. Conc. Trid. p. II. c. 8. quaest. 1.

[2]) Manuductio ad vitam devotam. lib. 3. cap. 38.

23) Pauli Laymann, S. J. Theologia Moralis. Venetiis 1719.
24) S. Alphonsi M. de Liguori, Theologia Moralis. Ratisbonae 1847.
25) S. Alphonsi M. de Liguori, Homo Apostolicus Mechliniae.
26) Nikol. Knopp, Vollständiges Katholisches Eherecht. Zweite Auflage. Regensburg 1854. (Opus eximium.)
27) Pastoral-Unterricht über die Ehe von Franz Stapf, umgearbeitet von Dr. K. Riffel. Frankfurt 1847.
28) Haringer, M., Das hl. Sakrament der Ehe. Regensburg 1854.
29) Instructio Pastoralis Eystettensis. Eystadii 1854. (Opus aureum.)
30) Ex Scholasticis ad manus habui Doctoris Angelici Summam Theologiae. Patavii 1771 et S. Bonaventurae Breviloquium. Tubingae 1845.

Hisce et aliis, quos in annotationibus citavi, ducibus et magistris, me inoffenso pede cucurrisse, neque quidquam protulisse, nisi quod sit ad normam sanae doctrinae ac disciplinae S. Ecclesiae, sperare quidem licet; sed si nihilominus acciderit, ut mihi pro humana fragilitate aliquid minus recti sit elapsum, id ex toto animo rejicio ac condemno, utpote qui nihil sapientius, nihil salubrius reor, quam omnino et in omnibus sentire cum S. Ecclesia Romana.

In Seminario S. Francisci S., prope Milwauchiam, die festo S. Josephi Conf. Sponsi B. M. V. A. D. 1861.

M. H.

Summarium opusculi.

Tractatus I.

De matrimonio, ejusque impedimentis in genere.

Sectio I. De matrimonio:

1) Secundum se,
2) quatenus est Sacramentum.

Cap. I. De matrimonio secundum se.

§. 1.	Definitio ac divisio matrimonio	1
§. 2.	Essentia matrimonii	3
§. 3.	De institutione et dignitate matrimonii	7

Cap. II. De matrimonio, quatenus est Sacramentum.

§. 4.	De Sacramento matrimonii	9
§. 5.	De materia et forma Sacramenti matrimonii	14
§. 6.	De ministro Sacramenti matrimonii	17
§. 7.	De subjecto Sacramenti matrimonii	19
§. 8.	De triplici bono matrimonii	21

Sectio II. De impedimentis matrimonii in genere.

§. 9.	De definitione impedimentorum	25
§. 10.	De divisione ac numero impedimentorum	29
§. 11.	De subjecto impedimentorum	31
§. 12.	De dubiis impedimentis	38

Tractatus II.

De impedimentis impedientibus in specie.

§. 13.	Notiones praeviae	43
§. 14.	I. De sponsalibus; De natura sponsalium in genere	44

§. 15. I. De definitione sponsalium 45
§. 16. „ De effectibus sponsalium 49
§. 17. „ De dissolutione sponsalium 52
§. 18. II. Votum simplex 54
§. 19. III. Tempus feriatum seu sacratum 57
§. 20. IV. Vetitum seu Interdictum Ecclesiae. 1) Vetitum particulare 59
§. 21. 2) Vetitum generale, a) ne contrahatur matrimonium sine bannorum publicatione 60
§. 22. b) ne contrahatur matrimonium clandestine, scilicet in illis locis, ubi Decretum Concilii Tridentini circa matrimonia clandestina non est receptum 67
§. 23. c) ne contrahatur matrimonium inter haereticum baptizatum et catholicum et vice versa (Impedimentum mixtae religionis) . 71
§. 24. d) ne contrahatur, saltem juxta plures, sine consensu parentum debite requisito 76

Tractatus III.

De impedimentis matrimonium dirimentibus.

§. 25. Notiones praeviae 79
§. 26. I. De impedimento erroris 82
§. 27. II. De impedimento conditionis, a) conditionis servilis . 88
§. 28. b) De conditionibus 90
§. 29. III. De impedimento vis et metus 95
§. 30. IV. De impedimento impotentiae 103
§. 31. V. De impedimento aetatis 105
§. 32. VI. De impedimento ligaminis. 1) de indissolubilitate matrimonii 106
§. 33. 2) De unitate matrimonii vel monogamia 121
§. 34. VII. De impedimento Ordinis sacri 122
§. 35. VIII. De impedimento voti solemnis 127
§. 36. IX. De impedimento disparitatis cultus 131
§. 37. X. De impedimento Cognationis. 1) cognationis naturalis seu consanguinitatis 134
§. 38. 2) Cognationis spiritualis 145
§. 39. 3) Cognationis legalis 148
§. 40. XI. De impedimento affinitatis 150
§. 41. XII. De impedimento publicae honestatis 157
§. 42. XIII. De impedimento criminis 160
§. 43. XIV. De impedimento raptus 166
§. 44. XV. De impedimento clandestinitatis. 1) De vi decreti Tridentini 169
§. 45. 2) De parocho proprio et testibus 176
§. 46. XVI. De impedimento vetiti Summi Pontificis, cum clausula irritante 182

Tractatus IV.

De causis matrimonialibus.

I. De dispensatione impedimentorum.

§. 47. De dispensatione in genere 185
§. 48. De dispensatione impedimentorum impedientium 189
§. 49. De dispensatione impedimentorum dirimentium. 1) De potestate dispensandi 194
§. 50. De dispensabilitate impedimentorum dirimentium . . . 199
§. 51. De causis ad dispensandum requisitis, 1) in genere . . . 201
§. 52. 2) De causis dispensationis matrimonialis in specie . . . 203
§. 53. De dispensationibus in singulis impedimentis, earumque causis . 211
§. 54. De cessatione dispensationis matrimonialis 216
§. 55. De duplici tribunali dispensationum 219
§. 56. De modo petendi dispensationem a Dataria, seu in foro externo 222
§. 57. De executione dispensationum Datariae, seu in foro externo . 225
§. 58. De dispensationibus s. Poenitentiariae, seu in foro interno . 227
§. 59. De executione dispensationum s. Poenitentiariae 230
§. 60. De modo dispensationes procurandi, concedendi et exequendi in his provinciis Americanis 233

II. De revalidatione matrimonii invalide contracti.

§. 61. 1) Ob defectum naturalem consensus 236
§. 62. 2) Ob defectum formae praescriptae 238
§. 63. 3) Ob inhabilitatem partium. a) modo ordinario . . . 239
§. 64. b) per dispensationem in radice 242
§. 65. III. De divortio seu separatione conjugum quoad torum et cohabitationem 249
§. 66. IV. De dissolutione matrimonii ob impedimentum indispensabile invalide contracti 254

Tractatus V.

De celebratione nuptiarum.

§. 67. De praemittenda inquisitione in impedimenta 257
§. 68. De necessaria contrahentium institutione in doctrina christiana . 259
§. 69. De confessione nuptiis praemittenda 261
§. 70. De proclamationibus faciendis 266
§. 71. De ritu celebrandi Sacramentum matrimonii 269
§. 72. De benedictione nuptiarum 273

§. 73. De Missa pro sponsis 277
§. 74. De obligatione parochi, conjugatos in libro matrimonialium parochiali inscribendi 282
§. 75. De assistentia parochi in matrimoniis mixtis 284

Appendix I.

Casus matrimonii.

Casus I. De conditione contractui matrimoniali apposita . . 289
Casus II. De conditione 291
Casus III. De errore 292
Casus IV. De errore 292
Casus V. De errore 294
Casus VI. Error 294
Casus VII. Error 294
Casus VIII. Error, Metus, Ligamen, Crimen 296
Casus IX. Conditio, metus, consanguinitas, periculum perversionis, dispensatio 299
Casus X. Metus 307
Casus XI. Vis, metus reverentialis 308
Casus XII. Metus injuste incussus 309
Casus XIII. Impotentia. Matrimonii rati dissolutio . . . 311
Casus XIV. Aetas 314
Casus XV. Dementia, matrimonium ratum 315
Casus XVI. Ligamen 317
Casus XVII. Ligamen matrimonii rati 319
Casus XVIII. Ligamen matrimonii rati. Dispensatio . . . 321
Casus XIX. Ligamen 324
Casus XX. Ligamen matrimonii rati cum uxore Acatholica . . 327
Casus XXI. Ligamen matrimonii in infidelitate contracti . . 328
Casus XXII. Ligamen matrimonii in infidelitate contracti . . 329
Casus XXIII. Interpellatio partis infidelis in casu conversionis . 334
Casus XXIV. Ingressus in religionem ex matrimonio consummato . 335
Casus XXV. Ordo, votum solemne 338
Casus XXVI. Baptismi necessitas ad Sacramentum matrimonii . 339
Casus XXVII. Impedimentum ligaminis dubium 342
Casus XXVIII. Multiplex consanguinitas. Perinde valere, dispensatio in radice 343
Casus XXIX. Consanguinitas dubia 346
Casus XXX. Consanguinitas, affinitas 348
Casus XXXI. Consanguinitas 351
Casus XXXII. Affinitas 352

Casus	XXXIII.	Affinitatis impedimentum	354
Casus	XXXIV.	Publica honestas, affinitas, dispensatio	355
Casus	XXXV.	Affinitas, dispensatio	358
Casus	XXXVI.	Cognatio spiritualis, sponsalia, publica honestas	359
Casus	XXXVII.	Cognatio spiritualis	360
Casus	XXXVIII.	Affinitas duplex, dispensatio	362
Casus	XXXIX.	Crimen, clandestinitas	363
Casus	XL.	Crimen	365
Casus	XLI.	Crimen	367
Casus	XLII.	Affinitas, crimen, dispensatio	368
Casus	XLIII.	Clandestinitas	370
Casus	XLIV.	Sponsalia, clandestinitas	373
Casus	XLV.	Sponsalia	375
Casus	XLVI.	Sponsalia	376
Casus	XLVII.	Sponsalia	377
Casus	XLVIII.	Denuntiationes	378
Casus	XLIX.	Votum simplex	378
Casus	L.	Consensus parentum	380
Casus	LI.	Peccata sponsorum	380
Casus	LII.	Causa dispensationis	383
Casus	LIII.	Dispensatio impetrata ab una parte, altera inscia	385
Casus	LIV.	Dispensatio in radice	386
Casus	LV.	Dispensatio	389
Casus	LVI.	Munus confessarii impedimentum aliquod detegentis	390
Casus	LVII.	Benedictio nuptialis	392
Casus	LVIII.	Votum	393

Appendix II.

Formularium.

I. Formulae expetendi dispensationes.

1) Litterae supplices pro petenda dispensatione in secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis ab Episcopo 396
2) Alia formula, copula inter oratores non intercedente . . . 397
3) Formula dispensationem petendi ex causa infamiae mulieris . 399
4) Formula petendi dispensationem ex causa matrimonii bona fide jam contracti 400
5) Formula petendi dispensationem ex causa matrimonii jam contracti, mala tamen fide 400
6) Formula pro dispensatione obtinenda in impedimento criminis occulto 401
7) Formula supplicationis super restitutione juris petendi debitum . 402
8) Litterae supplices pro petenda dispensatione in voto castitatis . 402

9) Supplicatio super amisso jure petendi debitum propter incestum 402
10) Formula petendi dispensationem in occulto impedimento affinitatis in primo gradu, et quidem cum sanatione matrimonii in radice 403
11) Formula supplicationis ad Datariam 403
12) Formula supplicationis ad Poenitentiariam 404

II. Formulae pro aliis litteris matrimonialibus.

1) Forma petendi proclamationes ab alio parocho faciendas . . 405
2) Litterae testimoniales, junctae cum dimissorialibus . . . 405
3) Litterae testimoniales de facta copulatione 405
4) Litterae testimoniales de juncto legitime matrimonio . . . 406

III. Formulae dispensationis ab Episcopo concessae.

1) Forma dispensationis super denuntiationibus matrimonii . . 406
2) Forma dispensationis auctoritate Apostolica concedendae super matrimonio invalide contracto propter aliquod impedimentum . . 407
3) Alia formula similis dispensationis 408
4) Alia formula dispensationis 408
5) Formula dispensationis in foro interno 409
6) Alia formula juxta stylum s. Poenitentiariae 410
7) Formula dispensationis episcopalis, vigore specialis facultatis, et quasi privilegii factae pro foro externo super impedimento consanguinitatis 411
Addenda ex Rituali Baltimorensi 414
Index Rerum praecipuarum 415

DE

MATRIMONIO.

Tractatus I.

De matrimonio, ejusque impedimentis in genere.

Sectio I.

De matrimonio 1) secundum se, 2) quatenus est Sacramentum.

Caput I.

De matrimonio secundum se.

§. 1.

Definitio ac divisio matrimonii.

I. Matrimonium, juxta communem Theologorum definitionem, est viri ac mulieris maritalis seu sexualis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.[1]) Matrimonium duplici sensu accipi potest, 1) pro actuali contractu, in quo legitimae personae consensu verbis seu signis

[1]) Catechism. Rom. p. II. c. 8. q. 3. — Gonzal. Telly: Sciendum est, matrimonium quod humani generis procreabile Sacramentum appellavit Cassiodorus et Tertull. dicit benedictum a Domino, et generi humano et replendo orbi et instruendo saeculo excogitatum, varie appellari; aliquando dicitur conjugium, plerumque nuptiae, frequentius matrimonium. Conjugium appellatur, quia vir et uxor eodem jugo conjunguntur; nuptiae dicuntur a verbo *nubo*, quod significat velare, vel operire, quia vetus mos erat, mulierem nupturam non nisi veluto et operto capite ad demonstrandam verecundiam, quae pudicitiae comes fomesque est, in publico apparere; matrimonium autem dicitur juxta d. August., eo quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat." lib. 4. tit. 1. n. 9.

expresso se invicem obligant ad societatem vitae maritalem. 2) frequentius pro permanenti ac quasi perpetuo jugo viri et feminae, in quo sensu strictius vocatur conjugium; in utroque sensu accommodari potest data definitio, si scilicet vox *conjunctio* in priore sensu sumatur causaliter et efficienter seu active, in posteriore accipiatur formaliter et passive.

II. Dicitur autem in definitione 1) *viri et mulieris* in numero singulari, ut excludatur polygamia. 2) *conjunctio*, i. e. obligatio mutua et nexus ex consensu et pactione oriens, quia copulatio, qua matrimonium consummatur, non est de substantia matrimonii.[1]) 3) *maritalis* seu *sexualis* conjunctio, qua fit, ut uterque alterius corporis potestatem accipiat, et sic distinguitur ab aliis conjunctionibus. 4) *individuam vitae consuetudinem retinens*, i. e. in se perpetuum et indissolubilem.[2]) 5) *inter legitimas personas*, quoniam qui a nuptiarum conjunctione legibus omnino exclusi sunt, matrimonium se invicem conjungendo efficere non possunt.

III. Dividitur matrimonium

1) ex ratione minoris vel majoris perfectionis in *legitimum, ratum, consummatum; legitimum* illud vocatur, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, non tamen Ecclesiae ratificationem aut rationem Sacramenti habet, quale olim in lege naturae et Mosaica erat, ac hodie initur inter non baptizatos; *ratum*, quod secundum leges evangelicas et ecclesiasticas a baptizatis contractum et Ecclesiae ratificatione approbatum est, nondum tamen commercio carnali inter illos habito; *consummatum*, quod accedente carnali copula perfectum ac completum est.
2) ex ratione validitatis in *verum, praesumptum, putativum* et *dubium; verum* est, quod cum valore contractum atque ut tale sufficienter probatum est; *praesumptum*, quod e Jure

---

[1]) Catechism. Rom. l. c.

[2]) Conjunctio maritalis nexum indissolubilem, saltem praesertim, suapte natura obtinet, multo magis autem ex Dei primaeva institutione, sacri et magni mysterii causa. Laymann — vide infr. de ligamine.

praesumitur, quamvis consensum expresse esse datum non constet; [1]) *putativum*, quod putatur legitime contractum esse, cum tamen ob latens aliquod impedimentum sit nullum; *dubium*, quod sub dubio de impedimento obstante contractum, postea ab hoc dubio purgari non potest, unde nec de ejus validitate nec invaliditate certo constat.

§. 2.
De essentia matrimonii.

I. „Causa efficiens matrimonii regulariter [2]) est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.“ [3]) Idem vero, ut dicit S. Thomas, non est causa sui ipsius; igitur dicendum, quod matrimonium non est ipse consensus, [4]) seu quod matrimonii essentia non consistit in consensu, sed potius in hoc, quod oritur ex consensu, tanquam ex causa efficiente, h. e. in mutua obligatione et nexu seu conjunctione inter contrahentes ex consensu proveniente. Sic docent Theologi communiter cum Catechism. Rom. [5]) Unde certum est, 1) consummationem matrimonii per copulam carnalem saltem ad essentiam substantialem matrimonii nullatenus requiri, quia aliter consensus non esset revera causa efficiens matrimonii. [6]) 2) ad matrimonium passive sumptum, seu

---

[1]) In his potissimum casibus a) quando post sponsalia rite et absolute inita copula carnalis subsequatur in illis locis, ubi decretum Concilii Trid. de clandestinitate non viget. b) quando post matrimonium conditionate, initum ante conditionis eventum intercessit commercium carnale. c) quando post matrimonium ab impuberibus invalide contractum inter eosdem, pubertate tamen adepta, interveniunt signa ratificati prioris consensus.

[2]) *regulariter* jungendum est cum sequentibus *per verba de praesenti expressus.*

[3]) Sic Eugenius IV. in decret. Unionis pro Armenis.

[4]) S. Thom. summa Th. suppl. q. 45. a. 1.

[5]) Si dicitur, essentiam matrimonii consistere in *vinculo*, vinculum formaliter sumendum est, non effective (h. e. vinculum non significat consensum, sed conjunctionem). — S. Thom. suppl. quaest. 44. a. 1. Catech. Rom. l. c. quaest. 4.

[6]) Catechism. Rom. l. c. quaest. 8. „hunc et primos parentes ante peccatum,

ut Theologi dicunt, in facto esse, i. e. prout matrimonium dicit aliquem statum vitae permanentem, essentialiter non pertinere consensum mutuum continuatum, quia consensus, si sit verus, etiam unius momenti jam efficit matrimonium, i. e. conjunctionem in se perpetuam et indissolubilem, quae, si semel sit effecta, independenter a causa originarie efficiente, semper permanet. Hinc axioma: „Matrimonium semel validum semper validum.“ [1]) 3) consensum mutuum ad matrimonium, sumptum in *fieri* seu *active* prout illud sumitur pro contractu, essentialiter requiri, idque tanta necessitate, ut ejus defectus nulla potestate, saltem humana aliter suppleri possit, quia obligatio illa et nexus, in quo consistit matrimonii essentia, oriri non potest, nisi ex consensu et pactione. [2])

II. Ut autem objectum circa quod datur consensus ad matrimonium efficiendum accurate definiamus, cum S. Thoma dicimus: „Consensus, qui facit matrimonium, ita se habet ad copulam sicut matrimonium ipsum ad eandem copulam; matrimonium autem non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis, sed quaedam associatio viri et uxoris ad carnalem copulam et alia, quae ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur *potestas* ad invicem respectu carnalis copulae; et haec

quo tempore nulla inter eos carnalis copula intercesserat, ut Patres testantur, vero matrimonio junctos fuisse plane constat. Quare a sanctis Patribus dictum est, matrimonium non concubitu, sed consensu existere.“

[1]) S. Thom. sic distinguit: Dicendum, quod quamvis consensus, qui facit matrimonium, non sit perpetuus materialiter, i. e. quantum ad substantiam actus, quia ille actus cessat, et potest contrarius succedere, tamen formaliter loquendo, est perpetuus, quia est de perpetuitate vinculi; alius non faceret matrimonium, non enim consensus ad tempus in aliquam matrimonium facit; et dico formaliter, secundum quod actus accipit speciem ab objecto; et secundum hoc matrimonium ex consensu inseparabilitatem accipit.“ suppl. q. 49. a. 3. ad 4.

[2]) Catechism. Rom. l. c. q. 4. — S. Thom. „Unus non accipit potestatem in eo, quod est libere alterius, nisi per ejus consensum; sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius, ut patet 1 Corinth. 7. c. cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet; ergo consensus facit matrimonium.“ suppl. q. 45. a. 1.

associatio *conjugalis* copula (non carnalis) dicitur, unde patet, quod bene dixerunt, qui dixerunt, quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite: non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa."[1]) Unde sequitur conditionem matrimonio appositam, quae non solum actui, sed etiam potestati explicite contrariatur copulae carnalis, contrariam esse matrimonio, illudque reddere irritum.[2]) Hinc si matrimonium contrahatur cum pacto servandi perpetuam castitatem, inspiciendum est, quid intendant proprie per ejusmodi pactum contrahentes, utrum videlicet voluerint *denegare* jus, an vero duntaxat usum juris *ligare*. Quodsi contraxerint sub pacto expresso, nunquam consummandi matrimonium juri renuntiantes in corpora, jam s. Congregatio interrogata respondit, eos invalide contraxisse.[3])

III. *Quoad subjectum* (subjective ac formaliter) consensus matrimonium efficiens esse debet 1) *de praesenti*, i. e. verbis expressus, quae praesentis temporis significationem habeant; nam quae futurum tempus indicant, matrimonium non conjungunt, sed spondent; deinde quae futura sunt, nondum esse perspicuum est; quae vero non *sunt*, parum nihil firmi aut stabilis habere existimandum est;[4]) 2) *deliberatus* et *voluntarius*, quia est pactio de re gravi, gravem obligationem inducens, nemo autem censetur, gravem sibi obligationem imponere velle, nisi plene ac libere consentiat; 3) *mutuus*, ut patet ex natura contractus; 4) *verus*, non fictus seu simulatus; 5) *simultaneus*, saltem moraliter, et ita, ut casu, quo unus consensum jam praestitit, iste interea, donec etiam censentiat alter, nec expresse, nec tacite revocetur; 6) *expressus voce vel aliis signis*, ut sequitur ex natura contractus, nec non ex Conc. Florent., quod dum docet, matrimonialem consensum *regulariter* per verba exprimi, non

---

[1]) S. Thom. suppl. q. 48. a. 1. Catechism. Rom.: Conjugii obligatio . . . est ejusmodi *abalienatio*, qua re ipsa vir mulieri, et vicissim mulier viro corporis sui *potestatem* tradit. l. c. q. 6.

[2]) S. Thom. l, c. resp. ad 3.

[3]) Dr. Haehnlein, Princip. Theol. Moral. p. 676. — Vide cas. I. in append.

[4]) Catechism. Rom. l. c. q. 6.

obscure insinuat, eum etiam aliter manifestari posse;[1]) 7) *legitimus*, i. e. neque nulla lege obstante, neque conditione aliquà contra matrimonii substantiam apposita irritus.

IV. Licet consensus, ut ex dictis patet, ex multiplici defectu in se irritus ac proinde ad matrimonium efficiendum insufficiens esse facile possit, in foro tamen externo consensus semel aliquo modo datus et expressus rigorose praesumitur rite ac valide datus, donec contrarium probetur.[2]) Ratio est, quia nullitas matrimonii ex defectu consensus facile admissa verteretur in damnum communitatis ac nimis faveret malitiae humanae.

Quaesita:

Quaeritur 1°): Quomodo agendum, si quis dicat, se ficte i. e. verbis quidem, sed absque vero interno consensu matrimonium contraxisse?

℞ 1) In foro *externo* non dabitur fides asserenti, vel etiam millies juranti se simulate egisse. Ita communiter. Excipe tamen, si claris ac moraliter certis argumentis et indiciis externis deceptionem suam ostendat.[3]) Ratio est gravissimum periculum, ne matrimonium valide contractum cum maximo contrahentium periculo dissolvatur, et stabilitatis familiae labefactetur.

2) In foro *conscientiae*, si certum sit, consensum fuisse simulate datum, dicendum erit a) quod deceptor graviter peccavit; b) quod abstinere debet a debito petendo ac reddendo, donec vere consenserit; c) regulariter obligandus erit ad hunc consensum praestandum, cum damnum comparti illatum plerumque aliter tolli nequeat. Excipe tamen a) si idem impostor matrimonium verum interea cum alia iniit; b) si decepta pars

---

[1]) „Sed verborum loco, tum nutus et signa, quae intimum consensum aperte indicent, satis ad matrimonium esse possunt; tum etiam ipsa taciturnitas cum puella propter verecundiam non respondet, sed pro ea parentes loquuntur.“ Catech. Rom. l. c. quaest. 7.

[2]) „Quia autem in foro externo defectus consensus, sive ob errorem sive ob vim metumque difficillime probari potest, et propterea divortium ex hoc titulo nunquam conceditur: hinc etc. (cap. *Addid.* 11. X. de spons. et matr. (4. 1.) Instruct. pastor. Eystett. 335.

[3]) Vide varios casus apud Sanchez lib. 2 disp. 45. n. 4. etc.

ex indiciis sat claris potuit advertere deceptionem. c) si compars separationi esset consensura, vel ipse ad contrahendum coactus fuisset.[1])

Quaeritur 2°): Quomodo suppleri debeat consensus in casu simulati consensus ex una parte?

℟. Satis erit, si manente in virtute priori consensu ipse deceptor solus consentiat, quod facere potest nulla intimatione de hoc facta alteri conjugi, et ut putat Sanchez (disp. 32. 9. l. c.) solum *interne*, et in corde suo, quocumque temporis spatio interjecto. — Vide tamen §. 62. n. 2.

§. 3.

De institutione ac dignitate matrimonii.

I. Matrimonium non modo ex inclinatione[2]) naturae humanae insita, sed etiam positiva Dei ordinatione jam ab initio fuisse institutum, clare docet Ss. Concilium Trident. his verbis: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens *divini Spiritus instinctu* pronuntiavit cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.“[3]) Addidit enim Deus naturali matrimonii conjunctioni perpetuum et indissolubilem nodum, siquidem et prolis educandae studio, et aliis matrimonii bonis repugnat, ut ejus vinculum dissolubile sit.[4])

II. Matrimonium sic unitate et firmitate divinitus munitum, magna erat dignitate ab initio, ordinatum quidem ante peccatum in officium naturae, post peccatum autem insuper in remedium contra libidinis morbum, et habuit, saltem ante peccatum, ut plures docent, jam aliquam rationem Sacramenti.[5]) Postea

---

[1]) Gury Theol. mor. de matr. 1459.

[2]) S. Thom. Dicendum, quod natura inclinat ad matrimonium, intendens aliquod bonum. suppl. quaest. 42. a. 2.

[3]) Sess. 24. doctr. de Sacr. matr. cf. Genes. 2. 23. Eph. 5. 30, 31. Matth. 19. 5.

[4]) Catechism. Rom. l. c. q. 11.

[5]) St. Bonav. „Hinc est, quod Deus ab initio instituit, ut propagatio fieret per conjunctionem maris et feminae individuam et singularem, quae

autem, cum per decursum temporum iniquitas increvisset in terra, status matrimonialis adeo degeneratus est, ut propter duritiam cordis hominum matrimonii naturalis essentia vix integra persisteret, sublata per divinam dispensationem lege originali de firmitate et unitate matrimonii.[1])

III. Christus Dominus tandem, qui inter alia statum quoque matrimonialem non modo restauravit, sed et ad majorem, quam originalem dignitatem elevare voluit, illi dignitatem Sacramenti tribuit in duplici sensu, et *latiori*, et *proprio*; in sensu quidem *latiori* matrimonio etiam ante Christum uti annuimus, aliquatenus rationem sacramenti habuerunt, inquantum erant figurae et signa conjunctionis futurae Christi cum Ecclesia, sed in minori gradu, quam inter fideles, cum in nuptiis christianis non simplex typus et figura, sed significatio unionis Christi cum Ecclesia jam perfectae exhibeatur. — Insuper, ut diximus, nuptiae christianae sunt etiam sacramenta in sensu *proprio* et stricto. Ut autem matrimonium inter Christianos dignum tanti mysterii signum esse valeret, summa illius honestas et puritas assequenda erat, cumque hoc sine particulari gratiae auxilio fieri non posset; ideo matrimonium, ut digne significaret Sacramentum unionis inter Christum et Ecclesiam, necesse erat, ut etiam elevaretur ad dignitatem Sacramenti N. T. in *sensu stricto*, conferentis nempe in suscipientes sub signo externo gratiam specialem.[2])

---

significaret ante peccatum conjunctionem Dei et animae, seu Dei et subcoelestis hierarchiae, post peccatum vero conjunctionem Christi et humanae naturae, seu Christi et Ecclesiae; et ideo *utrobique* est Sacramentum, scilicet ante et post, licet alio et alio modo, quantum ad significationem et usum.“ brevi. p. VI. c. 13. — Sacramentum, ut patet, sumitur hic in sensu latiori. — cf. Catech. Rom. l. c. quaest. 18.

[1]) Matth. cap. 19. v. 8. Ait illis: „Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.“ Catechism. Rom. l. c. q. 19.

[2]) Perrone, Praelect. Theol. de matr. c. 1. obj. Catechism. Rom. l. c. q. 18. „*Sacramentum* est, quod sc. viri et mulieris conjunctio . . . sanctissimi illius vinculi, quo Christus Dominus cum Ecclesia conjungitur, Sacramentum, i. e. *sacrum signum* sit . . . Sed *gratiam* quoque hoc Sacramento *significari* et *tribui*, in quo maxime ratio Sacramenti inest“ . . l. c. 16, 17.

IV. „Quod vero a Domino dictum est: „Crescite et multiplicamini“ (genes. 1, 28.), id eo spectat, ut cujus rei causa matrimonium institutum erat, declaret, non ut singulis hominibus necessitatem imponat; nunc enim, aucto jam humano genere, non solum ulla lex uxorem ducere aliquem non cogit, sed potius virginitas summopere commendatur, et unicuique in sacris litteris suadetur, ut quae matrimonii statu praestantior sit majoremque in se perfectionem et sanctitatem contineat.“ [1]) S. Thomas dicit: „Praeceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum, cui necessarium est, non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam, quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent; quidam vero ab hac abstinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius generis pulchritudinem et salutem.“ Summa 2. 2. q. 152. a. 2.[2])

Caput II.

De matrimonio, quatenus est Sacramentum.

§. 4.

De Sacramento matrimonii.

I. Matrimonium contractum inter fideles seu baptizatos est verum Sacramentum novae legis. Hoc est de fide, ex definitione Conc. Flor. in decret. Unionis §. 5. et Trident. sess. 24.

---

[1]) Catechis. Rom. q. 12. l. c. Matth. 19, 2. 1 Cor. 7, 25. Conc. Trid. sess. 24. doct. de sacr. matr. canon. 10.

[2]) Ex Pontif. praef. in bened. Virg. notatu digna: „Effusa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quae sub coelo est, in stellarum numerum novi Testamenti haeredibus adoptatis inter ceteras virtutes, quas filiis tuis, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de Spiritu sancto tuo genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuae fonte defluxit, ut, cum *honorem nuptiarum* nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium nuptialis benedictio permaneret, existerent tamen *sublimiores* animae, quae in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, et concupiscerent Sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, *sed diligerent, quod nuptiis praenotatur.*“

c. 1. „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, a. s. — quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea; mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.“ Eph. 5. 25. — Idem semper docuit traditio Patrum: „In Ecclesia, inquit S. Augustinus, nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur“ (lib. de fid. et operib.) et alio loco: „In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas matrimonii, quam foecunditas uteri.“ Hocque erat ex ratione omnino conveniens; cum enim ex Christi lege (Matth. c. 5. et c. 19) matrimonii vinculum sit perpetuum et vi illius teneantur ad cohabitationem perpetuam, quae gravissima iisdem imponit onera, intolerabile jugum foret, nisi ipsi annexuisset gratiam suam ad haec onera facilius sustinenda.

II. In instituendo tamen matrimonii Sacramentum Christus Dominus nihil immutavit in naturali matrimonii essentia, sed hanc ipsam elevavit ad statum et dignitatem Sacramenti, declarando maritalem conjunctionem in signum immensae charitatis Suae erga Ecclesiam, et praesertim jugendo cum illa, uti cum signo externo, gratiam, quae naturalem inter contrahentes amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret ex meritis passionis suae.[1]) Hinc Sacramentum

---

[1]) cf. Conc. Trid. sess. 24. doct. matrim. §. 2. Catech. Rom. l. c. q. 16, 17. Juxta s. Thomam consensus, qui efficit matrimonium secundum se, est causa matrimonii, quatenus est Sacramentum, ex divina institutione. — suppl. q. 45. a. 1. ad 1. Alio loco: Dicendum quod quamvis matrimonium sit sacramentum, tamen aliud est matrimonio, esse matrimonium, et aliud est ei, esse Sacramentum: quia non solum ad hoc est institutum, ut sit insignum nec sacrae, sed etiam ut sit in officium naturae; et ideo ratio Sacramenti est quaedam conditio *adveniens matrimonio secundum se considerato*, ex quo honestatem etiam habet; et ideo sacramentalitas ejus, ut ita dicam ponitur inter bona honestantia matrimonium. suppl. q. 49. a. 2. ad. 7.

matrimonii definitur: „Est conjunctio maritalis, rite dispositis conferens gratiam sanctificantem,“ seu larguis: „Est Sacramentum novae legis gratiam conferens ad legitimam viri et mulieris conjunctionem sanctificandam et ad prolem pie suscipiendam sancteque educandam.“ (Gury, Schmalzg et alii communiter.) Ex dictis insuper recte concluditur, *Sacramentum matrimonii sequi naturam contractûs*, si quidem illa unio ac nexus maritalis, cui inhaeret Sacramentum, ex pactione seu contractu oritur.

III. Controvertitur, num matrimonium non solum in *fieri*, sed et in *facto esse* sit Sacramentum, vel, ut alii dicunt, num Sacramentum duntaxat efficiatur in ineundo contractu, an vero perseveret ad instar Sacramenti Eucharistiae, post initum contractum; affirmant Bellarmin., Sanchez, Laymann et alii probati auctores; negant autem, et, ut nobis videtur probabilius Castrop., Coeninck, Schmier, Schmalzg., Leurenius, sic dicentes: „Sacramentum (in sensu stricto) est signum *practicum* gratiae, h. e. suo usu ex opere operato sanctificans suscipientem; conjuges autem usu matrimonii non sanctificantur, sed potius in *contrahendo* ad usum. Negatur paritas cum Ss. Sacramento Eucharistiae, quae *in fieri* seu, dum fit, non est Sacramentum in stricto sensu, sed sacrificium, facta vero est Sacramentum, quia usu suo sanctificat suscipientem: Alia objectio, quod scilicet matrimonium *in fieri* non significat unionem Christi cum Ecclesia, nec ad rem aliquid facit, cum ea significatio non probet esse Sacramentum, quatenus illud est signum practicum, sed solum esse Sacramentum, sumpto Sacramento late pro signo rei sacrae divinitus instituto.[1])

Quaesita:

Quaeritur 1º) num matrimonium a fidelibus contractum sit duplex Sacramentum?

℞. probabilius *negative*: Ratio est, quia contractus matrimonialis inter fideles initus elevatus est ad Sacramentum, atqui matrimonium, licet consensu et acceptatione utriusque contrahentis compleatur, unicus tamen contractus est, unicum duntaxat

---

[1]) Leuren. forum eccl. — lib. 4. tit. 1. q. 81.

vinculum et conjunctio ad individuam vitae societatem et actuum conjugalium exhibitionem obligans ex parte utriusque, ergo [1]) etc. Sic Sanchez, Schmalzg. Leuren. et alii plurimi.

Quaeritur 2°) an Sacramentum sit matrimonium, quod fidelis cum infideli ex Apostolica dispensatione init?

℟. probabilius *negative:* Ratio est, quia, sicut *unus* in utroque conjuge est contractus, ita unum quoque et utrumque contrahentium afficiens Sacramentum, ut dictum est probabilius supra; Hinc vel in utroque esse Sacramentum debet, vel in neutro, sicut in utroque vel in neutro est contractus; non potest autem esse Sacramentum ex parte infidelis, utpote qui ante Baptismum ut Sacramenti recipiendi incapax; ergo neque ex parte fidelis Sacramentum erit. Sic citati auctores. [2])

Quaeritur 3°): An matrimonium, ab infidelibus contractum, si isti convertantur ad fidem, transeat in Sacramentum?

℟. Affirmant complures auctores magni nominis, qui tamen bifariam dividuntur; alii cum Sanchez censentes, matrimonium in infidelitate contractum transire in Sacramentum per ipsam Sacramenti Baptismi susceptionem, alii econtra cum Bellarm., Laymann et aliis tenentes, ad Sacramentum matrimonii in hoc casu praeter Baptismum requiri renovationem consensus matrimonialis. Sed ab aliis negatur utraque sententia saltem aeque

---

[1]) Hinc notandum est, nec traditionem juris in corporis usum, maritalem nec consensum in hanc traditionem expressum ex una parte tantum, altera parte nondum tradente nec consentiente, efficere Sacramentum matrimonii pro altera parte, sed traditionem mutuam et consensum ex utraque parte datum et unitum requiri, ut adsit materia et forma hujus Sacramenti. In celebratione igitur matrimonii sponsa nondum particeps et fit Sacramenti per expressum a sponso consensum sed tunc demum, simul cum sponso, quando ipsius consensus cum sponsi antecedenti consensu unitus fuerit.

[2]) Quod etiam ex hoc patet, quod diximus, Sacramentum matrimonii non confici per traditionem et consensum ex una tantum parte, sed per mutuam traditionem et consensum ex utraque parte unitum; hinc cum pars infidelis non possit ob defectum baptismi nec jus tradere, nec consensum dare ad conficiendum matrimonium aptum, materia et forma Sacramenti sufficiens, non adest.

probabiliter atque asseritur, matrimonium in hoc casu nunquam transire in Sacramentum. Ratio est, quia ad rationem Sacramenti elevatus est solus contractus matrimonialis juxta leges perfectas, seu traditio et acceptatio mutua corporum ad individuam vitae societatem; atqui contractus ille non fit actu tempore baptismi, sed jam antea valide factus erat, quando matrimonium in infidelitate initum fuit; ergo tempore baptismi non amplius illud ponere possunt, quod est signum hujus Sacramenti, ac proinde nec possunt Sacramentum recipere. Sic Vasquez, Coninck, Pont., Palud., Wiestn., Schmalzgr. In praxi tamen pars tutior est sequenda, ideoque omnino suadendum, ut in tali casu consensus matrimonialis post baptismum renovetur. Insuper annotandum est, juxta communem sententiam matrimonium in infidelitate valide contractum et consummatum fit per baptismum utriusque conjugis absolute indissolubile, quidquid est de Sacramento, pariter ac matrimonium a fidelibus valide contractum et consummatum.“ [1])

Quaeritur 4°) num conjuges, si per peccatum grave in hujus Sacramenti susceptione gratiam impediverint, possint eandem recuperare, si durante matrimonio removeant obicem?

℟. affirmative probabiliter: Ratio est, quia vivente altero conjuge Sacramentum hoc iterari non potest, sed recipientem constituit in statu quasi immutabili, et propterea credendum non est, voluisse Christum hoc Sacramentum indigne suscipientem privare illius effectu, sed potius praesumendum voluisse concedere, si ipsi capacem sese reddiderit, et ante illius solutionem removerit obicem. Attamen cum haec sententia non sit omnino certa, in praxi valde laborandum est, ut contrahentes non tantum ad evitandum sacrilegium, sed etiam ad procurandam sibi cum certitudine gratiam adeo necessariam pro vita matrimoniali, in statu gratiae ineant matrimonium.

---

[1]) Hinc talia matrimonia, licet non sint Sacramenta in sensu stricto, Sacramenta tamen vocari possunt in sensu latiori, inquantum nempe illa sunt signa rei sacrae, i. e. unionis inter Christum et Ecclesiam indissolubilis.

§. 5.

De materia et forma Sacramenti matrimonii.

I. Incidimus jam in aliquas quaestiones difficiles ac graves, de quibus Auctores inter se non conveniunt; unde, ut judicium saltem ad agendum satis probabile inter illas lites nobis formare valeamus, caute procedere oportet. Praeprimis, quid sit materia et forma alicujus Sacramenti, exactius definiendum erit. Constat, illos terminos mutuis sumptos esse ex philosophia Peripatetica, quae docet, omne ens finitum esse compositum ex materia et forma; materiam autem esse illud, ex quo aliquid existit, formam econtra id, per quod aliquid est, quod est. Materia igitur est substratum aliquod indeterminatum, egens et capax determinationis, quam forma perficit. Materia est praedicatum universalius et imperfectius, forma autem minus commune et magis perfectum. Eodem autem modo,[1] ut philosophi in rebus naturalibus, jam s. Patres compositionem perceperunt in signo externo cujusque Sacramenti, ut clare ostendit s. Augustinus in Sacramento baptismi, dicens: „Detrahe *verbum*, quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad *elementum*, et fit Sacramentum, unde cum Theologis docent ipsi Patres[2]) Conc. Florentini (in Decreto Unionis) Sacramenta N. T. constare ex rebus et verbis, et illas (res) esse *materiam*, ista esse *formam*. — Verumtamen cum Sacramenta non sint composita *physica*, sed *moralia* tantum, illi termini (materia et forma) in Sacramentis non debent nimis

---

[1]) Pari ratione, ut in composito physico sunt duae partes, quarum neutra praedicatur de toto, et una est determinata, altera determinans, illa materia, haec forma dicitur; sic etiam in Sacramentis sunt *res*, veluti materia, et *verba* veluti forma, quia res ipsa ut ex. i. aqua vel infusio aquae, indifferens ex se ad multa significanda vel etiam efficienda, per verba determinatur ad usum significandum et efficiendum. Bellarm. de Sacr. l. 1. c. 10. sub finem.

[2]) Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. *Decret.* Conc. Florent. super Unione.

urgeri, sed potius juxta analogiam intelligi. „Non oportet, ait Bellarminus, nimis anxie discutere, an tota ratio materiae et formae conveniat partibus Sacramenti, quia non physice, sed moraliter Sacramenta a Theologis consideranda sunt.“ l. c. Hinc in Sacramentis nihil aliud significari vult per materiam et formam, quam esse aliquid in illis, sicut in physicis compositis, quod per se non est determinatum, et aliud, quod determinat ad unum.[1])

II. Cum Christus Dominus, ut supra ex sensu Conc. Trident. et Catechis. Rom. diximus, Sacramentum matrimonii instituens nihil immutaverit in essentia naturali matrimonii, addita ad illam, uti signum visibile Sacramenti, duntaxat N. T. gratia, per se patet, illud, quod constituit matrimonium, quatenus est conjunctio maritalis ex consensu contrahentium procedens seu contractus, constituere etiam totum morale compositum signi Sacramenti. In matrimoniali autem contractu, sicut in aliis, ut sit verus et validus, tria praecipue requiruntur 1) ut res aut jus aliquod sit, de quo contrahitur; 2) cessio seu traditio juris vel rei inter contrahentes; 3) liber consensus et determinatus in hanc traditionem. Si ergo quaeritur de his, quae constituunt necessaria ad Sacramentum matrimonii, illis assentimus, qui docent corpora contrahentium seu potius jus ad corpora et traditionem illius juris mutuam aliquomodo factam[2]) esse materiam remotam et proximam Sacramenti, quia in his aliquid discernitur magis et minus indeterminatum, concensum vero in traditionem esse

---

[1]) Materia insuper subdistinguitur in *remotam* et proximam prout et magis vel minus indeterminata.

[2]) Sicuti in contractu permutationis materia remota est res permutanda, et materia proxima est actualis rerum traditio, sic etiam in matrimonio, in quo jus in corpora inter conjuges permutatur.... Adde quod etiam in permutatione et aliis contractibus, in quibus transfertur jus in re, non requiratur traditio physica et vera, sed sufficiat juridica et aequi pollens v. g. per constitutum, signationem, ostensionem vel symbolum rei traditae: Cum igitur in matrimonio quoque interveniat aliquid simile, haec traditio satis erit ad essentiam matrimonii. Schmier. lib. 4. tr. 2. c. 2. n. 33.

formam, i. e. id, quod traditionem determinant ultimatim in unum finem.[1]) Consensus tamen, ut determinet contractum quoad forum externum, aut per verba aut per alia signa exprimi debet, unde patet, formam hujus Sacramenti non necessario in *verbis* consistere.

III. Illi Theologi, qui docent sacerdotem esse ministrum Sacramenti matrimonii, reponunt materiam in consensu naturali sponsorum et formam in his verbis sacerdotis: Ego vos in matrimonium conjungo, aut in aliis similibus. Sed haec opinio vix probabilis hodie vocari potest, cum altera de ministro, in qua fundatur, omnino adversaria sit praxi Ecclesiae ac proinde in dies magis obsolescat. — Vide infra.

---

[1]) „Docent Castrop. Vasq. Pont. Gasp. Hurt. et alii, consensum utriusque contrahentis verbis vel signis expressum esse formam matrimonii, tam in ratione contractus, quam Sacramenti, (eadem est forma et materia utriusque, dum Christus instituens Sacramentum matrimonii contractui non mutato *superaddidit seu adjunxit rationem Sacramenti seu vim practice significativam gratiae. Leuren.*), materiam vero proximam esse traditionem et acceptationem corporum, et materiam remotam ipsa corpora; esse vero materiam, non ex qua contractus (formaliter?) coalescat, sed circa quam versetur, et qua ipse contractus perficiatur, cum signanter Conc. Flor. dixerit, Sacramenta omnia *perfici* rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma, tacite hac ratione indicans non esse necessarium quod Sacramenta omnia *intrinsece* constent rebus et verbis, cum aliis dicere debuisse *constare*, non *perfici*. Ex eo magis placeret haec sententia, quod melius hoc modo explicari queat, qualiter matrimonium, ut reliqua Sacramenta, perficiatur rebus tanquam materia et verbis tanquam forma; item qualiter matrimonium cum reliquis contractibus conveniat, quorum forma est concensus expressis verbis contrahentium, et illud est materia quod consensus ille respicit et circa quod versatur. Leuren. for. eccl. l. c. q. 86. 4. 3. S. Th, „Dicendum, quod in omnibus Sacramentis est aliqua spiritualis operatio mediante materiali operatione, quae eam significat, sicut per ablutionem corporalem in baptismo fit ablutio interior spiritualis. Unde cum in matrimonio sit quaedam spiritualis conjunctio, inquantum matrimonium est sacramentum, et aliqua materialis, secundum quod est in officium naturae et civilis vitae, oportet quod *mediante materiali fiat spiritualis*, *virtute divina*. Unde cum conjunctiones materialium contractum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis conjunctio. suppl. q. 45. a. 1.

Quaeritur, num Sacramentum matrimonii per procuratorem ad hoc specialiter deputatum valide suscipi possit?

℟. Certum est, matrimonium, quatenus est contractus, per procuratorem, ut alius contractus, iniri posse. Atqui Sacramentum matrimonii, ut vix dubitare licet, penitus sequitur naturam contractus, consequenter etiam Sacramentum recipi potest per procuratorem. Huic sententiae favet praxis Ecclesiae, quae saepe hunc modum matrimonium ineundi, praesertim inter Nobiliores admittit, quod si Sacramentum hoc modo frustraretur, nefas esset. Idem dicendum esse videtur de matrimonio per litteras contracti.

§. 6.
De ministro Sacramenti matrimonii.

I. Certum est, 1) matrimonia sine sacerdote inita ante Conc. Trid. fuisse valida, eodem Concilio declarante sess. 24. de reform. matr. c. i. sub anathemate, illa fuisse *vera ac rata.* 2) pariter certum est, matrimonia taliter inita adhuc esse valida, ubi Decret. Conc. Trident. de clandestinitate hucusque non est promulgatum, usuque receptum. 3) certum est, Ecclesiam semper clandestina matrimonia prohibuisse, unde fideles, qui hoc modo matrimonium ineunt, graviter peccant, etiam in locis, ubi Decretum Conc. Trid. non viget, nisi forte ex nimia difficultate coram sacerdote contrahendi excusentur. 4) Certum est, in locis, ubi impedimentum clandestinitatis viget, praesentiam *parochi* requiri ad valorem matrimonii, simul cum duobus testibus, minime autem sufficere praesentiam solius parochi sine testibus, neque sacerdotis simplicis non delegati a parocho vel Episcopo.

II. Controvertitur, num ulla matrimonia clandestina, quae valide inita fuerunt ante Conc. Trident. et adhuc ineuntur in locis, ubi illud Decretum non est receptum, sint sensu stricto Sacramenta, necne. Illi enim, qui tenent Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, consequenter docent, illa matrimonia esse meros contractus naturales, separatos a Sacramento; alii autem, et quidem tanta probabilitate, ut S. Liguorius non dubitet illorum sententiam vocare moraliter certam, illa matrimonia vera esse Sacramenta, ac proinde contrahentes Sacramenti esse

ministros censent.[1]) Rationes, quibus praecipue innituntur, ad has tres reducimus: 1) quia Eugenius IV. in Decreto ad Armenos suam circa Sacramenta tradere volens doctrinam, sic ait: Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressa. Neque dubitandum, utrum illa verba „*causa efficiens matrimonii*", spectent matrimonium ut sacramentum, siquidem septem sacramenta in eo decreto ex professo explicantur. 2) Quia Concilium Trident. declarat, matrimonia clandestina fuisse *vera* et *rata*, quibus vocabulis tunc theologi et canonistae exprimebant stricto sensu sacramenta. 3) quia Pius IX. allocutione habita in consistorio secreto die 27. Sept. 1852 in casu Reipublicae Neogranatensis declaravit, inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum . . . ac proinde a conjugali foedere Sacramentum separari nunquam posse";[2]) unde longius in dubium vocari nequit, matrimonia clandestina, quae vera ac rata dicuntur a Conc. Trid. necessario etiam Sacramenta fuisse.

III. Pro praxi annotandum est, sententias oppositas, quamvis de re tanti momenti inter se pugnant, plerumque ad idem convenire, si tamen intra limites ab Ecclesia statutos contineantur; fautores enim posteri oris sententiae, non negant, matrimonia clandestina in illis locis, ubi Decretum de clandestinitate est receptum, neque Sacramenta esse, neque valida; illi autem, qui priorem sententiam tenent, admittere obligantur ex Conc. Trident., matrimonia sine sacerdotis bendictione contracta saltem valida esse in locis, ubi Decretum de cland. non viget, de hoc tantum dubitantes, utrum illa etiam sint Sacramenta. — Si agitur de sponsis catholicis, qui illicite extra ecclesiam matrimonium inierunt in locis, in quibus non est promulgatum illud Decretum, postea autem recipiscunt, benedictio nuptialis, sine renovatione

[1]) Sed contrahentes non sunt stricte loquendo duo ministri, sed unum tantum ministrum constituunt, si quidem unus absque cooperatione alterius Sacramentum efficere nequit.

[2]) Denzinger Enchirid p. 444. Eandem de matrimonio doctrinam Summum Pontificem litteris datis ad Sardiniae Regem, in cujus regno eadem renovatio inducenda erat, exposuisse, ephemerides tradiderunt.

consensus, dari potest[1]) juxta utramque sententiam. Si autem unus ex taliter contrahentibus est haereticus baptizatus, benedictio, ut infra dicetur, juxta utramque sententiam pro reconciliatione partis catholicae pariter est omittenda.

§. 7.

De subjecto Sacramenti matrimonii.

I. Subjectum Sacramenti matrimonii est omnis homo baptizatus legitime ad matrimonium habilis, h. e. nullo impedimento sive naturali, sive divino sive ecclesiastico laborans. — Dico 1°) omnis homo baptizatus; homines enim non baptizati capaces quidem sunt matrimonii, non autem Sacramenti matrimonii, ut patet.[2]). 2°) nullo impedimento laborans; licet enim *per se* omnis homo baptizatus sit subjectum capax Sacramenti matrimonii, *per accidens* tamen plures a matrimonio valide contrahendo arcentur propter diversas inhabilitates seu impedimenta. (Gury.)

II. Ut baptizati *licite* suscipiant Sacramentum matrimonii, insuper requiritur, ut sint in statu gratiae, ac sufficienter instructi de obligationibus status matrimonialis.[3]) Qui igitur contrahunt peccato mortali coinquinati, gravissimum sacrilegium committunt, quia matrimonium est Sacramentum vivorum, neque gratias, sponsis necessarias percipiunt. Sic Gury et alii communiter.

Quaesita:

Quaeritur 1°) num inter baptizatos matrimonium validum iniri possit excluso Sacramento?

℟. Ut supra innuimus, illi Theologi, qui docent sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti, necessario affirmant; sed haec sententia post declarationem a Pio IX. supra relatam vix longius probabilis potest vocari. Ceteri auctores respondent negative,

---

[1]) Ac plerumque debet, ne vilescat status matrimonialis. Intellige tamen brevem benedictionem ex Rituali, non solemnem ex Missali. Vide infra §. 72. et §. 19. n. 3. fin.

[2]) Conf. Cas. XXVI.

[3]) Vide infr. in tr. 5. §. 68.

excepto tamen a pluribus casu, si contrahentes *explicite et directe* intendunt matrimonium inire sine Sacramento. Ratio hujus sententiae est: Ad perficiendum Sacramentum intentio requiritur faciendi, quod facit Ecclesia; ergo in hoc casu, ut talis intentio explicite non habetur, esse non potest Sacramentum, quin tamen deficiat esse matrimonium, quia contractus inter personas habiles matrimonialis, qui de Jure naturali validus est, pro tali habendus est, donec in divino vel ecclesiastico Jure irritatus reperiatur; atqui textus ullus neque divini neque ecclesiastici Juris reperitur, quo matrimonium ita contractum irritatur; ergo — Sed haec ratio penitus subversa est per laudatam Pii IX declarationem, quae definit „quamlibet aliam inter Christianos viros et mulieres *praeter Sacramentum* conjunctionem, cujuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum.“[1]) Unde *certa* sententia illorum vocari debet, qui dicunt, etiam in hoc casu matrimonium validum non posse iniri, excluso Sacramento. Rationes praeter datam declarationem S. P. hujus sententiae sunt 1) quia Conc. Trid. et Florent. cum dicunt fidelium conjugium vere ac proprie Sacramentum esse, id dicunt sine distinctione, vel exceptione. 2) Quia, qui vult unum ex duobus inseparabiliter inter se connexis, etiam vult alterum; atqui Esse Sacramenti apud fideles ex Christi institutione est omnino inseparabile ab Esse matrimonii; ergo intentioni legitimae faciendi matrimonium, ut est Contractus, repugnat intentio non conficiendi Sacramentum; ergo, si matrimonium non sit Sacramentum, etiam cessat esse validum. 3) Si a fidelibus matrimonium *valide* contrahi posset sine Sacramento, possent contrahentes etiam *licite* rationem Sacramenti a contractu matrimonii separare ac excludere, saltem aliquando, si quidem nulla lex divina aut humana ostendi potest, quae eos astringat ad utrumque semper conjungendum, atque ad evitandum sacrilegium, quod committunt sponsi in statu peccati contrahentes, melius esset, Sacramentum non recipere, quam sacrilege. Cum autem haec consequentia ab

---

[1]) Denzinger Enchirid. p. 444. vide etiam Instr. past. Eystett. p. 272.

adversariis non admittatur, compelluntur agnoscere, neque validum esse matrimonium inter fideles sine Sacramento.

Quaeritur 2°): Quid sit sentiendum de matrimoniis haereticorum, qui dum contrahunt matrimonium, neque credunt, neque intendunt conficere Sacramentum?

℟. Distinguendum est: Vel enim volentes ita contrahere neque ullo modo volunt suscipere Sacramentum, vel duntaxat nolunt suscipere Sacramentum propter errorem speculativum, quo putant, matrimonium non esse Sacramentum, ita tamen, ut velint contrahere modo christiano; si *primum*, nihil efficiunt neque Sacramentum neque matrimonium; quia intentio posterior priorem elidit ac destruit, cum, ut diximus, ratio Sacramenti sit inseparabilis a contractu matrimoniali; si *secundum*, Sacramentum suscipiunt, et sibi invicem administrant, quia error illorum particularis per intentionem generalem contrahendi matrimonium prout illud a Christianis solet et potest contrahi, tollitur vel corrigitur; nam idem etiam contingit in baptismo, quem si quis putet fictionem esse, modo intendat facere, quod facit Ecclesia, valide confert." Schmalzgruber et alii.[1])

§. 8.
De triplici bono matrimonii.

I. De triplici bono matrimonii non tantum jam antiqui Patres, ut S. Augustinus,[2]) et communiter Theologi, sed etiam Eugenius IV. in decreto Unionis[3]) et Catechism. Romanus[4]) mentionem faciunt. Haec autem bona *matrimonii* vocantur, non tantum quia in se sunt bona et ex matrimonio proveniunt, sed potius,

---

[1]) Conf. Cas. IX.

[2]) In corp. Juris canonici: 10 c. XXVII c. q. 2. „Omne itaque nuptiarum bonum impletum est . . . proles, fides, sacramentum.

[3]) „Assignatur autem triplex bonum matrimonii; primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei; secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet; tertium est indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiae." Enchirid. p. 206.

[4]) Catech. Rom. p. II. c. 8. quaest. 23.

quia matrimonium *reddunt* bonum, quod bene innuit Catechism. Rom., docens in loc. cit: „Docendi praeterea sunt fideles, tria esse matrimonii bona, prolem, fidem et Sacramentum; quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis: „Tribulationem carnis habebunt hujusmodi.“ 1. Cor. 7. 28. Efficiturque, ut conjunctiones corporum, quae extra matrimonium merito damnandae essent, cum honestate conjunctae sint.“

II. S. Thomas quaerit, utrum haberi debeant aliqua bona ad excusandum matrimonium; et sic respondet: „Dicendum, quod nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi pro aliqua compensatione alicujus aequalis vel melioris boni. Unde electio alicujus, quod aliquam jacturam habet annexam, indiget alicujus boni adjunctione, per cujus recompensationem ordinetur et honestetur. In conjunctione autem viri et mulieris rationis jactura accidit: tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in illa; tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet talis sustinere ex sollicitudine temporalium, ut patet ex 1. Cor. 7. 28; et ideo talis conjunctionis electio non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus dicta conjunctio honestetur; et haec sunt bona, quae matrimonium excusant et honestum reddunt.“[1])

III. De modo autem, quo matrimonium per haec bona honestum redditur, dicendum est: 1) Illa incommoda, quae consistunt in sollicitudine temporalium ex matrimonio plerumque proveniente, per bonum prolis et fidei sufficienter compensari, nemo non videt; 2) difficilius est, quomodo cohonestetur illa inevitabilis concupiscentia, quae, inquantum ob vehementiam delectationis rationem absorbet, rationem mali in ente rationali, ut homo est, semper in se conferre videtur. Ad hanc difficultatem solvendam respondemus *primo*, idem in hoc casu valere, quod Theologi docent de quolibet actu in se licito et bono, qui poni non potest ad bonum effectum, quin sequatur etiam malus effectus, nimirum, licitum esse, ponere causam ad bonum effectum, quamvis ex ea sequatur effectus malus, si adsint sequentes con-

---

[1]) suppl. qu. 49. a. 1. c.

ditiones scilicet 1) si finis agentis sit honestus, 2) si causa sit in se bona vel indifferens, 3) si bonus effectus aeque immediate ac malus ex causa sequatur, 4) si bonus effectus malum saltem compenset.[1]) Atqui hae conditiones in hoc casu adsunt; finis enim agentis est bonus ob bonum prolis et fidei et Sacramenti in sensu latiori; causa, quae ad hunc finem ponitur, scilicet corporum conjunctio in matrimonio, in se est bona, aut saltem indifferens, ac necessaria ad bonum effectum, physice quoad prolem, et moraliter quoad fidem; et sic de ceteris, ut patet; ergo ille, qui utitur matrimonio ob bonum prolis et vitae consuetudinis seu fidei et Sacramenti, utitur jure suo ex naturali et divina lege concesso, ac se habet ad effectum malum i. e. vehementiam delectationis, mere permissive, unde homini imputari non potest.[2])

---

[1]) Gury, Theol. mor. n. 7.

[2]) S. Thom. q. 49. a. 4. ad 3. „Superabundantia passionis, quae facit vitium, non attenditur secundum quantitativam intensionem, sed secundum proportionem ipsius ad rationem. Unde tunc solum passio reputatur immoderata, quando limites rationis excedit; delectatio autem, quae fit in actu matrimoniali, quamvis sit intensissima secundum quantitatem, non tamen excedit limites sibi a ratione praefixas ante principium suum, quamvis in ipsa delectatione ratio eos ordinare non possit.“ — q. 49. a. 5. c. „Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreationis et debiti reddendi (quod ad fidem pertinet), alias semper est ibi peccatum, ad minus veniale. vide etiam q. 49. a. 5. c. Objicit S. Thom.: „Si bonum malo addatur in genere morum, totum efficitur malum, non autem totum bonum.“ etc. Resp. Dicendum, quod ratio illa procederet, si malum, quod inseparabiliter comitatur concubitum, esset malum *culpae;* nunc autem non est malum culpae, sed *poenae* tantum, quae est inobedientia concupiscentiae ad rationem; et ideo non sequitur. — Item objicit: Verecundia non est nisi de turpi actu; sed bona matrimonii non tollunt erubescentiam ab illo actu; ergo non possunt excusare, quin sit peccatum. Resp. Ad hoc dicendum, quod turpitudo illa, quae semper est in actu matrimoniali, et erubescentiam facit, est turpitudo poenae, et non culpae, quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit. quaest. 49. a. 4. ad 2 et ad 4. — Id enim (bonum prolis) tanti fecit apostolus, ut diceret: „Salvabitur mulier per filiorum generationem.“ 1. Tim. 2. 15. — Catech. Rom. l. c. quaest. 23. §. 2.

IV. *Secundo* matrimonium per hoc triplex bonum honestum redditur, inquantum hoc modo simul fit remedium contra illam superabundantem concupiscentiam, et quidem duplici modo; *uno modo* concupiscentia directe in sua radice reprimitur, quia bonum Sacramenti non solum consistit in significatione unionis inter Christum et Ecclesiam, sed etiam in conferendo omnia, quae ad significationem ipsius pertinent i. e. cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, et quidem ita, ut proles suscepta ordinetur ulterius in Deum, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset; et sic remedium praestat matrimonium per gratiam, quae in eo datur; *alio modo* concupiscentia indirecte sanatur, inquantum per actum matrimonialem honestatum alius actus turpitudinem habens impeditur, quia, dum concupiscentiae honesto modo satisfit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat; propter quod dicit Apost. 1. Cor. 7.: „Melius est nubere, quam uri.“ Quamvis enim opera concupiscentiae congregata secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt, quia ex similibus actibus relinquuntur similes dispositiones et habitus. [1]

Nota. De licito, ac praecepto usu matrimonii vide *Gury*, n. 1579—1596. S. Alph. *Lig.* H. A. 35—51, et al. S. Francisci *Salesii*, Manducatio ad vitam devotam, lib. 3. c. 38 et seq.

---

[1]) S. Thom. suppl. 42. a. 3. c. et ad 4. q. 49. a. 5. ad 1. q. 48. a. 2. ad 7. q. 42. a. 3. ad 4. — Objicitur: „Gratia ordinata contra vulnus peccati est necessaria omnibus habentibus vulnus, sed in omnibus est vulnus concupiscentiae; ergo si in matrimonio daretur gratia contra hoc vulnus, deberent omnes nubere.“ Resp. „Dicendum, quod ratio illa procederet, nisi contra concupiscentiae morbum posset aliquod efficacius remedium adhiberi; adhibetur autem majus remedium per opera spiritualia, et carnis mortificationem, ab illis qui matrimonio non utuntur.“ q. 42. a. 3. ad 3.

Sectio II.

De impedimentis matrimonii in genere.

§. 9.

De origine impedimentorum.

I. Cum matrimonii essentia naturalis sita sit in pactione inter contrahentes, eaque omnia contineat, quae pactis generatim et communiter conveniunt; cumque pactum quodvis, quod speciale nomen sortitur, *contractûs* nomine veniat; facile intelligitur, matrimonium pariter, ac alium contractum, contrahi posse *licite*, vel *illicite*, prout convenit legibus, vel non, et *valide*, vel *invalide*, prout finem sibi intrinsecum seu effectum principalem in contrahentibus obtinet, vel non.[1]) Communiter autem ad liceitatem et validitatem alicujus contractûs quatuor requiruntur conditiones, scilicet, ut sit 1) de materia apta, 2) ex causa honesta, 3) per subjectum capax, 4) legitimo consensu. Omnes igitur defectus, qui adversantur hisce conditionibus, quemcunque contractum, ac proinde etiam matrimonialem reddunt vel illicitum, vel invalidum, ac vocantur, quando agitur de matrimonio, impedimenta matrimonii, quorum alia sunt *impedientia*, vel prohibentia, scilicet ea, quae matrimonium contrahendum quidem prohibent, contractum autem non dirimunt, alia vero *dirimentia*, quae non tantum matrimonium iniri prohibent, sed etiam jam contractum irritant seu dirimunt.

II. Illae tamen quatuor conditiones, de quibus contractûs alicujus liceitas aut validitas pendet, non tantum a lege naturali et divina, sed etiam a lege humana statuuntur, aut saltem praecisius definiuntur. Quare inter omnes constat, liceitatem et validitatem alicujus contractus modificari etiam ex legibus humanis loci, ubi initur. Idem valet de matrimonio, hac tamen differentia,[2]) ut contractus matrimonialis inter fideles initus, cum

---

[1]) Zallinger, Jus naturale. §. 177, 178.

[2]) Sic etenim Ecclesia semper tenuit et adhuc tenet, cum causas matrimoniales nonnisi ad judices, ecclesiasticos spectare, pro dogmate habeat, legibus a potestate civili desuper conditis nullam in matrimoniis vim in-

ob Sacramentum illi annexum exemtus sit foro civili, ac penitus pertineat ad forum ecclesiasticum, a lege tantummodo ecclesiastica prohiberi ac irritari valeat, nullatenus autem lege mere civili. Hoc clare innuit Conc. Trident. in sess. 24. c. 12., definiendo: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit;"[1]) ac nuper Pius IX. S. P. in allocutione habita 27. Sept. 1852, pronuntiavit, „spectare ad Ecclesiae potestatem, *ea omnia decernere*, quae ad idem matrimonium *quovis modo* possunt pertinere".

III. Neque tamen, dum lex ecclesiastica matrimonium irritare valet, sequitur, ut hoc modo ab Ecclesia mutetur aliquid de materia et forma Sacramenti divinitus instituta, siquidem Christus Dominus non quemcunque contractum matrimonialem inter fideles initum ad Sacramentum elevavit, sed illum solum, qui neque legi naturali, neque divinae, neque ecclesiasticae adversatur; ac proinde stricto sensu *legitimus* est ex omni parte.[2]) Quare talis contractus matrimonialis, qui irritatur auctoritate ecclesiastica, non amplius in se continet materiam et formam ad Sacramentum matrimonii requisitam, ideoque a taliter contrahentibus neque Sacramentum, neque matrimonium perfici potest. Lex igitur ecclesiastica invalidat directe ac proxime contractum tantum naturalem, hocque modo, materia et forma Sacramenti deficiente, remote et indirecte, impedit etiam Sacramentum.[3])

---

esse doceat, et quoad matrimonium suis legibus sancte accurateque parendum esse declaret, ex quarum utique executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur ac justa consociatio. Instr. Past. Eyst. p. 272.

[1]) S. Thom.: „Quia Sacramenta Ecclesiae, quale etiam est matrimonium, humanis legibus non subduntur." IV. dist. 42. quaest. 2. a. ad 4. cf. Bulla Pii VI. 28. August. 1794. incip.: „Auctorem fidei". prop. damn. 58, 59, 60.

[2]) „Cui scilicet Ecclesiae et si omnia Sacramenta sunt commissa, *potissime* Sacramentum conjugii commissum est regulandum propter varietates, quae circa hoc Sacramentum incidere possunt, et propter morbum annexum, qui est maxime infectivus, et minime tenens modum; et ideo ipsius Ecclesiae est, gradus cognationum limitare, sicut pro tempore expedire debet, et personas legitimas et illegitimas judicare." S. Bonav. brevilog. de matrim. ad finem.

[3]) „Sic nihil immutat Ecclesia a Christo praescriptum et determinatum,

IV. Potestas ecclesiastica, statuendi ejusmodi impedimenta, saltem dirimentia, est penes Summum Pontificem, et de facto ei soli reservata. — Laymann. Covar. Castrop. et communiter. Ratio est, quia, cum constitutio haec impedimentorum sit res gravissima, merito a supremo Ecclesiae capite provenire debet; constatque hoc ipsum ex continua praxi Ecclesiae. Haec impedimenta nonnisi generalibus canonibus a Summo Pontifice aut generali Concilio, ejus auctoritate confirmato, decerni solent; et tam etsi Papa per particularem sententiam possit hic et nunc ex justa causa matrimonium tanquam invalide contrahendum interdicere quibusdam, non tamen facile utitur hac potestate. Laymann, Navarr. Sanchez, Leurenius et alii.

Quaesita:

Quaeritur 1°): An principes seu magistratus saeculares, saltem ii, qui habent potestatem absolutam ferendi leges, suis subditis statuere matrimonii impedimenta dirimentia possint?

℟. Distinguendum erit 1) num principes seu magistratus sint fideles an infideles, 2) num haec impedimenta statuantur pro fidelibus subditis an infidelibus. His praenotatis dicimus: 1) certum est, principibus christianis non esse potestatem, statuendi impedimenta dirimentia respectu fidelium sibi subditorum, ex ratione supra data; 2) sententia communis est, principibus christianis et infidelibus esse potestatem, impedimenta etiam *dirimentia* statuendi infidelibus sibi subjectis. Ratio est, quia matrimonium infidelium non est Sacramentum, sed contractus mere civilis; hinc, sicut infideles potestati legislativae suorum principum ac magistratuum subjecti sunt quoad alios contractus, ita etiam quoad matrimonium; poterunt proinde isti, si ita bonum reipublicae commune videatur exigere, certam formam et solemnitates matrimoniis illorum praescribere, eosque ad ea contrahenda habilitare vel inhabilitare. 3) Probabilius, imo certum est,

---

sicut ille nihil immutaret (nisi remote et improprie) qui vino, quod a Christo determinatum est pro valida materia consecrationis in Eucharistia, tantum affunderet aquae, ut omitteret praedicatum vini usualis." *Pichler*, de matr. tit. 1. n. 96.

principes infideles aut magistratus statuere non posse impedimenta pro fidelibus sibi subjectis, contradicentibus tamen Sanchez et paucis aliis, innixis rationi, quia Ecclesia subtrahere non potuit jurisdictionem in hac parte infidelibus principibus; sed ratio haec non stat, quia negandum est omnino, potestatem impedimenta statuendi Ecclesiae advenisse ex supposito assensu vel conniventia principum christianorum,[1] sed potius dicendum est, illam potestatem esse traditam Ecclesiae a Christo Domino, auctore hujus Sacramenti.

Quaeritur 2°): Quid igitur sit sentiendum de obligatione subditorum proveniente ex impedimentis ab auctoritate civili de matrimonio statutis?

℟. 1) Certum est ex dictis, illa nunquam posse dirimere fidelium matrimonia, si iisdem obstantibus nihilominus contraherentur.[2] 2) Etiam, antequam matrimonium initum sit, illa civilia impedimenta in conscientia non videntur tam stricte obligare, quam impedimenta impedientia ab Ecclesia statuta, quae nimirum communiter sub gravi vetant, ne matrimonium, hujusmodi impedimento obstante, ineatur; principes enim et magistratus licite quidem matrimonia fidelium prohibere possunt ob bonum publicum; sed plerumque illae prohibitiones non aliam obligationem in conscientia inducunt quam leges mere poenales, unde non tam impedimenta impedientia, sed potius *poenalia* sunt habenda.[3]

---

1) Haec opinio damnata est, ut disciplinae eversiva et haeretica in Bulla Pii VI. „Auctorem fidei" n. 59.

2) „In Praxi Ecclesia semper valida habuit matrimonia canonice contracta, quodcumque obstaret impedimentum civile." Instr. Past. Eystett. Decisio S. C. C. 1. Junii 1824.

3) „Valeantne leges aut statuta Principum saecularium, quae poenas decernunt circa personas matrimonium contrahentes? Resp. Non est arduum decernere; Valent siquidem, si adjuvent leges Ecclesiasticas, quibus matrimonia vel prohibentur, vel irritantur; non valent, si versentur circa matrimonia, quae legibus ecclesiasticis prohibita vel irritata non sunt. Ratio prioris conclusi est: quia non excedit limites potestatis saecularis, in transgressores legum ecclesiasticarum poenas et supplicia statuere.... Ratio posterioris est, quia, dum actus ex regulis ecclesiasticis et ss. Canonibus licitus esse supponitur, indignationem et vindictam principis saecu-

Quaeritur 3°) an per consuetudinem induci possint nova impedimenta dirimentia, et abrogari jam constituta?

℟. Triplex est sententia; *prima* minus probabilis vim istam consuetudini denegat; *secunda* requirit, ut hujusmodi consuetudo ad introducendum impedimentum *expresse* sit approbata a summo Pontifice; *tertia* denique et probabilior consuetudini, etiam non *specialiter* a summo Pontifice approbatae, modo rationabilis et legitime sit praescripta, tribuit vim introducendi nova hujusmodi impedimenta, et consequenter etiam abrogandi. — Suarez, Sanchez, Gonzal. Clericat. Schmier, Schmalzg. Leuren. Benedict XIV. — Confirmatur ex cap. 3. tit. 11. cog. spirit. X., ubi ad quaestionem, an personae quaedam conjungi valeant, necne, respondetur, inquirendam esse Metropolitanae et aliarum Ecclesiarum vicinarum consuetudinem, quin requiratur, ut ista a Sede Apostolica sit approbata. Hinc fieri potest, quamvis rarissime, ut ex diversa alicujus Ecclesiae particularis consuetudine in aliqua provincia legitime obstet impedimentum, quod alibi non viget, ac vice versa.[1]) Addit tamen Van-Espen, non facile consuetudine impedimenta *dirimentia* induci, unde taliter inducta potius impedientia, quam dirimentia habenda sunt, donec aliter manifeste probetur.

§. 10.

De Divisione ac numero impedimentorum.

I. Impedimenta matrimonii praecipue dividuntur

1) in impedimenta *impedientia* et *dirimentia.*

2) in impedimenta in lege *naturali, divina* positiva, et *ecclesiastica* fundata.

laris non reformidat." Schmier. lib. 4. tr. 2. c. 1. n. 88. Cardinalis de Luca, ad Concil. Trid. disc. 26. n. 35. — Pichler tit. I. de matr. n. 96. Knopp. §. 1.

[1]) Anno 1634 Clerus gallicanus in Comitiis declaravit, veterem esse consuetudinem in Galliis et legitima praescriptione (?) stabilitam, ut regiae sobolis principes, praesertim viciniores haeredes non possint sine regis consensu matrimonium valide contrahere. Van Espen, de matr. tit. 13. n. 21. Knopp p. 11.

3) Impedimenta et dirimentia et etiam impedientia subdividuntur in *privata*, et *publica*; juris *privati* sunt quae respectu singulorum contrahentium inducta fuerunt eorumque jus privatum tuentur; juris *publici* sunt ea, quae ratione ipsius Sacramenti et status matrimonii ejusque sanctitatis constituta sunt atque bonum commune reipublicae christianae vindicant.

4) in *absolute* vel *relative* dirimentia, prout aliquis incapax est matrimonii omnino cum quacumque alia persona, aut duntaxat cum hac et illa, sed non cum aliis.

II. Impedimenta *impedientia* ex hodierna Ecclesiae Disciplina reducuntur ad quatuor, videlicet:

Ecclesiae Vetitum, tempus, sponsalia, Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri,
Sponsalia sunt juris privati, cetera juris publici.

III. Impedimenta *dirimentia* pro illis regionibus, ubi Decretum Conc. Trid. de clandestinitate receptum est, enumerantur quindecim, pro aliis, sublato clandestinitatis impedimento, quatuordecim,[1]) nimirum:

---

[1]) Scholastici reducunt ea ad duodecim, ac sic inter se connectunt: „Quia conjunctio matrimonialis debet esse ex libero consensu procedens ad copulationem personarum distantium in unam matrimonii legem, et hoc potest duodecim modis impediri, hinc est, quod duodecim sunt impedimenta matrimonii, quod patet sic: Ad matrimonialem namque consensum requiritur libertas *in consensu*, et libertas *in consentiente*, et *idoneitas* ad conjunctionem. Sed libertas in *consensu* tollitur per duo, secundum duas partes involuntarie, scilicet per ignorantiam et per violentiam. Et sic sunt duo impedimenta, sc. *error* et *violentia*. Libertas autem in consentiente tollitur per hoc; quod quis est alligatus alteri, et hoc, vel Deo vel homini. Si Deo, hoc est, vel per votum *expressum*, vel per aliquid, quod habet votum *annexum*. Primum ut in voto, secundum in ordine. Si autem homini, hoc est dupliciter, aut per *ligamen existens*, aut per *ligamen praecedens*. Primum est in ligamine, quo quis ligatus est uxori; secundum est in crimine, quando moechus vel moecha machinatus est in mortem conjugis, vel ipso vivente fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, sc. *votum*, *ordo*, *ligamen*, et *crimen*. Idoneitas autem ad unionem est distantia personarum conveniens, quae tollitur per nimiam *proximitatem*, aut per nimiam

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus * et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec redditur tuto;
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

IV. Ex his spectant ad impedimenta *juris privati:*
1) Error, 2) vis et metus, 3) conditio, 4) impotentia.

Ad impedimenta vero *juris publici* pertinent:
1) Aetas, 2) Ligamen, 3) votum solemne, 4) ordo, 5) cognatio naturalis, spiritualis et legalis, 6) Affinitas, 7) Honestas, 8) Crimen, 9) Raptus, 10) Disparitas cultus seu defectus baptismi. — 11) Clandestinitas.* — His additur a pluribus 12) Vetitum summi Pontificis.

§. 11.
De subjecto impedimentorum.

I. Distinguendum est inter varia impedimenta; impedimentis enim, quae ex jure naturali et divino positivo sunt inducta, subjecti sunt omnes plane homines; res est explorata; nam ab observatione legis naturalis et divinae nemo omnino, qui sit rationis compos, excipitur; unde per se sequitur, ut matrimonium obstante impedimento ligaminis, impotentiae etc. a quibuscunque, etiam ab infidelibus contractum invalidum sit ac proinde dissolvendum, si ita juncti ad fidem Christianam transeant, non obstante

---

elongationem. Nimia autem proximitas venit sive per generationem, sive per aliquid simile generationi, ut est cognatio legalis aut spiritualis; aut venit per commixtionem sexuum, aut per contractionem sponsalium. Et sic sunt tria impedimenta, sc. cognatio, affinitas, et publicae justitiae honestas. Nimia autem distantia aut attenditur quantum ad ea, quae sunt naturae, ut cum non possunt commisceri carnaliter; aut quantum ad ea, quae sunt fortunae, quae non sunt in nostra potestate, ut patet, cum est unus *servus* et alter *liber*; aut quantum ad ea, quae sunt religionis Christianae, ut cum unus baptizatus, alter vero minime. Et sic sunt tria impedimenta, sc. *impotentia* coeundi, error *conditionis*, et *disparitas* religionis. Ac per hoc sunt in universo duodecim impedimenta, quae Spiritu sancto dictante introducta sunt in Ecclesia Dei. S. Bonav. breviloq. p. 6. c. 13. Simili modo S. Thom. suppl. q. 50. a. 1.

quacunque lege civili ac consuetudine, quia nulla lex humana aut consuetudo praevalere potest contra legem naturalem et divinam.

II. Quod autem illa impedimenta, quae proveniunt ex solo jure ecclesiastico, attinet, certum est, infideles vel non baptizatos illis non esse subjectos, quia cum Ecclesiam per baptismi januam nondum sint ingressi, legibus Ecclesiae non arctantur. Hinc de illis Apostolus: „Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare" 1. Cor. 5, 12. Infideles tamen, ut supra annotavimus, praeter impedimenta in jure naturali et divino fundata probabilius etiam ligantur a legibus *civilibus* matrimonium dirimentibus, quia ipsorum matrimonium, ut alius contractus civilis, jurisdictioni civili subjectum est.

III. Similiter constat, omnes Catholicam fidem profitentes, ubicunque terrarum degunt, non solum impedimentis ex jure naturali ac divino, sed aeque ex jure ecclesiastico provenientibus omnino affici ac ligari; [1]) nemo enim dubitat, quin Catholici per universum orbem terrarum subjecti sunt jurisdictioni spirituali Ecclesiae et summi Pontificis, sicut in ceteris, sic etiam in illis, quae statuit circa matrimonium. [2])

IV. Controversia autem agitata est olim inter auctores, num Acatholici baptizati pariter ac Catholici subjecti sint impedimentis matrimonii ecclesiasticis, ita, ut illorum conjugia, cum tali impedimento dirimenti inita, invalida sint; atque plures auctores probati *negative* responderunt. Sed hodie res explorata est, Acatholicos baptizatos a cunctis impedimentis ecclesiasticis omnino ligari, excepto tamen a pluribus impedimento clandestinitatis. Rationem hujus sententiae Benedictus XIV. in bulla „Singulari nobis" §. 11 et seq. 9. Febr. 1749 clare exposuit his verbis: „Deinde, inquit, id etiam compertum est, eum, qui baptisma ab haeretico rite suscepit, illius vi Ecclesiae catholicae membrum effici — et §. 14. postremo exploratum habemus ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint in qua bona a

---

[1]) Excipe impedimentum clandestinitatis dirimens ob clausulum specialem in Decreto additam.

[2]) Pius VI. in bulla „Auctorem fidei" prop. 52.

malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaerent, illos quidem Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, non tamen *ab ejus auctoritate et legibus* liberari.“ Deinde in eadem Bulla matrimonium inter Judaeum quendam et mulierem protestanticam, de quo quaestio erat, invalidum esse declaravit propter impedimentum disparitatis cultus, quo obstante illud initum fuerat; nemo autem ignorat, hoc impedimentum esse mere ecclesiastico jure statutum.

In alia declaratione, quam idem summus Pontifex dedit 1741 de obligatione impedimenti clandestinitatis in Hollandia, statuit quidem, matrimonia Acatholicorum in illa regione sine observatione decreti de clandestinitate valida esse, addidit tamen hanc clausulam „*Dummodo aliud non obstiterit impedimentum canonicum*,“ unde sequitur, matrimonia Acatholicorum obstante alio impedimento *canonico* inita omnino invalida esse.

In facultatibus quinquennalibus Episcopis Germaniae nec non Americae concessis a Sede Apostolica inter alias etiam haec facultas conceditur, ut in matrimoniis jam contractis *cum haereticis conversis* etiam in secundo simplici et mixto gradu cognationis (quod est impedimentum ecclesiasticum) dispensare valeant. Unde concludendum erit, nullam consuetudinem his legibus de matrimonio inter Acatholicos contrariam habendam esse legitime praescriptam, summo Pontifice, quacunque occasione data, reclamante.

Idem senserunt Patres Concilii Tridentini, qui ad Decretum de clandestinitate clausulam, ut illud impedimentum singulos fideles non obstringeret ante specialem promulgationem in qualibet paroecia, addiderunt ad evitandum taliter inter alia etiam hoc incommodum, ne inter haereticos, qui huic decreto non parerent, obstante hoc impedimento matrimonia omnia invalida fierent.[1]) Hinc Patres Concilii Acatholicos etiam hoc novo impedimento ligatos, ubique habuissent nisi addita fuisset illa clausula.

V. Quaeritur denique, quid sit tenendum de impedimento *clandestinitatis*, inducto ex decreto Concilii Tridentini. Sententia

---

[1]) Pallavicini Historia Conc. Trid. lib. 22. c. 8. n. 10.

valde communis est, huic impedimento Acatholicos non esse subjectos, innixa inprimis in declaratione Benedicti XIV. supra citata de dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia contracta, 4. Nov. 1741, qua universaliter definitum esse fautores hujus sententiae censent, hoc impedimentum non obstare matrimoniis, quae iniri solent sive inter haereticos ex utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum et catholicam feminam ex altera, aut viceversa, non observata forma a s. Concil. Trid. praescripta; verba declarationis sunt haec: „Licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse, aeque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super ejusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino, ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura advertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque, matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat, utrumque conjugem ad catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem quo antea conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex conjugibus, sive masculus sive femina, convertatur, neutrum posse, quamdiu superstes erit, ad alias transire nuptias. — De mixtis matrimoniis autem sic statuitur: „At si forte aliquod hujus generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas sua matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex conjugibus, donec alter eorum super vixerit, nullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae novum matrimonium

inire.“ Ex hac ergo declaratione a plurimis concluditur, generatim et universe sublatum esse effectum decreti Conc. Trid. de clandestinis nuptiis pro Acatholicis; sed hoc conclusum esse valde dubium, immo erroneum, facile apparet, tota declaratione bene perpensa. Jam enim in supra relatis S. Pontifex declarationem ad dictas foederatas Belgii provincias restringit, multo magis autem haec restrictio ex §. 4. et 5. ejusdem declarationis apparet, ubi accurate circumscribuntur provinciae et loci, quos hanc declarationem vult Sanctitas sua complecti, addita insuper clausula §. 5. de aliis regionibus Sanctitatem suam nihil de novo decernendum aut declarandum esset duxisse, volentem, ut de iis, juxta canonica juris communis principia probatusque in similibus casibus editas a s. Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur.“ [1]) — Hunc esse sensum hujus declarationis, confirmatur ex responso S. Cong. C. ad Episc. Rosnaviensem die 20. Aug. 1780 declarante, illam provisionem Benedicti XIV. donec per s. Sedem Apostolicam aliter declaratum non fuit, tanquam pro non extensa ad Hungariam ab omnibus censendam esse. Idem patet, saltem quoad matrimonia mixta, inita forma Trident. non observata, ex Brevi Pii VIII. 25. Martii 1830 ad episcopos Rhenanos „qui quoad illas conjunctiones jam initas sine parochi praesentia, episcopis illis necessarias facultates delegavit, ut malis exinde ortis, magna saltem ex parte, mederi valerent; atque declaravit, matrimonia mixta

---

[1]) Ratio, quae procul dubio movit Bened. XIV. ad cautius et minus aperte huic quaestioni respondendum, percipi potest ex Resp. S. C. C. ad episcop. Rosnav., monentis eundem Episc.: „Matrimonia haereticorum inter se coram ministro haeretico inita, ita a te oportet dissimulari, ut super eorundem validitate seu invaliditate ab omni prorsus abstineas nedum ferendo judicium, verum etiam promovenda disputatione, ex qua non tam utilitatis fructus, quam offensionis et periculi metus in catholicae religionis perniciem foret expectandus.“ — Idem monet deinde Conc. de matrimoniis mentis. — Denzinger, *Enchirid.* p. 379, 380. Vide simile responsum in Boekhn. lib. 4. tit. 3. 35. p. 93. Declaratio tamen Benedictina extensa fuit ad Quebecensem Dioecesim a Clemente XIII. die 29. Nov. 1764, et a Pio VI. die 19. Martii 1785 ad omnes dioeceses Hiberniae.

post hac, videlicet a 25. Martii 1830 in illis dioecesibus, non servata forma a Trid. praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habenda esse, irritans hoc modo Apostolica auctoritate effectum Decreti Conc. Trid. pro illis locis. — Quis autem non videat hoc Breve fuisse superfluum, si citata provisio Benedicti XIV. generatim et universe esset intelligenda. Hinc dicendum erit, etiam impedimentum clandestinitatis obligare juxta sensum Sedis Apostolicae Acatholicos aeque ac Catholicos in illis locis, ubi Decretum Conc. Trid. de clandest. matr. rite est promulgatum, neque postea retractatum, uti a Benedicto XIV. pro Hollandia et a Pio VIII. pro dioecesibus Rhenanis concessum est. Quod confirmatur ex Rescripto recenti S. Rom. et univers. Inquis. Congregationis, ad quam dubium de matrimonii mixti validitate, quod coram ministro Acatholico, parocho Catholico non praesente, initum erat, delatum fuit. Eminentissimi Inquisitores Generales, antequam in re tanti momenti quidquam decernerent, in Comitiis fer. IV. die 24. h. m. habitis decreverunt, antea esse inquirendum, num in illa civitate N. (ubi dubium matrimonium celebratum est) fuerit decretum Conc. Trid. cap. 1. sess. 24. de reform. matr. rite promulgatum in singulis paroeciis, utrum tempore ejusdem promulgationis in ea civitate exstarent haeretici, qui suos haberent ministros et ecclesias, an potius subinde supervenerint. — Cum ab Ordinario illius civitatis responsum sit, Concilii decretum rite fuisse promulgatum in omnibus paroeciis, illoque tempore ibidem non fuisse haereticos cum propriis ministris et ecclesiis, sed subinde subvenisse, ex Decreto S. Congreg. Inquis. 26. Januarii 1853 declaratum est, illud matrimonium fuisse irrite initum ob impedimentum clandestinitatis.[1]) — Quod autem ex hoc decreto certum est de matrimonii inter Acatholicum virum ex una parte et feminam catholicam ex altera in illis locis, ubi viget Decretum dictum Conc. Trid., idem valet de matrimoniis

---

[1]) *Knopp*, Eherecht. 2 edit. p. 305; Eadem Congregatio S. Inquisit. in alia causa, in una Monacensi, 1851, idem respondit. *Haringer*, p. 239. — Vide Cas. XLIII.

inter haereticos ex utraque parte in iisdem locis initis, si quidem, si Acatholici non essent subjecti huic impedimento, etiam matrimonia mixta sic contracta valida essent habenda, namque exemptio, qua pars Acatholica frueretur, alteri parti Catholicae communicaretur propter indivituitatem contractus ex regula admissa in jure civili et canonico, ut docet Benedict. XIV. in synod. Dioeces. lib. 6. 6. 12. — Haec conclusio confirmatur per declarationes S. C. C., quas refert Boeckhn.; Congregatio enim die 26. Sept. 1602 declaravit: „Haereticos quoque, ubi Decretum est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.“ Similiter decretum est 19. Jan. 1605, et iterum 1676; die 4. Augusti 1725 eadem congregatio in causa comitis de Lippe acatholici, qui matrimonium more protestantico cum muliere ejusdem sectae inierat, hoc matrimonium ob impedimentum clandestinitatis invalidum fuisse declaravit ac confirmavit ejusdem secundas nuptias cum catholica muliere observata forma Conc. Trid. initas, quamvis superstite adhuc priore muliere acatholica.[1])

[1]) „Denique accedit, ait Boekhn., famosissima declaratio, quae nondudum in causa comitis de Lippe acatholici qui suum prius more Lutheranorum contractum matrimonium nullum declarari petiit, et cum alia catholica quadam ritu debito contrahere constituit, illud s. Congreg. rescriptum de 2. August. 1725 obtinuit: „Cum nonnullis abhinc annis contractum fuerit in Franconia, et in loco, in quo Concil. Trid. fuit acceptatum, matrimonium inter Comitem Fr. Chr. de Schaumburg et Lippe sectae lutheranae et ejusdem sectae mulierem, non praesente parocho catholico, sed juxta ritum et praxin Protestantium, acceptaque a muliere fuga ad partes Angelicas fuerit praedictum matrimonium nullum declaratum ab Episcopo Paderborniensi et Monasteriensi unacum ejus suffraganeo Episcopo Thiabitae, et simul Comiti data facultas transeundi ad alia vota juxta authenticum, quod adnectitur, documentum, idem Comes humillime supplicat pro dictae sententiae confirmatione. Die 4. Augusti 1725 S. Cong. C. censuit dandum esse decretum editum 26. Sept. 1602 et a s. Pontifice confirmatum tenoris sequentis, videl. „haereticos quoque, ubi decretum C. Trid. est publicatum, teneri talem formam observare et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis contracta coram ministro haeretico vel magistratu loci, nulla atque irrita esse. —

Hinc, non obstante auctoritate gravium auctorum, dicere licet, esse moraliter certum, acatholicos baptizatos cunctis impedimentis ecclesiasticis esse subjectos aeque ac catholicos, etiam impedimento clandestinitatis, ubi non fuit expresse retractatum, postquam semel in aliquo loco rite erat promulgatum. — Illi enim auctores posuerunt fundamentum suae sententiae in praesumpto consensu S. Pontificis; cum autem ex relatis declarationibus et decisionibus de contrario constet, illud fundamentum cessat, ac ipsorum opinio (ni omnino fallor) longius probabilis vocari non potest.

§. 12.

De dubiis impedimentis.

I. Si quaeritur de dubiis impedimentis impedientibus, principia theologiae moralis de conscientia probabili simpliciter sequenda erunt, si quidem in illis agitur de licito vel illicito tantum. Cautius autem procedere oportet in dubiis impedimentis dirimentibus, quia in hoc casu non tantum quaeritur de licitate, sed etiam de validitate matrimonii. Hinc distinguere debemus 1) num dubium de aliquo impedimento obstante matrimonium antecesserit an jam contractum supervenerit; 2) num sit dubium juris, an facti; dubium juris existit, si consideratis omnibus dubium maneat de lege, jure, obligatione et solum probabile sit, pro hoc

---

Unde prorsus perspicuum est, in Curia Romana continuata annorum serie, et toties, quoties ea quaestio fuit proposita, hujus generis matrimonia pro nullis fuisse habita. Quapropter non subsistit communis responsio, quae solet objici illis antiquioribus declarationibus, nempe: quod illo tempore, quo nondum ita invaluit Acatholicorum potentia, ut hodie, majori rigore s. Congreg. usa sit, et postea per alias in objectionibus oppositas declarationes inde recesserit. Enim vero posterioribus etiam, imo ultimis temporibus et annis eundem sensum s. Congreg. fuisse, aperte constat ex dictis, adeo, ut haec postrema declaratio de 4. Aug. 1725 se referat ad primum de 26. Sept. 1602, et vigore ejusdem Declar. memoratus Comes vivente illa, quam sine praesentia Parochi Catholici duxerat, cum alia servatis servandis solemnitatibus nuptias contrahere fuerit permissus, quod quidem Exemplum Urbi et Orbi notum est." — Jus Can. lib. 4. tit. 3. p. 93. — Conf. Pignatelli, consult. 79. n. 26. tom. 5. et consult. 104. tom. 8.

casu impedimentum matrimonii in jure non esse statutum, licet oppositum quoque sit probabile; dubium facti, si de lege vel in hoc casu, de impedimento certo quidem constet, dubium autem sit, num haec vel illa persona subjecta sit huic certo impedimento; 3) num dubium impedimentum sit de naturali, divino, vel ecclesiastico jure.

II. His praenotatis dicimus: 1) Si ante matrimonium contractum *dubium juris* obstet de impedimento dirimente ecclesiastico, matrimonium non tantum valide, sed etiam licite iniri potest. Ratio est, quia libertas matrimonium ineundi est in hoc casu in possessione, neque potest tolli lege dubia, quia lex dubia nihil efficit, ac proinde matrimonium aliter validum irritare nequit, unde taliter contrahens judicium practicum sibi formare potest, se sub talibus circumstantiis ab illa lege, etiamsi existat, tamen non ligari. Objicitur, matrimonium esse Sacramentum, in conferendis Sacramentis autem probabilem de valore Sacramenti opinionem sequi, relicto tutiori, esse damnatum ab Innocentio XI. Respondemus, materiam et formam in hoc casu non esse per se dubiam, sed solummodo, inquantum illa per legem ecclesiasticam invalida redditur, quod autem in hoc casu locum non habet, cum lex dubia nihil efficiat, vel, ut melius dicit S. Ligor., defectus suppleatur in hoc casu ab Ecclesia. 2) *Cardenus* et *Pichler* idem existimant, si agatur de impedimento ex lege naturali seu divina proveniente; sed potius distinguendum erit inter legem naturalem et divinam positivam; in priori casu materia et forma Sacramenti in se naturaliter dubia fit, ideoque, hoc dubio existente, inepta est (extra casum necessitatis) ad conferendum Sacramentum juxta damnatam propositionem, in secundo autem casu, quando dubium juris obvenerit de lege divina positiva, fortasse idem dicere licet, quod tenemus de dubia lege ecclesiastica; h. e. quia lex dubia nihil efficit, contractus naturaliter validus manet certa Sacramenti materia et forma.[1]) 3) Si

---

[1]) Haec sententia confirmari videtur responso Urban. VIII., quod citat Pichler; Rogatus enim a P. Joan. de Lugo, postea Cardinali, circa matrimonia Indorum Neophytorum, an polygamiae assueti possent post suam

dubium juris matrimonium jam contractum supervenerit, tunc per se patet, standum esse pro valore matrimonii, donec aliter probetur.

III. Si dubium *facti* obstet ante matrimonium, sive de impedimento naturali, sive divino, sive ecclesiastico. — v. g. si dubites, et tibi tantum probabile sit, te cum Bertha esse in tertio gradu consanguinitatis conjunctum, vel si dubites, num uxor a te separata jam sit defuncta, non licet matrimonium cum Bertha in priore casu, vel cum alia femina in secundo, contrahere, antequam impedimentum certo sublatum fuerit vel per dispensationem, si fieri potest, vel per eventum rei, et si contraxeris absque sublato dubio, matrimonium fit dubium et manet dubium, donec impedimentum obstans remotum esse certo constet, unde sequitur, ut neque tibi liceat vivere in hoc matrimonio, neque transire ad alia vota. Dico 1) *non tibi licet;* et hoc est a) certum, si altera pars ignara sit hujus dubii, quia tunc, hoc agendo, graviter decipitur; b) et etiam, si ambo contrahentes conscii sint hujus dubii, quia Sacramentum periculo frustrationis temere exponunt, ac plerumque occasionem proximam peccati sibi invicem comparant. Dico 2) *si contraxeris, neque in matrimonio vivere, neque ad alia vota transire poteris;* et hoc valet a) de utroque contrahente, si uterque conscius fuit ante contractum matrimonium illius dubii, quia quoad jus ad usum matrimonii stricte sunt sequenda principia de jure vel dominio acquirendo; qui autem incipit dubia fide possidere, certum jus, utpote mala fide secundum quid agens, non acquirit, ac proinde illo quasi suo uti non potest, donec dubium tollatur; ad alia vota transire non poterunt, quia matrimonium sic contractum non penitus est nullum,

conversionem contrahere cum quacunque baptizata prius sibi juncta, vel utrum adstringatur ad eam, quam primo in uxorem duxerat (dubium enim erat inter D. D. an eorum matrimonium, quod inierant cum prima, fuisset verum et validum ratione veri consensus) respondit Urbanus VIII. „ut, ubi Doctorum sententiae utriusque probabiles intercederent, sequerentur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores, et sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem.“ Pichler, Jus Canon. de matr. §. 2. n. 100. — Conf. Cas. XXIX, XXX.

sed dubium, ac proinde utrique ad contrahendum aliud matrimonium manifeste obstat dubium ex hoc matrimonio proveniens impedimentum ligaminis; b) si autem unus conjugum tantum dubia fide, alter bona fide matrimonium inierit, ille, qui dubia fide egit, ut patet, non habet jus ad usum matrimonii, ac proinde non potest debitum petere, sed potest, immo debet reddere alteri, qui bona fide contraxit, quia hic ratione contractus bona fide initi est possessor bonae fidei, adeoque habet jus petendi, et utendi re, quamdiu eam bona fide putat esse suam.

IV. Si dubium supervenerit matrimonium bona fide ab utroque contractum, communis sententia est, conjuges, dubio exorto, non posse neque petere neque reddere debitum, antequam adhibuerint sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam; si autem, post examen sufficiens institutum, adhuc persistat dubium, petere et reddere utrique licet. Ratio est, quia generaliter loquendo bonae fidei possessor, si dubitet rem esse suam, et post sufficiens examen nequeat dubium deponere, potest non tantum rem detinere, sed etiam illa uti, tanquam sua, seu eam alienare; etiam in hoc casu valet axioma: „In dubio melior est conditio possidentis", et: „In dubio nemo privandus est jure semel legitime acquisito". Non est periculum formalis fornicationis, quia stante hoc dubio speculativo de valore matrimonii potest simul consistere judicium practicum, quo prudenter, ex adductis axiomatibus, judicatur, licitum esse hic et nunc usum juris conjugalis legitime acquisiti. — Idem est dicendum, si unus conjugum dubia, alter bona fide matrimonium contraxit; si huic, bona fide possidenti, dubium obvenerit post matrimonium, non potest neque petere neque reddere debitum, antequam diligentiam sufficientem adhibuerit ad veritatem cognoscendam; examine autem instituto, etiamsi dubium permanserit, jus legitime acquisitum non amittit, ac proinde altera pars, ut antea potest ipsi, immo debet reddere debitum. Denique, si uterque conjux bona fide matrimonium iniit, postea autem uni tantum supervenit dubium de valore, ille ex iisdem rationibus ante adhibitam diligentiam jure matrimonii, ut re sua, amplius uti non potest, sed alteri non dubitanti debitum reddere potest et debet; adhibita

tamen diligentia, et adhuc persistente dubio, iterum et reddere, et petere poterit. Sic probatissimi auctores, Sanchez, Schmalzgruber, Wiestner, Bosco, Reiffenstuel, S. Liguori, et alii.[1])

---

[1]) In casu, si *dubium sit de morte prioris conjugis*, Sanchez sic resolvit: 1) Conjux, qui tali dubio contraxit, nullo pacto petere potest, tenetur tamen reddere alteri bona fide petenti. 2) Potest tamen ille, qui bona fide contraxit, dum non dubitat de matrimonio, reddere et petere. Quia, cum bona fide pacificus possessor sit, potest uti plene matrimonio, licet reddere non teneatur. Si autem dubius fit, non poterit reddere nec petere ante adhibitam diligentiam; non petere, quia non potest uti re quam dubitat esse suam; non reddere, quia alter non habet jus justitiae ad petendum, nec possessionem. Adhibita autem diligentia, et manente eodem dubio potest petere et reddere, quia jam est licitus sibi usus. — lib. 2. disp. 42. n. 2. 4.

Tractatus II.

De impedimentis impedientibus in specie.

§. 13.

Notiones praeviae.

I. Impedimenta impedientia, quibus obstantibus matrimonium valide quidem, sed graviter illicite initur, sunt leges ecclesiasticae, in hunc finem conditae, ut removeantur et arceantur a Sacramento et statu matrimonii deformitates quaedam, quae, quamvis legi naturali aut divinae jam sint aliquatenus contrariae, non tamen, neque per se, neque per legis ecclesiasticae dispositionem, matrimonium irritum reddunt, sed duntaxat illicitum. Hinc Ecclesia etiam in his impedimentis, stricte loquendo, nihil novi quidem praecipit aut prohibet, sed id, quod lex naturalis vel divina insinuat, distinctius definit, atque obligationem illud observandi lege speciali gravius urget.

II. Deformitates, quas Ecclesia his impedimentis tollere nititur, consistunt partim in violatione juris alieni, nimirum quando matrimonium initur cum violatione sponsalium vel voti, partim in defectu debitae considerationis ac pietatis in celebrando matrimonium, idquod locum habet in matrimonio tempore feriato, vel contra vetitum Ecclesiae contracto. Hinc, generatim haec impedimenta sunt instituta, ut matrimonium juste, considerate ac religiose ineatur.

III. Numerus illorum olim major fuit ante Concilium Tridentinum; juxta hodiernam disciplinam quatuor enumerantur, ut supra annotavimus, ceteris per consuetudinem plerumque legitime abrogatis. Consultius enim habuit Ecclesia, obligationes ex illis provenientes restringere ad evitandas illas deformitates, quae gravioris sunt momenti, relinquens caetera, ut honestum fiat

conjugium in omnibus, pietati fidelium ac zelo pastorum animarum. Praeterea addendum est, in illis locis, ubi Decretum Conc. Trid. circa matrimonia clandestina non est receptum, clandestinitatem matrimonii hisce impedimentis esse adnumerandum, quae communiter cum aliis sub impedimento vetiti Ecclesiae comprehenditur.

I. De Sponsalibus.[1]

§. 14.

De natura Sponsalium in genere.

I. Sponsalia ex triplici ratione caute sunt tractanda, videlicet 1) quia inducunt obligationem naturalem ad matrimonium contrahendum cum illa persona, quacum juste semel sunt inita; 2) quia constituunt impedimentum impediens quoad matrimonium cum alia tertia parte. 3) quia causant impedimentum dirimens publicae honestatis, et sub quadam conditione etiam ligaminis, saltem in foro externo.[2]

II. Cum matrimonium inducat gravissimas obligationes, a quibus, illo semel valide contracto, contrahentes nullo alio modo liberari possunt, nisi partialiter per obitum unius partis, rationi consentaneum est, promissionem ut primum gradum ad illud perficiendum, non parvi existimari momenti; unde apud plerasque gentes hujusmodi promissio a legislatoribus speciali cura tractata esse traditur; ac proinde Ecclesia catholica, postquam causae matrimoniales ad ipsius forum per elevationem matrimonii ad dignitatem Sacramentii traditae fuerunt, illam antiquam consuetudinem, praemittendi matrimonio sponsalia, non modo approbavit, sed etiam per leges speciales cuncta, quae ad illa attinent, distincte definire studuit.

---

[1]) Sponsalia a spondendo dicta sunt; nam moris fuit Romanis, ut uxorem ducturus illam ab eo, sub cujus cura et potestate erat, v. g. parentibus, tutoribus, in matrimonium datum iri stipularetur, et nuptum daturus sponderet, i. e. sponte promitteret. Hinc quae spondebatur, *Sponsa*, cui spondebatur, *Sponsus*, qui spondebat, *Sponsor*, dies, quo spondebatur, *Sponsalis*, totus vero is apparatus et contractus, *Sponsalia* appellabantur. Schmalzgr. tit. I. 1.

[2]) Vide Casum XXXVI.

III. Causae praecipuae, ex quibus Ecclesia sponsalia tuetur, sunt 1) ut matrimonium maturiore consilio ineatur; 2) ut sponsi tempore intermedio valeant se praeparari ad gratiam Sacramenti; 3) ut securius possit cognosci, an aliquod sit impedimentum; 4) ne vilem maritus habeat datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.[1]) (S. Aug. lib. 8. conf. c. 3.) — Veruntamen, quamvis Ecclesia sponsalibus minime adversetur, sed potius illa juste contracta omni modo tueatur, nulla lege requiritur, ut illa necessarie matrimonio praemittantur.[2]) Econtra, cum sponsalia, praesertim clandestina, multis substent periculis et sub inani spe nuptiarum non raro innocentes animae seducantur, plurimaque mala ex contractu de se honesto saepe proveniant munus erit pastorum, fideles occasione data docere de hoc periculo apertissimo, in quo illi imprimis versantur, qui sponsalia, matrimonio futuro jam nimis longe distante, leviter ineunt, ab iisque sedulo retinere.[3])

§. 15.
De definitione Sponsalium.

Sponsalia sunt promissio futuri matrimonii vera, voluntaria ac deliberata, mutua, signo sensibili expressa inter personas determinatas et de jure ad contrahendum habiles. Requiritur ergo: 1) *promissio;* non enim sufficit simplex animi propositum; 2) *vera et seria,* i. e. ex animo; secus esset nonnisi fictio promissionis; in foro tamen externo ad vitandas fraudes censentur verba menti conformia, juxta axioma: „Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit;“[4]) 3) *voluntaria et deliberata* sc. ea diliberatione facta, quae sufficiat alias ad peccatum mortale committendum; unde invalida sunt sponsalia inita per vim vel dolum alterius, aut per errorem circa substantiam aut substantialem conditionem;[5]) 4) *mutua* i. e. cum reciproco con-

---

[1]) Instruct. past. Eyst. p. 262.
[2]) Schmalzgr. Schmier. Wiestner contra paucos.
[3]) Instruct. past. Eyst. p. 264.
[4]) L. Labeo. 7. dig. de supellect. leg. XXXIII. 10.
[5]) Conf. Cas. XLVII.

sensu et repromissione, qua deficiente nulla sunt sponsalia; 5) *signo sensibili expressa;* omnis enim contractus per aliquod signum celebratur; hoc autem signum debet esse de futuro; nam sponsalia de praesenti inducunt matrimonium ratum, ubi Decret. Conc. Trid. de Clandestinitate non viget, ubi autem illud est receptum, hujusmodi sponsalia clandestina de praesenti juxta plures declarationes S. C. C. ne vim quidem sponsalium habent pro puberibus; 6) *inter personas determinatas*, h. e. unum et unam: hinc, si quis duabus simul indeterminate promitteret, se unam fore ducturum, haec non essent sponsalia. 7) *Inter personas habiles;* i. e. quae tum aetatem ad ineunda sponsalia a jure praescriptam habeant, tum nullo impedimento prohibeantur, ne nunc vel postea matrimonium inire valeant. Nihil differt, num impedimentum obstans sit dirimens, an duntaxat impediens.[1]) Quoad aetatem a jure praescriptam ad validitatem sponsalium septennium completum requiritur.

Quaesita:

Quaeritur 1°) quomodo sit agendum cum iis, qui fictitie praetendunt iniisse sponsalia?

℟. 1) *In foro interno* dicendum, illos graviter peccasse; neque autem obligatos esse ad matrimonium contrahendum per se, ex vi hujusmodi sponsaliam, sed ex justitia in hoc casu, si is, cui facta est ejusmodi promissio, patiatur inde damnum aliquod, quod aliter resarciri non potest, nisi contracto matrimonio. 2) *In foro externo* fictio probari debet, et donec probetur, praesumentur verba concordare menti, ac proinde inducere vera sponsalia, quae obligant ad matrimonium, quamvis pars altera damnum non passa sit; 3) si fictitia sponsalia ad usuram corporis impetrandam fuerint adhibita, communiter sic distinguitur; a) si fictio ex circumstantiis facile deprehendi potuerit, talia sponsalia obligationem ad matrimonium non inducunt; b) si autem talis fictio facile deprehendi non potuerit, controvertitur; plerumque autem, quidquid est de valore sponsalium, corruptor ex justitia ad defloratam ducendam obligabitur;[2]) praesertim in illis

---

[1]) Excipe bannorum publicationem; ratio patet ex natura hujus impedimenti. — Cfr. Cas. XXXVI.

[2]) Sic *Lessius*. — Conf. Cas. XLVII.

locis, ubi decretum circa matrimonia clandestina non viget, quia ibi sponsalia, copula subsecuta, in ipsum matrimonium transiisse de jure praesumuntur, donec aliter probetur.

Quaeritur 2°): Quid dicendum, si quis sponsalia inierit, quin cogitet vel sciat, illa graviter obligare?

℟. Dicendum, illum vera contraxisse sponsalia, atque iisdem obligari, dummodo animadverterit, de quo contraxit, quia, si id sciverit, ille praesumitur cogitasse et scivisse de gravi obligatione saltem *in confuso.*

Quaeritur 3°): An, ut promissio sponsalia inducat, sufficiat, eam ab altera parte simpliciter acceptari sine repromissione?

℟. *Negative* probabilius. Ratio est, quia promissio matrimonii cum aliquo ineundi potest esse gratuita, neque repugnat, ut aliquis se obliget ad ineundum cum alio matrimonium, quin ad idem obligetur altera pars, cui promittitur. Promittens in hoc casu tenetur ex vi simplicis promissionis tantum, promissarius autem nullam omnino incurrit obligationem. Excipe tamen, si ex acceptatione per circumstantias repromissio sufficienter indicetur. — (Knopp, Schmalzg.)

Quaeritur 4°): An promissio sponsalitia possit esse mere interna?

℟. *Negative*, ut patet ex natura contractus; potest autem consensus exprimi non solum per verba formalia, sed etiam virtualia, et quaecumque alia signa externa, etiam per internuntium, seu procuratorem, et per epistolas. Verba tamen debent esse promissoria de futuro, et *affirmativa,* unde per talia, v. g. Nullam ducam praeter, vel nisi te, vel, non ducam uxorem, vel si aliquam ducam, te ducam" etc. non inducunt sponsalia; quia, ut Canonistae dicunt, talis formula promissionem futuri matrimonii non tam refert, quam excludit. *Excipe*, si ex circumstantiis appareat, affirmativum sensum illis inesse.

Hinc taciturnitas sponsi vel sponsae ad oblatas nuptias non sufficit ad obligationem sponsalium inducendam, nisi in casu, si a parentibus sponsalia quasi filii seu filiae nomine contrahentur, sive ille vel illa sit praesens sive absens. Ratio est, quia in utroque casu filius vel filia, si non consentiat desponsationi sui,

ne parentum dicta aut acta contemnere videatur, ubi intelligit factum, mentem suam exponere tenetur; igitur, si tacet, et factum sibi displicere non exprimit, praesumitur consentire. Hoc autem ex juris dispositione non valet de fratribus, cognatis, tutoribus in illorum nomine similiter agentibus.

Quaeritur 5°): An sponsalia valide ac licite iniri possint modo clandestino?

℟. *affirmative, valide ac licite.* Ratio est, quia sponsalia clandestina, jure naturali per se valida, nulla lege positiva neque divina neque ecclesiastica sunt irritata aut prohibita. — Ita communiter Cardinalis Consalvi, in rescripto ad Baronem de Wessenberg, Administratorem tunc Dioeces. Constant. die 15. Oct. 1817, inter alia etiam hoc reprehendit, quod ille administrator contra sensum et disciplinam Ecclesiae statuisset, sponsalia, ut sint valida, nonnisi aliqua solemnitate et formalitate contrahi posse.[1]) Quamobrem viribus omnino caruere quaedam constitutiones tum synodales, tum civiles, respicientes sponsalia clandestina, utut justae et sanctae viderentur, atque ad graves eliminandos abusus latae fuisse apparuerint. Tanta enim potestas nec episcopis, nec potestati alicui civili inesse potest, extendendi ad sponsalia clandestina decretum Concilii Tridentini de matrimoniis clandestine contractis emanatum.[2])

Quaeritur 6°): Quid dicendum de dubiis sponsalibus?

℟. Dubium supervenire potest sponsalibus triplici modo, 1) quando illa ab initio ex aliquo defectu naturali, deficiente scilicet libero consensu propter errorem vel vim vel metum, aut aetate nondum completa, dubio obnoxia sunt; 2) quando altera pars negat, altera affirmat illa esse inita; 3) quando de causis juxta canones ad dissolvenda sponsalia requisitis non satis constat. His praenotatis dicendum est: In tribus his casibus, si nullo modo certitudo obtineri potest, judices ecclesiastici meminerint, in dubio pro libertate a sponsalibus vel pro eorum dissolutione

---

[1]) Knopp 344.

[2]) Prop. 50. pseudosynod. Pist. damnata a Pio VI. — Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 12. c. 5.

sententiam esse ferendam, ob eam singularem rationem quod, cum matrimonia debeant esse libera, pars repudians monenda est potius, quam cogenda, cum „coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere“.[1]) — Insuper notandum est, si controversia de initis sponsalibus ad judicem defertur, partem affirmantem onus probandi habere, et quidem per testes omni exceptione majores, quibus deficientibus juxta Canones nunquam tamen causam dicenti juramentum ad probationem deferendum est.[2])

§. 16.

De effectibus sponsalium.

I. Tres sunt, ut jam innuimus, praecipui sponsalium effectus, videlicet:

1) Ex jure naturali, urgente insuper lege ecclesiastica, sponsalia rite contracta gravem inducunt obligationem matrimonium contrahendi tempore in contractu praefixo; si autem nullum tempus fuerit determinatum, quam primum una pars rationabiliter exigit. Ratio patet S. C. C. declaravit in casu particulari: „Monendi sunt sponsi, ut factis sponsalibus *quam primum* contrahunt matrimonium per verba de praesenti coram parocho et testibus, ne sponsae hoc stupri periculum subeant.[3])
2) Sponsalia inducunt impedimentum *impediens* matrimonium seu prohibens, ne matrimonium cum alia persona *licite* contrahatur, nisi sponsalia legitime facta fuerint legitime dissoluta; constat ex jure naturali; existit enim gravis obligatio justitiae, standi contractus oneroso juste inito; si quis autem, non obstante illo impedimento, matrimonium contrahat, validum quidem erit, non tamen licitum.
3) Sponsalia inducunt impedimentum dirimens publicae hone-

[1]) Cap. ex litt. 11. X. de spons. impub. IV. 2. Berardi Comment. in Jus Can. p. III. p. 50. Knopp p. 322. — Van-Espen, p. II. sect. I. tit. 12. c. 2. de spons.

[2]) Cap. Mulier 34. X. de jurejur. II. 24. Knopp 347. cf. Cas. XLV. Cas. XLVI.

[3]) Knopp p. 350. cf. Cas. XLVII.

statis, qui effectus, solutis etiam sponsalibus, perdurat, dummodo valida et absoluta fuerint.[1]) (Vide infra de imped. publicae honest.)

II. Ad hos praecipuos effectus in locis, ubi decretum Conc. Trident. de clandestinitate non est promulgatum, alius accedit, nempe sponsalia causant matrimonium ipsum, quod contractum praesumitur, si post sponsalia de futuro inita copula carnalis habeatur a sponso cum sponsa. Ita omnes, Sanchez dicit: „Juxta jus antiquum sponsalia de futuro transeunt in matrimonium *verum* quidem, si animo conjugali; *praesumptum* autem, quando fornicario haberetur copula, adeo, ut probata copula et sponsalibus praesumeret matrimonium Ecclesia cogeretque ad illud.“[2]) Schmalzgruber[3]): „Jure antiquo sponsalia de futuro per subsecutam copulam carnalem transibant in matrimonium (prout sumitur ex cap. veniens 15 et c. is, qui h. t.).“[4]) Ratio est, quia Ecclesia ex carnali copula praesumit in sponsis conjugalem consensum ad excludendum peccatum, quod scilicet sponsus et sponsa non fornicario, sed maritali affectu se invicem cognoscere voluerint, quia delictum non est praesumendum. Estque praesumptio ista *juris et de jure*,[5]) h. e. omnino certa et indubitata,

---

[1]) Vide Cas. XXVI.

[2]) Lib. 3. disp. 40. n. 7.

[3]) De sponsal. §. 2. n. 116, 117.

[4]) Is, qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta etsi in facie Ecclesiae ducat aliam et cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, *contra praesumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda.* Ex quo sequitur, quod nec verum nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum. Decret. Greg. IX. lib. IV. tit. 1. c. 30. — Adolescens, qui desponsatum sibi per verba de futuro, licet saepe nisus sit, carnaliter non cognoscens, cum alia postmodum per verba de praesenti contraxit, non primam, cum qua nec fuit verum matrimonium ex forma contractûs, nec *praesumptum, cum conatus non habuisset effectum* sed secundam debet habere uxorem. l. c. c. 32. conf. eod. l. c. 15.

[5]) Ut plenius intelligatur sensus terminorum, non superfluum erit ex probato Canonista illorum explanationem addere; videlicet: 1) quid sit praesumptio juris et de jure? Praesumptio juris et de jure est, quando jus

contra quam non admittitur probatio; consequenter, ubi jus hoc antiquum viget, non audiretur sponsus asserens, se sponsam non maritali, sed fornicario solum affectu cognovisse, et si matrimonium contraheret postea cum alia, compelleretur ad hanc deserendam, et adhaerendum primae. Habet tamen praesumptio ista locum solum in foro externo, non vero interno conscientiae; nam in hoc judicatur secundum rei veritatem, et non secundum praesumptiones, si his aliud quid praesumatur, quam habeat rei veritas. Hinc si sponsus sponsam revera non maritali, sed fornicario affectu cognovit, in foro poenitentiali, et coram Deo non esset matrimonium, quia Papa non potest facere, ut sine consensu expresso vel tacito sit verum matrimonium (Faynan). Videtur tamen talis conscientia obligatus esse, ut eam in legitimam uxorem accipiat, non solum ratione fidei in sponsalibus datae, sed etiam, quia cogetur in foro externo cum ea cohabitare, quod sine periculo laesionis conscientiae nequit.

Casus: „Dum Titius contractis sponsalibus cum Anna, ea invita contraxit sponsalia cum Maria, et deinde utramque cognoscit, copula illa habita cum Maria non potuit esse signum contracti cum ea matrimonii, quia sponsalia cum ea fuerint nulla;

---

ex gravibus et praegnantibus indiciis aliquid infert, ac pro veritate tam certo credat, *ut nullam penitus in contrarium admittat probationem.* — Praesumptio juris est conjectura seu opinio, concepta a judice ex circumstantiis, quae singulariter notantur et exprimuntur in jure. — Praesumptio juris tantum est, quando jus aliqua indicia et argumenta assumit, eaque tam diu pro veris reputat, donec vel adversarius ostendat contrarium, vel praesumptio debilior per fortiorem enervetur. — Schmier, Jurisp. Canonico — curl. lib. 2. c. 8. §. 3. 18. §. 4. 29. 2) Quid operetur praesumptio *juris et de jure?* Resp. Praesumptio juris et de jure *plenissime* probat, *exclusa in contrarium probatione*, quia haec praesumptio in juris dispositione est elevata ad supremum genus probationis, cum intersit reipublicae, ob publicam quietem lites finiri; potuit vero jus hoc disponere, cum omnes probationes, excepta rei evidentia nitantur praesumptione juris, et ab eo robur accipiant; neque enim duo testes vel instrumentum publicum plene veritatem probarent, nisi jus ita statueret, cum etiam hisce posset subesse et frequenter subsit falsitas. l. c. sect. 2. §. 3. n. 60.

copula vero illa cum Anna habita potuit esse signum contracti cum illa matrimonii; licet enim habuerit voluntatem recedendi ab ejus sponsalibus contrahendo sponsalia cum Maria, de facto tamen non recesserit, et copulam cum ea habens, censendus est praedictum contractum approbasse, et attentatum recessum emendasse." [1])

§. 17.

De dissolutione sponsalium.

I. Obligatio sponsalium, etiam juramento firmatorum, ex *utraque* parte tollitur et extinguitur:

1) per consensum, mutuo etiam sine causa revocatum.
2) per dissensum unius partis, pubertatem adeptae, si impubes contraxit; tempore autem impubertatis solvere prohibetur.[2])
3) per susceptionem ss. ordinum vel professionem religiosam.
4) per dilationem nimiam ultra terminum praefixum, certe a parte culpam et moram non committente.[3])
5) per impedimentum matrimonii superveniens.
6) per conditionem appositam non impletam.

II. *Una* vero pars tantummodo potest resilire, si voluerit, quando ad id altera pars ipsi causam praebuerit:

1) per matrimonium cum alia persona valide, etsi illicite, initum, quia supervenit impedimentum ligaminis; ex parte tamen ita contrahente manet obligatio, parti laesae satisfaciendi ac damna resarciendi.
2) per fornicationem alterius partis, sponsalia subsequentem aut antecedentem, ignoratam tamen.[4])
3) per discessum in alias terras inscia aut invita altera parte ac diuturnam in iis absentiam aut nimiam nuptiarum dilationem.
4) per ingressum in noviciatum Ordinis religiosi.[5])

---

[1]) Cantropul. Pont. Leuren.
[2]) Cap. de illis 7. X. de despons. impub. (4. 2.)
[3]) Cap. de illis 5. X. de spons. et matr. (4. 1.). S. C. C. 2. Oct. 1723.
[4]) Cap. Quemadmodum 25. X. de jurejurando (2, 24).
[5]) Cap. veniens 5. X. Qui clerici et vov. (4. 6).

5) per sponsalia cum alia persona inita, licet haec eo ipso sint invalida.[1])

6) Licitum quoque est uni, resilire, si ex parte alterius notabilis mutatio in bonis sive animi sive corporis sive fortunae contingat, quae si fuisset cognita, contractus non fuisset initus.[2])

III. Haec mutatio, qua contingente una pars licite potest resilire, esse potest:

1) ex parte animi, si altera pars in haeresin incidat, ratione criminis de jure vel facto infamis fiat aut asperiores induat mores vel si scandala aut jurgia gravia inter parentes vel ipsos sponsos oriantur ita, ut nonnisi funestos successus timere liceat.

2) ex parte corporis ob morbum contagiosum vel incurabilem vel ob deformitatem notabilem supervenientem.

3) ex parte bonorum fortunae, si sponsa pactam dotem afferre nequeat aut alterutri, etiam sine culpa gravis inopia aut jactura bonorum gravissima superveniat.[3])

Quaesita:

Quaeritur 1°) an sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis haereditas?

℟. Affirmant nonnulli. Ratio est, quia idem status inter utrumque non amplius existit, et si sponsus hanc mutationem fortunae praevidisset, nullo modo cum tali sponsa contrahere voluisset. Hanc sententiam satis probare videtur S. Ligorius, n. 876, licet oppositam communissimam vocet; a qua propterea abscedere (ait) nec unquam ego consulere auderem. (Gury.)[4])

Quaeritur 2°): An etiam per impedimentum dirimens superveniens, de quo dispensari solet, sponsalia dissolvantur, v. g. si sponsus cum sorore sponsae copulam habuit?

℟. Etiam in hoc casu sponsalia eo ipso dissoluta sunt, quia jus nullam statuit exceptionem; sed fieri potest, ut pars culpabilis,

---

[1]) Cap. Quemadmod. l. c.

[2]) Cap. Quemadmod. l. c.

[3]) Cas. XLVI.

[4]) Knopp dicit, priorem sententiam neque in re ipsa, neque in jure satis esse fundatam. p. 377.

praesertim quando impedimentum sit occultum, obligetur ad impetrandam, in quantum ad ipsum spectat, dispensationem. [1])

Quaeritur 3[o]): Num sponsalia inita sub conditione obtinendae dispensationis impedimento aliquo dirimente vel impediente sint accensenda sponsalibus conditionatis?

℟. Negative. Ratio est, quia, impedimento supposito, illi sunt inhabiles ad matrimonium, ideoque ad nihil aliud se obligaverunt promissione inter se inita, quam ad impetrandam dispensationem. Insuper S. C. C. 12. Decemb. 1733 et 26. Jan. 1709 jam declaravit, talia sponsalia esse irrita; unde stante tali promissione, utraque pars *valide* ad alia potest transire sponsalia, et etiam *licite*, si altera pars nullum inde patiatur damnum, aut tale damnum alio modo resarciatur. [2])

II. Votum simplex.

§. 18.

I. Ille, qui emittit votum quodcunque, gravem incurrit obligationem illud exequendi, neque aliquid voluntarie ponendi, quod adversatur illius executioni. Hinc qui emisit votum aliquod, cujus objectum incompatibile est cum matrimonio, sub gravi prohibetur, ne matrimonium contrahat; ergo tale votum impedit matrimonium seu reddit illicitum, non autem invalidum, quia votum simplex neque per se, neque per dispositionem aliquam juris positivi habet vim legis irritantis, sed mere prohibentis tantum. [3])

II. Vota, quae in jure, ut matrimonio adversantia expresse notantur, sunt haec quatuor nimirum a) votum perpetuae castitatis, b) votum sacri ordinis, c) votum ingrediendi ordinem

---

[1]) Knopp p. 356. cf. Cas. XLIV.

[2]) Inst. pastor. Eyst. p. 265. Knopp 338.

[3]) Lib. 3. tit. 15. in sexto — excepto tamen voto simplici, quod emittitur in societate Jesu, cui ex constitutione ecclesiastica (positiva) vis matrimonium irritandi addita est, videlicet ex constitutione Gregorii XIII., quae incipit „Ascendente". — Conf. Cas. XLIX, LVIII. non autem dirimit, sicut votum solemne, matrimonium jam contractum, non consummatum.

religiosum, d) votum coelibatus seu non nubendi. — Haec quatuor vota per se quidem coincidere videntur, dum in voto non nubendi, sacrum ordinem suscipiendi vel religionem ingrediendi jam votum perpetuae castitatis contentum esse videatur. Attamen inter se distinguuntur, quatenus videlicet voventis intentio aut praecise et primario ad s. Ordinem aut ad religiosum statum, licet cum animo, quondam in s. Ordine vel religione emittendi votum castitatis, feratur, aut *directe* abstinentiam a licitis connubiis vel perpetuam castitatem ut talem Deo offerat; quae quatuor objecta profecto inter se distincta sunt.[1])

III. In hoc conveniunt haec quatuor vota, ut, illis ligati, graviter peccent matrimonium contrahendo; sed cum eorum objecta sint diversa, ac proinde opponantur diverso modo officiis matrimonii, hinc diversam relationem inducunt ad matrimonia sine dispensatione posthac illicite inita. Vota, ut per se patet, non dissolvuntur matrimonio illicite contracto, sed potius taliter contrahens incurrit obligationes novas vi justitiae, quae opponuntur eorum objectis, atque obligationi ex voto provenienti praevalent, siquidem titulus justitiae commutativae aliis praecedit. Hinc obligatio ex voto praecise in tantum suspenditur, in quantum adversatur obligationi justitiae, ex matrimonio contracto proveniente, ac non aliter; unde

1) qui cum voto perpetuae castitatis matrimonium contraxit, graviter peccavit contrahendo, quia executionem voti sui saltem perfectam sic sibi impossibilem reddidit, altera parte obtinente titulum justitiae, petendi debitum; sed quia matrimonii obligatio non omnino voti objecto adversatur, illud observare debet, inquantum fieri potest sine violatione juris alterius; hinc a) infra primum bimestre post matrimonium initum, neque petere, neque reddere potest debitum, cum altera pars hoc tempore non habeat jus strictum petendi. b) postea illi quidem licet reddere, nunquam autem petere, nisi a voto dispensetur. c) debet omnino abstinere, si alter consentiat, vel jus petendi amiserit. v. g. per adulterium,

---

[1]) Instr. past. Eyst. p. 268.

incestum etc.; d) defuncta altera parte ad aliud matrimonium transire nequit, etiam in casu, quo dispensationem pro priore matrimonio impetrasset, quia dispensatio restringitur ad usum jam contracti matrimonii, nisi dispensationem (novam) impetravit.

2) Qui astrictus voto ingrediendi religionem contraxit, graviter peccavit contrahendo, quia violavit ecclesiae prohibitionem; et iterum graviter peccat prima vice matrimonium consummando, sive reddendo sive petendo debitum, quia, donec matrimonium consummetur, executio voti possibilis sit, consummando autem demum impossibilis fiat. Consummato tamen matrimonio absque dispensatione usus matrimonii licitus est, quia non usus, sed potius *ligamen* matrimonii huic voto directe adversatur; defuncta autem altera parte voto religionis satisfacere tenetur.

3) Item dicendum est juxta plures de voto ordines suscipiendi, juxta alios autem ligatus hoc voto post matrimonium semel contractum non tenetur a matrimonii consummatione abstinere, quia jam ligamen matrimonii *rati* executionem hujus voti impossibilem reddit neque obligari potest, ut ingrediatur ordinem religiosum ad hoc ligamen dissolvendum.[1]

4) Votum non nubendi violatur directe per ipsum matrimonium consummatum; eo tamen semel contracto, et de fortiori consummato tum reddere, tum petere potest debitum sine dispensatione; mortuo autem altero conjuge aliae nuptiae prohibentur voventi.[1]

IV. Quando votum simplex matrimonio jam inito emissum fuerit, dicendum, a) quod votum perpetuae castitatis, cujus objectum saltem aliquatenus compatibile est cum obligatione matrimonii, est validum, ac proinde privat voventem jure petendi debitum, ut supra; b) quod votum religionis ante consummationem matrimonii obligat, ut supra, post consummationem autem

---

[1]) Schmalzgruber et alii; de dissolutione ligaminis per professionem religiosam vide infra §. de impedimento ligaminis.

[2]) Sic Instr. past. Eyst., cui assentimur contra *Gury*, qui dicit, mortuo conjuge voventem novum matrimonium contrahere posse.

est irritum sine consensu alterius partis, quia objectum ejus est aliter omnino impossibile, nisi pro tempore soluti matrimonii fuerit factum; c) de voto suscipiendi ordines idem valet ante consummationem matrimonii, quod diximus de voto religionis post consummationem.

§. 19.

III. Tempus feriatum seu sacratum.

I. Ut festa ac tempora festiva quaedam praecipua devotius peragerentur, vetuit Ecclesia, ne in illis fierent nuptiae, quarum celebratio plerumque animos nimia laetitia vana occupat. Hujus legis jam mentio fit in Conc. Laod. a. 365. cap. 52.: „Non oportet in quadragesima aut nuptias aut quaelibet natalitia celebrare;“ [1]) neque desunt, qui censeant, originem illius trahendam esse partim ab admonitione illa b. Pauli in ep. 1. ad Cor. 7, 5, partim a magno illo fervore, quo affecti fuisse primaevi Christiani traduntur in observandis quadragesimae et similibus temporibus anni ecclesiastici. Olim haec prohibitio extensior erat, videlicet ab Adventu Domini, usque ad Epiphaniam, a Septuagesima ad Octavam Paschatis, a diebus Rogationum usque ad Pentecostes, et 3 hebdomadis ante festum S. Joannis B.; sed Concilium Trident.[2]) illud ita restrinxit, ut solummodo interdictae sint nuptiae a I. Dominica Adventus usque in diem Epiphaniae, et a feria IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive.

II. Certum est, *contractum* matrimonii praecise non esse prohibitum hoc tempore sacrato, sed duntaxat solemnitatem ac celebrationem nuptiarum; hoc constat ex verbis, quae inveniuntur in jure, sc.: „Nec liceat nuptias *celebrare*,“ et in cit. l. Conc. Trid.: „*Solemnium* nuptiarum prohibitiones“ etc. Sed difficilius est, exacte definire, quid sit intelligendum inter illas solemnitates omittendas. Omnes in hoc quidem conveniunt, prohibitas esse benedictiones nuptiales infra Missam, et hoc sub gravi peccato; item festivam et publicam sponsae traductionem

[1]) Carranza, Summa Concil. p. 145.

[2]) sess. 24. de reform. matrim. c. 10.

in domum et ecclesiam, convivia splendidiora et alia profanae laetitiae signa. An vero etiam traductio sponsae in domum privata matrimoniique consummatio sit interdicta ex lege ecclesiastica, communiter negatur, contradicentibus tamen aliis non sine gravi ratione, si verba legis antiquae strictae sint interpretationis.[1]) Sed quidquid sit de jure antiquo, attenta canonum rigorosa expressione, hoc certum est, hodie juri antiquo esse derogatum per interpretationem mitiorem consuetudine inductam, cui sententiae etiam Benedictus XIV. consentit, referens S. C. C. ad dubium, an permissa sit traductio sponsae ad domum viri, respondisse: „*Affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitatibus;*" quamobrem, ait idem auctor, nemo in posterum hac de causa nec sibi nec aliis religionem aut scrupulum injiciat.[2])

III. Modus autem, matrimoniis tempore feriato ex consuetudine aut dispensatione admissis assistendi, juxta Benedict XIV. in hoc consistere debet, ut contractus matrimonii ipse in facie

---

[1]) Nec tantum traductionem, quae fit cum solemnitate, sed *quamcunque* traductionem uxoris ad domum viri temporibus hisce vetitam *Prosper Fagnanus* sustinet; idque potissimum eo fundamento, quod temporibus illis *vetita sit matrimonii consummatio*, pluribus auctoribus adductis sic concludens: „ex quibus patet, hanc esse unanimem canonistarum sententiam, quam etiam tenuerunt ex theologis Petrus de Palude, card. Cajetanus, S. Antoninus, et alii relati a Sanchez; eamque probavit S. Congregatio Concilii; nam proposito dubio, an matrimonium coram parocho quocunque tempore contrahi possit? sacra Congregatio censuit, posse contrahi matrimonium quocunque tempore, sed temporibus comprehensis in cap. 10. sess. 24. de reform. matr. nuptiarum solemnitates, traductiones ad domum, et carnalem copulam prohiberi." Van-Espen, Jus Eccl. p. II. sect. 1. tit. 13. n. 16. — (P. Fagnanus per multos annos s. Congreg. Concilii secretarius fuit.) Huic sententiae adstipulatur *Knopp* ex recentioribus, p. 392. et Instr. past. Eyst. p. 267. in not. 4.: „Quae consuetudo, vi cujus parochis prohibitum est, etiam matrimoniis privatis sine solemnitatibus assistere absque licentia Ordinarii, est omnibus ferme dioecesibus communis, ac in jure quoque fundatur; cohabitatio enim ante benedictionem sacerdotalem de jure prohibetur; attamen cum benedictio tempore vetita impertienda non sit, hinc sponsi, hoc tempore contrahentes, *desuper Episcopi dispensatione indigent.*"

[2]) Instr. Eccles. Prosp. Lamb. inst. 80. sub finem.

Ecclesiae fiat, *praemissis denuntiationibus*, quibus nulla lex adversatur, et parochus ritum in rituali praescriptum peragat, excepta Missa pro sponsis et ejus quoque commemoratione nec non benedictione solemni infra Missam posita.[1]) Nec tamen benedictio nec Missa pro sponsis elapso tempore vetito suppleri licet.[2])

§. 20.

IV. Vetitum seu Interdictum Ecclesiae.

1) Vetitum particulare.

I. Sub titulo „Vetiti seu Interdicti Ecclesiae“ cuncta reliqua impedimenta impedientia comprehendi solent, quae in supra dictis nondum sunt contenta; de materiis vero diversis hoc loco agendum est. Primo distinguitur inter Vetitum *particulare* et *generale;* deinde generale subdividitur in quatuor specialia vetita.

Cum enim munus sit superioris ecclesiastici, omni modo impedire, ne sacramentum profanetur neve ex matrimonio contrahendo oboriantur scandala, rixae etc. variae causae aliquando intervenire possunt, ex quibus superior ecclesiasticus potest interdicere matrimonium inter certas personas, *saltem* ad tempus.

II. Convenit inter omnes, hanc potestatem matrimonium interdicendi ex justa causa competere Papae pro universa Ecclesia, et Episcopo pro sua dioecesi, nec non aliis praesulibus, si in certi teritorii clerum et populum jurisdictionem quasi episcopalem obtineant; a pluribus autem dubium movetur, num haec facultas etiam sit parocho proprio sponsorum; ad quod respondendum esse censemus, omnino etiam parochos matrimonium contrahendum posse interdicere, immo *debere*, si adsint illae causae, quae sunt in jure expressae, nimirum

1) si non vana suspicio latentis impedimenti obveniat, vel aliqua persona aliam causam gravem juste opponat matrimonio contrahendo.[3])

---

[1]) Instr. Eccles. l. c.

[2]) S. R. C. 31. Aug. 1839 et 7. Sept. 1850.

[3]) Cap. Cum inhibitio. 3. X. decland. desp. — Schmalzgr. lib. IV. tit. de matr. contra interdict. n. 5.

2) si sponsi reperti fuerint non satis instructi in religionis christianae rudimentis.[1])

III. Vetitum hujusmodi obligat juxta omnes sub gravi; quia est praeceptum Ecclesiae de re gravi; excipit Sanchez, quando sit ex causa levi ad tempus, vel quando sponsis certo constat, impedimentum aut aliam causam, quae timetur et ob quam factum est interdictum, non subsistere; tunc enim, ait, solum obligaret sub veniali. — Nunquam autem vetitum particulare Episcopi seu alius superioris Papa inferioris, nisi aliud obstet impedimentum, irritat matrimonium contra hoc interdictum celebratum. Ratio est, quia, cum hujusmodi praelati non habeant potestatem statuendi impedimenta dirimentia, ipsorum prohibitio matrimonii obstare non potest. Sic etiam in jure definitum est.[2]) An etiam validum sit matrimonium contra vetitum summi Pontificis, vide infra §. 46.[3])

§. 21.

2) Vetitum generale.

a) ne contrahatur matrimonium sine bannorum publicatione.

I. Vetitum generale habetur ex prohibitione in jure definita praesertim in hoc quadruplici casu, scilicet a) ne matrimonium contrahatur sine bannorum publicatione; b) ne contrahatur clandestine etiam in illis locis, ubi decretum Conc. Trid. de clandestinitate non est receptum; c) ne contrahatur inter haereticum et catholicam et vice versa; d) ne contrahatur, saltem juxta plures, sine consensu parentum debite requisito.

II. Multiplex est apud veteres scriptores et in antiquis documentis notio vocabuli *bannum;*[4]) sed, quidquid est, jam pridem,

---

[1]) Benedict. XIV. in epist. encycl. 7. Febr. 1742 vide infra.

[2]) lib. 4. X. interdict. eccl. c. 1. 2. 3.

[3]) Schmalzgr. tit. 16. §. 1. n. 12.

[4]) Bann, bannus, derivatum a voce *ban,* (vexillum) primario significat *coactionem* per vexillum, et cum vexillum sit duplex, militare et judiciale, hinc duplex quoque est ista congregatio sive bannus, militaris et judicialis. *Bannus judicialis* est jurisdictio, cujus signum olim fuit vexillum judiciale; tam *bannus* etiam notat limitem et fines agrorum in banno

praesertim in Gallia et Anglia, *bannum* acceptum est per illa proclamatione seu edicto, quo matrimonium proclamatur seu edicitur, ut si quis futuro matrimonio, quod publice denuntiatur, aliquid opponendum sciat, edicat sive opponat. De origine bannorum Benedict XIV. in Bulla „Paucis adhuc" 19. Mart. 1758 haec scribit: „Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae dioeceseos parociis matrimonia priusquam inirentur, ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter Contrahentes impedimentum nullum subesset, atque inde denuntiationem manavit exordium, quae tum bannum nuncupatae fuerunt. Innocentius III.[1]) ad Episcopum Belluacensem de eadem re sic rescripsit: „Sane quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus contrahere matrimonium, *bannis*, ut tuis verbis utamur, secundum consuetudinem ecclesiae (gallicanae). editis . . . unde apparet, proclamationem bannorum ab ecclesia Gallicana ad ceteras manasse.[2]) Haec denique consuetudo, quae usque ad Concil. Lat. IV. (1215) vigebat in nonnullis partibus ecclesiae, per decretum hujus concilii ad universam ecclesiam extensa est. Intelligens enim Concilium, frequenter contingere, ut contrahendo *clandestine*, ob occultum impedimentum dirimens matrimonia nulliter contraherentur, specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter proroganda statuit „ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesia per presbyteros proponantur competenti termino praefinito, ut intra illum, qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat, et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. . . . Sane si

---

aliquo sitorum, seu ipsum quoque districtum. Deinde *bannus* est exercitium jurisdictionis, edictum, mandatum; bannum ponere, edicere i. e. legem proclamare; bannus = edictum citatorium. — bannire = edicere, citare. Schilteri thes. Gloss. Teut. p. 81, 82.

[1]) Cap. 27. X. de sponsalibus. Van-Espen pars II. sect. 1. tit. 12.

[2]) lib. 4. tit. 3. X. cap. 3. de clandest.

parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut qui libet etiam regularis, qui eis praesumpserit interesse, *per triennium ab officio suspendatur*, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit.[1]) Concilium tandem Tridentinum sess. 24. de reform. matr. cap. 1. non tantum illud decretum confirmavit, sed etiam modum hujus promulgationis praescripsit, statuendo „ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, *ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntientur*, inter quos matrimonium est contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur.[2])

III. Quantumvis autem synodus Tridentina enixe desideret, ne matrimonia sine praeviis proclamationibus contrahantur, noluit tamen ab iis validitatem matrimonii dependere, neque earum omissionem impedimentum dirimens esse, uti declaravit S. C. C. et unanimiter docent auctores; ex altera parte autem certum est, matrimonium sine praeviis denuntiationibus, nisi juste de iis sit dispensatum, esse graviter illicitum, ac proinde tam parochum assistentem matrimonio quam ipsos contrahentes *lethaliter* peccare, si denuntiationes culpabiliter omittuntur. Ita communiter. Sumitur hoc 1) ex verbis tam Conc. Lateran. quam Trident., quod decretum innovans verba similiter praeceptiva adhibet; 2) ex gravitate materiae et finis praecepti; 3) ex gravitate poenarum, quas Conc. Lat. et Trid. contraagentibus infligit; neque refert, quamvis subinde constet, nullum impedimentum subesse, quia lex non desinit obligare, etiam, si ejus ratio in particulari hic et nunc cesset. Plures tamen, ut Sanchez, Barbosa, putant, omissionem unius tantum denuntiationis non esse peccatum mortale, sed alii in hoc casu judicant, talem parochum graviter esse

---

[1]) Neque ipsi contrahentes a peccato et poenis immunes sunt, si sine proclamationibus contrahant, licet matrimonium validum sit, nisi aliud obstet impedimentum.

[2]) „Matrimonium non debet celebrari eo die, quo ultima denuntiatio facta est." Instr. past. Eyst. p. 362. conf. Cas. XLVIII.

puniendum ab Episcopo, quia res haec non debet relinqui parochorum arbitrio.[1])

IV. De modo praescripto denuntiationes faciendi nonnulla sunt speciatim definienda. Ex dictis patet, illas esse regulariter faciendas in Ecclesia, et quidem parochiali, per parochum proprium aut alio sacerdote cum ejus licentia. Si sponsi ad diversas parochias spectant, convenit inter DD. denuntiationes non in una tantum, sed in utraque parochia fieri debere. Colligitur hoc ex verbis Conc. Trid.: „a proprio *contrahentium* parocho", ac confirmatur ex declaratione Congreg. Conc.[2]) et Rituali Romano, statuente „si vir et mulier parochiae sint diversae, in utraque parochia fiant denuntiationes". — Pariter exploratum est inter DD. non esse necessarium, ut semper in eo loco ac parochia, ubi matrimonium celebratur, denuntiationes praecesserint; sed matrimonium potest alibi contrahi cum licentia parochi proprii et ejus delegatione. Ratio est, quia hoc modo universim Concilio Tridentino satisfit, siquidem matrimonia ibidem denuntientur, ubi contracturi matrimonium tempore denuntiationis parochiani sunt.

V. Sed dubium est, in qua parochia fieri denuntiationes debeant, quando uterque vel unus sponsorum antequam denuntiaretur matrimonium, domicilium suum transtulit alio ibique domicilium verum vel quasi domicilium[3]) sibi comparare incipit. Ad solvendam hanc difficultatem distinguendum erit: 1) Num ibi domicilium verum an duntaxat quasi-domicilium de facto habeant; 2) num sponsi in loco, in quo de facto domicilium vel quasi-domicilium habent, jam morati sint tamdiu, ut noti ibidem sint satis, necne. His praemissis dicendum est: 1) Si in loco habitationis jam per unum mensem vel supra morati sint cum intentione domicilium verum vel quasi-domicilium acquirendi, in utroque loco denuntiationes faciendae erunt; secus autem, denuntiatio in loco prioris domicilii fieri debet, in praesenti omitti

[1]) Schmalzgruber lib. 4. tit. 3. n. 6. 7.
[2]) Sanchez, de matr. lib. 3. disp. 6. n. 4.
[3]) De Quasi-domicilio vide infra de impedimento clandestinitatis.

potest [1]) ex rationabili causa. [2]) 2) Si in loco habitationis jam per quinque annos vixerint, denuntiationes fieri debent in utroque loco, si duntaxat quasi-domicilium in loco habitationis sibi acquisiverunt; 3) si autem per quinque annos verum domicilium ibidem habeant, in priore loco denuntiationes omitti possunt. Reiffenstuel, auctor de hac materia probatissimus, sentit, nunquam videri necessarium, ut denuntiationes fiant in loco priore seu nativitatis, quando ipsi sponsi jam per quinque annos in alio versantur loco, ubique ratione domicilii vel quasi-domicilii parochiani effecti sunt, praesertim si locus nativitatis multum distet; pro cautela tamen addit idem auctor, in hoc casu bene facturum parochum, si ab alienigenis juramentum exigat, quod sint liberi ab omni vinculo matrimonii et sponsalium. [3])

Matrimonia *Vagorum* denuntiari debent in loco, in quo celebrantur, et in loco originis, inquantum fieri potest. [4])

VI. Praecipit insuper Concil. Trid., ut proclamationes fiant

a) *tribus festivis diebus continuis* i. e. inter quos non intercedunt alii dies festivi, etsi intercedere possint et juxta plures *debeant* alii dies non festivi, ut, intervallo temporis interveniente, melius detegi valeant impedimenta; neque tamen interpositio unius diei dominicae vel duorum festorum moralem hanc continuationem interrumpere censetur; si vero facta una vel altera proclamatione mora ultra duos menses interjiciatur, eas denuo repeti communis sententia

---

[1]) Knopp, p. 386. §. 36. ubi cit. Giraldi, Expos. jur. Pontif. tom. 3. p. 992. n. 10. 11. et Cardinal. de Lucern. Instr. sur l'administr. des Sacremens. tom. 3. p. 362. Carrière §. 394.

[2]) Instructio pastoralis Eyst. p. 355. §. 2. I.

[3]) Jus Canonico. de hoc tit. n. 14.

[4]) Cum in his regionibus nimis difficile sit, hanc legem stricte observare, hoc ad minimum in statutis dioecesanis insistendum esse nobis videtur, 1) ut denuntiationes semper in *utraque* parochia fieri debeant, si sponsi sunt ex diversa parochia; 2) ut, si sponsi praeter verum domicilium etiam in alio loco quasi domicilium habeant, nec nimis distet, in utroque loco nuptiae promulgentur; 3) ut, si ob nimiam distantiam aut similem causam denuntiationes modo dicto fieri nequeant, defectus suppleatur aliqua cautela, sive per testes, sive per juramentum.

requirit; idem tenendum, si post ultimam denuntiationem ultra duos menses protractum fuerit.[1])

b) diebus *festivis*, i. e. de *praecepto* celebrandis; hinc fieri non debent in festis ex sola devotione observatis, ac multo minus in diebus ferialibus, licet concursus populi habeatur; possunt tamen fieri tempore clauso Quadragesimae et Adventûs.[2])

c) inter *Missarum solemnia*, sc. inter Missam parochialem; propterea faciendae non sunt in Missa privata neque extra ecclesiam post Sacrum solemne, neque inter Vesperas;[3]) possunt tamen fieri diebus festivis, dum cantantur Vesperae; si per oblivionem vel alia de causa omissa fuerint in Missa illius diei.[4])

VII. In mixtis matrimoniis, si sponsi contrahere intendunt coram parocho catholico, cautionibus necessariis datis promulgationes bannorum in ecclesia parochiali partis catholicae fieri possunt ac debent, ut patet ex epist. S. Cong. General. de prop. fide ad Archiepiscopum Baltimorensem die 3. Julii 1847[5]): „Inter decreta Concilii unum invenitur, quod ad proclamationes matrimonio praemittendas spectat, et recte ac laudabiliter Patres statuerunt, legis istius observantiam esse praescribendam, quam Ecclesia saepenumero commendavit et Episcoporum assidua vigilantia urgendam curavit; si quidem hoc remedium efficacissimum est, ut malis, quae orirentur ex matrimoniis nimis *praecipitanter* vel *cum existentia alicujus impedimenti* contractis succurri possit. Constat enim hanc legem ea de causa fuisse praescriptam, ut scandalis occasio praecluderetur; et consuleretur legum ab Ecclesia de matrimonio conditarum custodiae ac sanctitati. Quapropter, cum cautelae loco et veluti prudentiae remedium haec bannorum publicatio haberi debeat, nulla ratio satis firma

---

[1]) Knopp. — 386. §. 37. Card. de Lucerne cit. l. Carrière §. 394.

[2]) S. C. C. apud Ferrari. denuntiat. matr. n. 17.

[3]) S. C. C. 18. Dec. 1589.

[4]) S. C. C. 25. Oct. 1586.

[5]) Concilia Provincialia Baltimori habita ab anno 1829 usque ad annum 1849. p. 252.

videtur obesse, quominus *proclamationes, etiam quando agitur de matrimoniis mixtis,* fiant; quae tamen matrimonia nullo adhibito religioso ritu celebrari oportet.[1])

---

[1]) Huic declarationi adversantur sententiae plurium auctorum, qui alias declarationes proferunt; inter alios *H. J. Feye* dissert. de matrimoniis mixtis in Univers. Lovaniensi 1847 ad dubium, an fieri possint solitae denuntiationes, sic. resp.: „Principium est, fieri eas non posse, neque hic iterum quidquam efficit, quod pro matrimoniis illicitis aliquando toleratae fuerint et tolerentur in nonnullis regionibus; ad summum *tolerantia* invocari potest. . . . Ita jam in dispensatione Pii VI. (a Carrière citata n. 763) dicitur *„omissis solitis denuntiationibus“* (p. 234 addit duos alios casus particulares *cum eadem clausula*). — p. 242, 243. — Idem sentit Knopp, remittens lectorem ad tractatum de mixtis matrimoniis auct. Dr. P. H. Reinerding, Paderborn. 1853. qui evidentissime ostendisse dicitur, proclamationes esse prohibitas. — p. 380. — Idem invenimus in Inst. pastor. Eystettens. p. 357: „In matrimoniis mixtis proclamationes *quidem tolerantur*, hac tamen clausula expressa, ut nulla de religione contrahentium mentio fiat“; citata Instr. Gregorii XVI. P. ad Episcop. Bavariae 12. Sept. 1834. — Quae omnia, ut nemo non videt, contradictorie adversantur declarationi nostrae a Cong. de Prop. Fide datae, quae nullatenus est ambigua. Hinc, nisi suspicamur, citatos auctores in conclusionibus suis ex declarationibus seu rescriptis SS. Pontificum errasse, duplici modo videl. 1) quod attinet dispensationes a Dr. Feye relatas dicendum erit, eos esse casus particulares cum circumstantiis particularibus, ex quibus regula generalis cúm certitudine derivari non potest; 2) quoad declar. Greg. XVI. in hoc error situs esse videtur, quod illi auctores non distinxerunt inter matrimonia mixta, quae, datis cautionibus et dispensatione de vetito Ecclesiae obtenta, ineuntur, et ea, quae sine illis cautionibus contra vetitum Ecclesiae contrahuntur; Gregorius XVI. loqui nobis videtur de his, non de illis, permittens, denuntiationes, etiam fieri posse, si sine dispensatione contrahantur, ad scandala et similia evitanda. Sic enim apparet, si ejusdem Pontificis Breve ad Episcop. Bavariae 27. Maji 1832 confertur cum declaratione data 1834. In priore documento S. P. sic statuit: „At vero si non nunquam contigerit, quod Deus avertat, ut monita et adhortationes hujusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis vir muliere recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias *non petita, seu non impetrata Ecclesiae dispensatione vel debitis cautionibus seu earum aliqua praetermissa, tunc* sane sacri pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua praesentia honestando, sed etiam *a praemittendis eidem proclamationibus* atque a dimissorialibus litteris concedendis...

§. 22.

b) *Ne matrimonium contrahatur clandestine*, scilicet in illis locis, ubi Decret. Concil. Trident. circa matrimonia clandestina non est receptum.

I. Clandestinum, ut nomen ipsum prae se fert, dicitur, quod clam fit, unde matrimonium a pluribus ex duplici ratione clandestinum vocatur, videlicet, 1) si denuntiationes ad perfectam ejus publicationem statutae ab Ecclesia omittantur. 2) si testes deficiant ac proinde clam omnino celebretur. Denuntiationibus jam tractatis nunc agendum erit de clandestinitate in sensu posteriore.

Matrimonia taliter inita juxta plures jam sunt illicita ex lege naturali et divina, ac proinde mala intrinsece; neque tamen absolute, sed *per accidens* nimirum ex ratione periculi, quod ordinarie adjuncta habent, unde, data rationabili causa, et adjunctis particularibus consideratis, naturaliter quidem illicita esse non nunquam cessarent, nisi lex ecclesiastica obstaret, quae illam naturalem obligationem jam a priscis temporibus magis astrinxit, ut patet ex jure Canonico[1]) et ex verbis Conc. Tridentini. Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa (matrimonia clandestina) semper detestata est et prohibuit[2])

II. Neque tamen, quamvis haec matrimonia semper fuerint prohibita, ante Concilium Trid., ut idem Concilium sub anathe-

---

Cum haec verba Summi Pontif. difficultates causassent Episcopis ex legibus civilibus Bavariae, ad illud Breve instructio data est 12. Sept. 1834, in qua ob majora damna rigor legis ecclesiasticae aliquatenus mitigatur, concedendo, *promulgationes tolerari*, etiam in taliter contractis matrimoniis mixtis, ac factis proclamationibus litteras mere testimoniales concedi posse, in quibus, si nullum adsit dirimens impedimentum, unice enuntietur „*nil praeter vetitum Ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis matrimonio conciliando obstare*," unde patet ea matrimonia esse intelligenda, quae sine dispensatione de impedimento mixtae religionis ineuntur." Vide Enchirid. p. 434—36.

[1]) Can. aliter 1. can. nullus. 2. can. nostrates. 3. can. sponsus. 5. X. causa 30. quaest. 5.

[2]) Sess. 24. de reform. matrim.

mate declaravit, irrita sed vera, rata et valida fuerunt [1]) nec non valida permanserunt post Conc. Trid. in omnibus locis, ubi decretum de clandestinitate non rite est publicatum; synodus enim addidit illi decreto matrimonia clandestina postmodum irritanti hanc clausulam: „Ut hujus modi decretum (de clandestinitate) *in unaquaque parochia suum robur post triginta dies* habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos;" unde sat ostendit synodus, se noluisse decretum hoc vim suam habere ad irritandum matrimonium in iis parochiis, in quibus publicatum non fuit, quacunque tamen ratione publicatio impedita fuerit. In hujusmodi ergo locis adhuc jus antiquum de matrimoniis clandestinis viget.

III. Inter omnes convenit, obligationem ex hoc impedimento esse gravem, ideoque graviter peccare generatim contra-agentes; cum autem, ut diximus, hujusmodi matrimonia non absolute esse intrinsece mala hinc ex variis causis justis honesta ac licita fieri possunt. A Canonistis assignantur quinque praecipue casus, in quibus matrimonia clandestina valide et *licite* iniri possunt *videl. in locis, ubi jus antiquum viget,* 1) si ita contrahentes evadere possunt subitum periculum mortis; 2) si timor probabilis esset, ne adhibendo testes matrimonium malitiose impediretur; 3) si expectando testes amitterent sponsi opportunitatem matrimonium contrahendi; 4) si sine gravi damno palam non possent contrahere, v. g. si virgo, sub tutoris potestate constituta, merito timeat, se tradendam viro pravo vel alias indigno ab iniquo tutore; 5) si matrimonium semel publice contractum, sed invalide ob interveniens impedimentum, post impetratam dispensationem clam denuo contrahatur. [2])

---

[1]) Idem patet ex declar. Alex. III. c. quod nobis, 2 de cland. despons.

[2]) Similiter, ex paritate causae, *per se* excusantur, qui in regione haereticorum seu infidelium degentes, matrimonium ineunt coram magistratu civili vel omnino clandestine ob nimiam distantiam loci, ubi inveniri potest sacerdos, non autem illi, qui contrahunt coram ministro acatholico, quia, hoc agendo, quasi facto ipso agnoscunt illum tanquam suum pastorem, et consequenter sectam, quam ille praedicat, tanquam veram (Schmalzgr. lib. 4. tit. 3. n. 117); dixi *per se*, quia taliter contrahentes

VI. In locis, ubi decretum Conc. Trid. non est receptum, ad licite contrahendum matrimonium praeter sacerdotem non rigorose semper duo vel tres testes requiruntur. Ratio est, quia ex jure antiquo tot duntaxat testes necessarii sunt, quot in jure requiruntur, ut matrimonium contractum postea probari valeat. [1]) Jus Canonicum autem regulariter quidem duos saltem requirit testes ad plenam fidem [2]), (non autem plures) sed sunt etiam casus, in quibus unius testimonio plene creditur, v. g. in casu, quo aliquis testatur *de facto proprio*, praesertim si hoc faciat *ex officio* nec interesse habeat ex testimonio. [3]) Unde videtur, proclamationibus factis seu dispensatione de iis juste obtenta, sacerdos ex rationabili causa solus sine testibus matrimonio assistere licite posse, quin peccet contra hoc impedimentum clandestinitatis.

Quaesita:

Quaeritur 1⁰) Quid dicendum de valore matrimonii, quod celebratur in loco, ubi receptum est Tridentinum, ab incolis locorum, in quibus non est receptum?

℞. Incolae locorum, in quibus Decretum de clandestinitate non viget, dum forte morantur, vel transeunt loca, in quibus receptum est Trident., ibidem invalide contrahunt matrimonium non adhibito parocho *proprio* et duobus saltem testibus. [4]) Ratio est, quia quidquid sit de legibus aliis, peregrini et quilibet in

---

plerumque dubia seu mala fide agunt ex erronea conscientia, utpote ignorantes, sub hujusmodi circumstantiis taliter sine peccato matrimonium iniri posse, ac proinde formaliter peccant, quia agunt contra conscientiam.

[1]) Cum . . . fides dubiae rei, nisi testium approbatione, vel legitima confessione, judici fieri non valeat, testes autem . . . de dubiis causis vel negotiis testimonium dicere non valeant, nisi de his, quae sub eorum praesentia facta noscuntur: apparet clandestina conjugia ideo esse prohibita, quin alterum eorum conjugalem affectum se ad alterum habuisse negare voluerit, legitimis probationibus convinci non poterit. [Gratian. ad can. 11. caus. 30. quaest. 5. (Pars II.)]

[2]) c. 4. 23. test. et attest. lib. II. decret. tit. 20.

[3]) Schmier, lib. 2. tr. 3. c. 5. §. 2. Permaneder §. 511.

[4]) Sanchez, lib. 3. disp. 18. n. 26. — Pont. lib. 5. c. 7. §. 6. Castrepat. et alii.

materia contractuum, quoad solennitatem, tenentur contrahere juxta legem et consuetudinem ibi receptam, ubi contrahunt; quia ratione contractus sortiuntur forum loci, ita, ut si aliter contrahant, contractus non subsistat, cum ea sit in unoquoque loco forma substantialis contractûs, quae pro illo praescribitur.[1]) Hinc hujusmodi nupturientes, (nisi sint vagi, h. e. sine ullo domicilio,) matrimonium validum contrahere nequeunt in tali loco sine parocho domicilii sui, seu ejus delegatione, quia ille solus est ipsorum parochus proprius. Si autem alter ex contrahentium sit sine domicilio, i. e. vagus, vel uterque, tunc parochus loci, ubi tempore morantur, habetur uti parochus proprius.[2]) — Si autem domicilium quidem habent, non autem parochum illius loci (domicilii), quia degunt inter haereticos seu infideles, tunc non possunt valide contrahere sine licentia ac delegatione episcopi, ad cujus dioecesim pertinent, quia in tali casu episcopus solus est illorum parochus proprius.[3])

Quaeritur 2°) quomodo agendum sit cum illis, qui, ex utraque parte catholici, matrimonium clandestinum contraxerunt coram magistratu civili vel ministello acatholico?

℟. *ad primum*, illos saltem plerumque, hoc agendo graviter peccasse ac proinde inprimis ad sinceram poenitentiam esse inducendos; deinde sedulo esse investigandum in foro interno et

---

1) Sanchez, l. c. n. 10. Leurenius lib. 4. tit. 3. q. 145.

2) Vide infra tract. 3. de clandest.

3) Die 4. Februarii 1580. Vir et femina unius dioecesis, in qua decretum s. Conc. c. 1. sess. 24. de reform. matrim. non fuerat publicatum, peregrinantes in loca, ubi dictum decretum erat publicatum, inter se secreto, sine parocho, matrimonium per verba de praesenti contraxerunt; mutato proposito redeundi in patriam, in alio loco domicilium constituerunt, cohabitando uti vir et mulier. Dubitatum fuit, an dicantur legitimi conjuges? Sacra Cong. C. resp. *negative* et quod teneantur contrahere juxta formam Concilii in loco domicilii constituti. *Pignatelli*, Consult. Canonist. 5. cons. 79. n. 8. cf. n. 33. ubi dicit, matrimonium a talibus contractum in loco, ubi Conc. Trid. est receptum esse nullum; quia divertendo in locum, in quo non habent *proprium parochum*, se reddunt *impotentes* ad contrahendum; nam sibi reddunt impossibilem formam praescriptam a Concilio servandam in loco, in quo contrahunt.

externo, annon impedimentum dirimens obstet eorum matrimonio; si una pars tantum resipiscat, altera renitente, resipiscens admitti potest ad Sacramenta sine benedictione nuptiali; si utraque resipiscat, confessione peracta benedictionem nuptialem, ut exstat in Rituali, illis dare et licet et expedit [1]), quin tamen renovetur consensus. [2])

℟. *ad secundum*, illos, insuper incurrisse probabiliter excommunicationem propter communicationem cum haereticis in sacris; de ceteris similiter esse procedendum ac cum prioribus.

NB. de curando mixto matrimonio clandestine inito vide §. sequentem.

§. 23.

c) Ne contrahatur matrimonium inter haereticum *baptizatum* et catholicam, et vice versa. (Impedimentum mixtae religionis.)

I. Hoc impedimentum a ceteris impedientibus in hoc potissimum differt, ut, dum cetera sunt defectus matrimonio juxta plerosque intrinseci, rationes, hujusmodi matrimonia prohibendi, sint matrimonio intrinsecae atque ex natura matrimonii quasi perfluant. Hinc jam in antiquissimis conciliis illa fuerunt interdicta. Juxta probabiliorem sententiam [3]) jam ante tempora Constantini M. atque adeo ante Concil. Nicaen. I., quando necdum plene reddita erat pax Ecclesiae, sed adhuc vigebat persecutio, Concilium Eliberinum in Eliberi, Betycae provinciae civitate, in Hispania habitum est ab 19 episcopis, in cujus actis cap. 16. sic habet: „Haereticis, qui errant ab Ecclesia Catholica, nec ipsis Catholicas dandas puellas, sed neque Judaeis neque haereticis dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. „Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.“ [4]) — In Concil. Laodiceno (in Phrygia) circa

---

[1]) *Expedit*, ut reverentia servetur aliquatenus erga Sacramentum matrimonii, et statum matrimonialem.

[2]) Missa autem pro sponsis ac benedictio ex Missali non posse suppleri videtur juxta Decret. S. C. C. cit. §. 19. III.

[3]) Baron. tom. 2. Annal. ad ann. 305.

[4]) Summa Concil. Carranza. p. 82.

ann. 365 similiter statutum est in cap. 10: „Eos qui ad ecclesiam pertinent, indifferenter filios proprios haereticorum nuptiis minime sociare debere“ [1]) et Concil. Chalced. a. 451. can. 13. interdicit, haeretico se conjungere, nisi forte promittat, se ad orthodoxam fidem personae orthodoxae copulandae transferre. [2]) Eodem modo hujusmodi nuptiae quacunque data occasione etiam atque etiam reprobatae sunt a summis Pontificibus in litteris apostolicis a Stephano IV. a 770, Bonifacio VIII. saec. 13, Clemente VI. a. 1346, Clemente VIII. a. 1599, Urbano VIII. 1624, Clemente X., Innocentio X., Innocentio XI, Clemente XI., Benedicti XIV., [3]) Clemente XIII., Pio VI., Pio VII., Pio VIII., Gregorio XVI. — Quibus universis bene consideratis non mirandum est, quod nonnulli veteres auctores [4]) haec connubia cum haereticis magis periculosa habebant, quam conjugia cum infidelibus, adeoque dubitaverint, num hujusmodi nuptiae quibuscunque adhibitis cautelis ita cohonestari valeant, ut licite unquam iniri possint. [5])

---

[1]) Carranza p. 139.

[2]) Carranza p. 265.

[3]) In constitutione „Magnae nobis“ 29. Junii 1748 ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos Poloniae Benedict. XIV. haec gravissima habet verba: „Neque vero necesse habemus, ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas ejus disciplinae, qua semper Apostolica Sedes catholicorum cum haereticis conjugia reprobavit; sed aliqua dumtaxat afferre sat erit, quibus ostendamus eandem disciplinam ac regulam ad nostra usque tempora constanter servatam, apud Nos et Apostolicam Sedem non minus integram vigere et religiose custodiri. . . . Denique ex hactenus dictis aperte constat, in omnibus casibus, quibus facultates aut dispensationes ab Apostolica Sede petantur pro matrimoniis a catholico viro aut muliere cum haeretica femina aut viro contrahendis, eandem Apostolicam Sedem, ut supra diximus, hujusmodi matrimonia, nisi haeresis abjuratio praecedat, et *semper* improbasse, ac damnasse, et *nunc quoque* abominari ac detestari. . . (et ad finem) „detestabiles cum haeretico nuptias“ vocat. — Enchirid. p. 371. et 373. not. 1. 2. 3.

[4]) Fr. *Duysseldorpii Lugiunensis* tract. de matrim. non ineundo cum his, qui extra ecclesiam sunt. *Antwerpiae* 1636.

[5]) H. J. Feye dissertat. de matr. mixt. Cap. I.

II. Causae gravissimae contra illa connubia militantes ad quatuor reducuntur, nimirum

1) *Universim* adest periculum perversionis conjugis catholici, et maxima certe difficultas implendi officia religionis legesque Ecclesiae servandi, una cum summo discrimine haereticae vel certe perversae educationis prolis. Catholica igitur pars, tale matrimonium iniens, ordinarie gravissimum laedit juris ipsius naturae et divini praeceptum, laedit conjugii gravissimam obligationem, praesertim in prolem, in quam crudeliter agit ita contrahens. Huic ergo rationi praecipue institerunt summi Pontifices; plures, iique recentiores Papae, Clemens XIII., Pius VIII. et Gregorius XVI. matrimonia illa etiam oppugnant ob funestissimum, ut vocant, *indifferentissimum*, qui per ea necessitate quadam fovetur, quique impetit dogma catholicum fundamentale, quo unam Ecclesiam catholicam salvificam esse credatur necesse est. Praeterea hoc periculum tam *commune* est hujusmodi nuptiis et quasi inseparabile, ut Benedictus XIV. non dubitet asserere „vix unquam evenire posse, ut ab iis amoveatur“. [1])
2) Maxime obest mixtum conjugium intimae animorum unioni ac individuae vitae consuetudini, quam matrimonium, inter Christianos praecipue, propriam sibi vindicare patet; nam, ut Pius VII. in litteris de 17. Febr. 1809 ad episcopos et Vicarios Galliarum ait: „Praeter gravissimum periculum perversionis illud quoque difficillimum esset, eos in domo unanimes habitare, qui unanimes fide non sint, ex quo quies et tranquillitas familiarum perturbetur ac deficiat necesse est.“
3) Malis praeterea innumeris pars catholica exponit per tale matrimonium seipsum et prolem ex eo quoque capite, quod plures saepe haeretico causae ex ipsius doctrina suppetunt ad dissolvendum matrimonii vinculum, idque eo vel magis, quod civiles leges plerisque in regionibus favent haereticorum placitis.
4) Accedit denique, pessimam in iis matrimoniis haberi cum haereticis communionem in sacris. Qua de re Benedictus XIV,

---

[1]) Synodus dioeces. lib. 6. c. 5. n. 4.

haec habet: „In divinis porro cum haereticis communicant catholici, qui cum iisdem esse matrimonio jungere non dubitant; etenim cum matrimonium unum sit ex septem Ecclesiae Sacramentis, a Christo Domino institutis, idem est, matrimonium cum haeretico contrahere, ac unum idemque Sacramentum una cum eodem vel conficere, si nimirum ipsimet contrahentes sint talis Sacramenti ministri, quod magis communiter opinantur Scholastici, vel saltem percipere si scilicet illius minister sit solus sacerdos. Utrumque autem et illicitum et sacrilegium esse nemo dubitat. [1])

III. Hinc patet matrimoniis mixtis obsistendum esse quam maxime fieri potest, neque tamen nostris praesertim diebus zelo indiscreto, sed *suavi prudentique*, ut monent ipsi S. Pontifices Pius VII. in Brevi, 8. Octbr. 1813, et Pius VIII. de 25. Mart. 1830. Piissima sunt et pulcherrima verba Praesulis Olmucensis, in epist. past. 1833 ad parochos: „Quemadmodum, ait, sollicitus pater filium a matrimonio, quod eidem proficuum non agnoscit, omni quo potest modo dehortatur, et nonnisi ubi omnia caruerunt, cedit, ita et vos . : . agite in eo, de quo loquimur, negotio. Dehortamini, monete, obsecrate, pericula monstrate, et quantum potest rogate, si quis vestrorum intendit tale matrimonium. . . . Quodsi tamen vos non audiunt, permittite quidem eos pro dispensatione . . . accedere, ast studete saltem liberorum salutem per educationem et vigilantiam vestram extra periculum collocare. Si amor animarum, pro quibus Christus mortuus est, fuerit motivum laboris vestri, salus earum praemium vestrum erit.“ [2])

IV. „Quodsi rerum adjuncta aliquando suadeant, ex auctoritate Apostolica ea esse permittenda, inprimis curandum erit, ut conscientiae securitati et libero religionis exercitio a Catholica parte consulatur, sicut et prolis utriusque sexus in fide catholica educationi solemni coram Deo promissione iis de rebus emissa; *secus nullatenus licebit sacerdoti iis connubiis adstare.*“ [3])

---

[1]) Synod. Dioeces. lib. 6. c. 5. 3.

[2]) Feye, l. c. p. 182. Rosico II. p. p. 787.

[3]) Concil. Baltimor. p. 170.

Dispensatio autem haec ad licite ineunda matrimonia mixta quomodo sit intelligenda, quaerenti, his verbis respondetur: „Si adhibitis necessariis cautelis Summus Pontifex prudenter judicet, per eas periculum illud, ne lex naturalis seu divina violetur ab ita contrahentibus, tunc tollit per dispensationem juris ecclesiastici, quae praecipue perversionis periculo *ordinario* innititur. „Tales enim reipsa concurrere possunt circumstantiae, quae, cum ab eo, qui dispensandi facultatem habet, expensae fuerint, aditum aperiunt concessioni legitimae dispensationis, cujus vi matrimonium inter partes, haereticam unam alteramque catholicam *licitum* reddatur.“ [1])

V. Cautela ergo praecipue adhibenda est, 1) ut removeatur periculum perversionis pro parte catholica; 2) ut proles utriusque sexus in catholica religione educetur. Formam seu modum hujus cautelae, si Papa id non fecit pro singulis regionibus, praescribere, est penes Episcopum seu Synodum provincialem. In hisce regionibus haec cautela per promissionem coram Deo solemnem a parte haeretica praestitam obtineri solet; consulendum erit promissionem illam scripto traditam ac signatam a testibus et parte acatholica inserere registro matrimoniorum parochiali. 3) Tertia conditio, ut tale matrimonium licite ineatur, in hoc consistit, ut pars catholica serio proponat ac promittat, curaturam se pro viribus acatholicae partis conversionem. [2]) Veruntamen haec tertia conditio non esse videtur tam

---

[1]) Benedict. XIV. synod. dioeces. lib. 6. c. 5. 4.

[2]) „Sanctissimus Dominus noster probe novit, sibi nullo modo licere a constanti eo studio declinare, quo ipsa Sedes Apostolica semper advigilavit, ut sacri canones, qui catholicorum cum acatholicis nuptias *deformitatis et periculi plenas* severissime prohibent, religiose custodirentur. Multo minus aliquid detrahere se posse animadvertit sanctissimo illi Sedis ejusdem instituto, per quod Romani Pontifices, cum interdum, et nonnisi *aegre gravibusque de causis* matrimonia ejusmodi permitterent, suis dispensationibus addere consueverunt expressam conditionem de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, *quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus retrahendum*, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eo conjugio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur,

essentialis, ut de hac semper requiratur expressa cautio, ac proinde a pluribus omnino praetermittitur. — Praeter has cautiones adhibitas ad licite dispensandum requiritur, ut in ceteris, causa gravis, quae tamen in hisce regionibus plerumque adest, videlicet perversionis periculum, et timor ne contrahant coram magistratu civili, et similia.[1])

§. 24.

d) Ne contrahatur, saltem juxta plures, sine consensu parentum debite requisito.

I. Plures docent, defectum consensûs parentum debite requisiti constituere ex vetito Ecclesiae in sensu proprio impedimens impediens; ac profecto, negari non potest, matrimonia taliter inita quamdam secum ferre deformitatem, saepe etiam gravem; attamen non omnis deformitas, nisi forte adversetur intrinsece matrimonii substantiae, jam per se est impedimentum canonicum matrimonii, sed insuper requiritur, ut Ecclesia aliqua lege talem deformitatem esse impedimentum declaret.[2]) Unde illi, qui hanc sententiam tuentur, demonstrare debent, deformitatem matrimonii absque consensu parentum requisito contracti ex lege ecclesiastica constituere impedimentum canonicum. Quod vix praestare poterunt, cum loci ex jure canonico ad hunc finem adducti[3])

Cum enim non ecclesiastica solum, sed *naturalis* ac *divina* prorsus lex impediat, quominus vir mulierve in nuptiis contrahendis se aut futuram sobolem periculo perversionis temere objiciat, exinde sane imploratum est, omnes eas cautiones *idcirco* praescribi et adhiberi, *ne simul cum canonicis sanctionibus naturalis etiam ac divina lex impio ausu violetur.*" — Instruct. Sedis Apost. ad Episcop. Bavar. 1834.

[1]) De dispensatione, officio parochi in celebratione matrimonii mixti, in reconciliatione catholicae partis vide tract. 4. et tr. 5.

[2]) Olim, ut diximus, numerus impedimentorum impedientium major erat, quam hodie; Ecclesia autem plura abrogavit, non quia nullam deformitatem in se habuerunt, sed quia consultius esse videbatur nonnulla matrimonia sub tali deformitate iniri, quam nimis coarctare libertatem in eligendo statum matrimonii.

[3]) cap. 1. causa 30. qu. 5. — cap. nostrates et duo seq. eadem caus. — cap. non omnis. 12. et seq. et cap. ultim. causa 32. qu. 2. — Boekhn Jus Canon. lib. IV. tit. 2. n. 65.

nihil probant ultra debitum pietatis in filiis erga parentes, et obligationem parentum, ne filios in hoc negotio negligant. Econtra in jure ecclesiastico etiam hac in re praevalere videtur ratio libertatis matrimonii; magis enim interest saltem communitatis ut matrimonia sint plene libera, et ex proprio affectu contrahentium conjunguntur, quam ut semper rigorose parentum voluntas impleatur, qui alioquin in damnum communitatis frequenter ex affectatis praetextibus matrimonia impedirent. Contemplatio publicae utilitatis privatorum commodis profertur. Si objiciatur, ad omnem contractum requiri consensum ejus, cujus interest, respondemus, hoc admittendum esse, quando interest ex jure rigoroso, cui altera ex parte respondet debitum justitiae, hic vero tantum debitum pietatis et reverentiae astringit.[1] Hinc adhaerere licet sententiae Instruct. past. Eystett., quae docet: „Hortari quidem poterunt (parentes) filios suos, ut a matrimoniis, quae minus ipsis proficua fore praevidentur, desistant, *impedire autem neutiquam possunt.*[2])

---

[1]) Boekhn. l. c. n. 65.

[2]) Instruct. past. Eyst. p. 278: „Nec de jure canonico antiquo, nec de novo ad valorem matrimoniorum sive *sponsalium* exigitur consensus parentum." Cherub. Mayr lib. 4. tit. 1. n. 134 apud Knopp. p. 345. — Ferrari Prompta biblioth. *sponsalia.* n. 25. S. Lig. H. A. tract. 18. n. 10. „Notandum sponsalia inita a filiis, insciis parentibus, certe esse valida." — In Galliis defectus consensûs parentum non modo impedimentum *impediens*, sed *dirimens* habebatur propter leges civiles, talia matrimonia strictissime prohibentes. Hinc Episcopus Quebecensis in Canada, olim Galliarum colonia, ad S. C. de prop. Fide quaestionem detulit anno 1835, sit ne validum matrimonium a duobus Catholicis, natu minoribus secundum formas ab Ecclesia praescriptas contractum, sed tamen invitis parentibus? S. C. C. respondet „Affirmative"; nec enim dissensus parentum, aut aetas minor inter impedimenta matrimonium dirimentia ullo possunt modo nostris hisce temporibus recensere. Leges Caesareae et jussa principum, sententiae adversae faventes, aut de civilibus tantum effectibus sunt intelligenda ... aut cum id statuant, quod limites praetergraditur saecularis potestatis, sunt omnino rejicienda. Circa ea, quae ad rationem pertinent Sacramentorum, non principibus saecularibus, sed soli Ecclesiae ut plena definiendi potestas. — S. C. Sup. et Univ. Inquisit. 17. Novemb. 1835.

II. Nec tamen hac sententia effraenem asserimus licentiam filiis, ut parentes omnino in re tanti momenti licite praeterire possint; manet enim obligatio naturalis filiorum in parentes. Quod nostra sententia negat, consistit in hoc, ut defectus consensus parentum per se impediat matrimonium, sicuti aliud impedimentum canonicum; sed poterunt parentes opponere matrimoniis filiorum atque exponere rationes suas coram judice ecclesiastico, penes quem est, illis bene consideratis, matrimonium impedire per particulare Vetitum Ecclesiae, et sponsalia sine parentum consensu inita dissolvere; licet enim sponsalia taliter inita vim habeant, eo pacto, quo matrimonium de praesenti, certissimum tamen est, ipsa plerumque illicita fieri, culpam admitti, cognitaque dissensione solvi posse, licet jusjurandum intercesserit.[1]) Regulariter igitur filii tenentur, consensum parentum debite requirere; secus, peccant; sed si praevideant, quod, si parentes consulant, injuste matrimonium sint impedituri, etiam *licite*, non tantum illis non consentientibus, aut contradicentibus, sed etiam non consultis matrimonium inire possunt.[2]) Verum, cum in hac re facile sit, ut filii familias fucum sibi faciant, consulere debent viros prudentes et praesertim confessarios, imprudenter agant proprio judicio confidentes.[3])

[1]) Inst. past. Eyst. p. 264. Conc. prov. Mogunt. 1549. c. 36. 37.
[2]) Sic Perez, Reiffenstuel, Schmier, Schmalzgr., Sanchez, Laymann.
[3]) Gury, Comp. Th. Mor. n. 1460, 1461, 1462. — Conf. Cas. L.

Tractatus III.

De impedimentis matrimonium dirimentibus.

§. 25.

Notiones praeviae.

I. Quod matrimonii essentiae *intrinsece* et *absolute* contrarium est, hoc necessario ex jure naturali semper dirimit matrimonium ac proinde constituit impedimentum dirimens naturale. Quod vero matrimonio quidem *intrinsece* adversatur, non autem *absolute*, per se non causat impedimentum dirimens, quia non *semper* per se matrimonium dirimit, sed tantummodo suppositis quibusdam circumstantiis, quae tamen cessare, removeri, praepediri etc. possunt. „Interest enim inter malum et mali periculum, haud secus, ac inter praecipitium, ipsumque casum; malum, quod naturae (absolute) repugnat, nunquam non malum est; at periculum mali variis temporibus et personarum adjunctis cessare, aut minus, aut removeri, aut praepediri potest."[1]) Utrumque tamen et malum et periculum mali, objectum legis prohibentis irritantis *positivae* esse potest. Quando autem lex positiva aliquid prohibet vel irritat ob generale incommodi aut mali periculum, cui oppositus actus subjacet: tum illa lex omnino ac semper servanda est, etsi in particulari casu nihil aut parum periculi ex actu immineret[2]); *nam sufficiens istius modi gene-*

---

[1]) Zallinger, Institutiones Jur. natur. p. 368.

[2]) Lex naturae, cum sit lex mentis et rationis *singulos* homines pro *singularibus* adjunctis afficiens, non *indeterminate*, uti humanae leges concipienda est sed quasi vestita quovis casu, quo obligat, certis ac determinatis adjunctis personae, loci, temporis, negotii, causae.... si qua ergo actio quae generatim considerata periculis, incommodis, abusibus obnoxia est, relate ad hanc personam, hoc tempus, haec adjuncta etc.

ralis prohibitionis ratio est ipsa certitudo generalis periculi, seu, *ut ajunt, praesumtio juris.* — Hinc defectus illi, qui essentiae matrimonio intrinsece quidem, non tamen absolute ac semper, sed tantum ordinarie obstant, objectum esse possunt dispositionis legislatoris et divini et humani, ac quidem dupliciter, scilicet vel ut id, quod periculosum est, *semper illicitum* esse statuat, vel ut id, quod tali periculo adjuncto fiat, utrumque se habent circumstantiae in casu particulari, nullius effectus seu *invalidum* esse decernat i. e. *actum irritet vi legis irritantis,* quae nititur sequentibus principiis.

II. Lex positiva, divina seu humana, versari potest circa actiones tanquam objectum vel materiam suam hisce diversis modis: 1) eas determinando, *ut sint,* si est lex *affirmativa;* 2) vel ut jure esse *possint,* si est lex *concessiva;* 3) vel ut *non sint,* si est *prohibens* seu *negativa;* 4) vel ut ad actiones *annectantur* certa consectaria bona vel molesta, si est lex *praemians* aut *poenalis;* 5) vel ut actiones certa consectaria seu *effectus non habeant,* si est lex *irritans.* — Lex *irritans* attingere potest, 1) eos actus, qui jam naturali jure irriti ac nulli sunt, saltem aliquatenus, declarando jus naturae, et quod in foro interno nullum est, etiam pro foro externo, judiciali ac publico authentice habendo ac decernendo pro nullo ac irrito; 2) aut eos actus, qui vi naturae, saltem in casu *particulari,* validi essent, sed summa imperantis potestate, cui subjecta sunt jura subditorum, nulli esse jubentur; quod fit duplici modo a) ut sint irriti ipso jure et facto, et quidem *directe,* quando agendi jus et habilitas promittendi, contrahendi, quidquam efficiendi, *subtrahitur* et inhabilis quis fiat; *indirecte,* quando actui praescribitur forma aut solemnitas *substantialis,* sive *talis,* qua non observata actus non habet suam naturam, proindeque nullus est; b) ut per sententiam et ministerium judicis causâ cognita rescindantur; si nempe ejus naturae sint actus, ut rescindi vel dissolvi possint. — Id inter homines contingit ex duplici causa, quando ob vinculum personale alteri in alterius voluntatem jus competit, aut

---

nihil periculi magnopere continet, non suppetit ratio, cur ea ipso jure naturae prohibita esse censeatur." Zallinger l. c.

quando materia, quam actus attingit, alterius dispositioni vel disponendi potestati subjecta est, quomodo res temporales subditorum non dominio, sed imperio et potestati imperantis subjectae sunt.

III. De hac irritatione, quae fit per leges positivas insuper notandae sunt hae praecipuae regulae: 1) Uti lex prohibens vel praecipiens utrumque forum afficit, sic etiam lex *irritans* non modo pro foro externo, sed etiam interno, i. e. pro foro conscientiae valet; neque effectus fori interni et externi spectata potestate legislatoris sive summi imperii et vi justae legis *per se* diversi et separabiles sunt. 2) Perspicacia tamen opus est in expendenda lege irritante, ut appareat *quid* disponat et *quatenus* valorem actus tollat; constat enim plures affectus quorundam actuum proprios esse, quorum aliqui divino vel naturali jure, alii humano iisdem attributi sunt. Unde fieri potest, ut lex irritans considerato tenore ac fine suo aliquos effectus pro certis adjunctis tollat, alios omnino intactos relinquat. 3) Lex irritans directe vel indirecte vim suam retinet, etsi invincibiliter ignoretur, aut necessitas agendi superveniat; neque enim ignorantia, aut necessitas potestatem agendi confert, quae per legem irritantem sublata est, nec formam dat actui, quae per ejusmodi legem praescripta est.[1])

IV. His principiis contractui matrimoniali applicatio patet: 1) non modo Deo, quod nemo negat, sed etiam Ecclesiae competere potestatem leges *irritantes* de matrimonio condendi, et quidem ex duplici causa, a) quia matrimonium inter fideles est aliquid spirituale, quoad spiritualia autem fideles auctoritati Ecclesiae subjecti sunt; b) quia matrimonium est sacramentum ac proinde secundum se specialiter subjectum dispositioni Ecclesiasticae. 2) Ecclesiam vi hujus potestatis irritantes leges condere posse tum de hoc, quod jam lege naturali irritum est, declarando jus naturae, et magis determinando,[2]) tum de aliis, quae vi naturae, in casu particulari vel etiam semper, valida essent

---

[1]) Zallinger, Inst. juris natur. §. 257. p. 367.

[2]) Hinc plures dicunt, omnia impedimenta esse quodam sensu *ecclesiastica*.

directe et indirecte subtrahendo habilitatem matrimonium efficiendi; 3) leges irritantes seu impedimenta effectum habere sine sententia judicis, ipso jure et facto, quia matrimonialis contractus est divina lege, si semel sit valide initus, *irrescindibilis;* unde praeterea sequitur, ut usus matrimonii jam validi per superveniens impedimentum aliquatenus possit praepediri quidem sed matrimonium ipsum, semel validum, semper validum permaneat. 4) Haec impedimenta, spectata potestate legislatoris in utroque foro, externo et interno matrimonium aeque invalidare. 5) Illa vim suam retinere, etsi invincibiliter ignorentur aut superveniat necessitas ineundi matrimonium illis subjectum, nisi in jure aliqua exceptio quodam modo expressa sit.

§. 26.

I. De impedimento erroris.

I. „Error ponit judicium rationis perversum de aliquo,“ [1]) procedens ex ignorantia veri, et in hoc differt ab ignorantia, quod haec de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum. Dividitur dupliciter 1) in *antecedentem* et *concomitantem; antecedens* tunc dicitur, quando dat causam actui, v. g. contractui, ita, ut, eo non existente, actus neutiquam fieret, atque ita efficit, ut actus sit involuntarius (contra voluntatem); *concomitans,* quando non inducit ad agendum, sed ita comitatur actum ut, eo non existente, adhuc fieret actus; proinde non efficit *involuntarium,* sed efficit tamen *non voluntarium* (extra voluntatem); — 2) in *substantialem,* vel *accidentalem,* prout judicium perversum attingit substantiam ejus, de quo agitur, vel non; prior causat involuntarium *simpliciter,* posterior duntaxat *secundum quid.*

II. „Quidquid impedit causam, de sui natura impedit et effectum similiter. Consensus autem est causa matrimonii; et ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus, qui praesupponit actum intellectûs. Deficiente autem primo, necesse est defectum contingere in secundo; et ideo quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu de-

---

[1]) S. Thom. supp. qu. 51. art. 1 ad 1.

fectus et per consequens in matrimonio; *et sic error de jure naturali habet, quod evacuet matrimonium.*“ [1]) — Sed non omnis error evacuat matrimonium, quia non omnis error tollit voluntarium et ideo consensum simpliciter, sed solummodo secundum quid; unde dicendum est, quod error, quia matrimonium evacuat, sit alicujus eorum, quae sunt de essentia matrimonii. [2]) Persona autem, quacum contrahitur, est alteri contrahenti substantiale objectum, in quod confertur consensus; ergo, *error circa personam vitiat matrimonium,* idque ipso jure naturae: quia, sicut *sine consensu,* ita sine consensu *in certam personam* non habetur conjugium. Atqui errans non consentit in personam, quacum per errorem contrahit, quia totus consensus ejus fertur in personam absentem, quam per errorem existimat esse praesentem, non autem fertur in eam, quae revera praesens est, ergo cum ista conjugium ex defectu consensus revera non efficitur; nam actus agentium non operantur ultra intentionem illorum. [3]) Nihil refert, num hic error sit *antecedens* an *concomitans,* quia etiam concomitans valorem contractui matrimoniali tollit. [4]) Ratio est, quia, ut matrimonium efficiatur, necessarius est consensus actualis et positivus in personam, quae offertur. Error autem concomitans, licet non efficiat actum involuntarium, facit tamen non voluntarium, et ideo aufert consensum actualem et positivum; nam voluntas cum tali errore de praesenti solum fertur in absentem, non vero in illam, quae praesens est, neque voluntas, quae *esset,* sed quae *est,* constituit matrimonium.“

III. Error vero *accidentalis* seu circa *qualitatem personae,*

---

[1]) S. Thom. suppl. q. 51. a. 1. c. „In jure civili (L. Si per errorem 15. Dig. de jurisd. II. 1.): „Quid enim tam contrarium consensui est, quam error?“

[2]) S. Thom.: „Duo autem includit ipsum matrimonium, scilicet duas *personas,* quae conjunguntur, et *mutuam* potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. *Primum* autem tollitur per errorem personae, *secundum* per errorem conditionis, quia servus non potest potestatem sui corporis libere alteri tradere sine consensu sui domini.“ l. c. a. 2. c.

[3]) Schmalzgr. tit. 1. §. 3. n. 441.

[4]) Schmalzgr. et comm. l. c. cfr. Cas. III.

tametsi proveniat ex dolo[1]) alterius contrahentis et det causam contractui, nullo modo per se infirmat matrimonium. Est communis doctrina.[2]) Ratio est, quia talis error non tollit consensum in personam ad valorem matrimonii requisitum simpliciter, sed tantùm secundum quid, nempe circa qualitates et accedentia personae, cum qua contrahitur, quae se habent solum per modum rationis motivae, seu impulsivae, et causae finali extrinsecae. Dixi *per se;* per accidens enim etiam error qualitatis matrimonium infirmare potest, scilicet

1) si error qualitatis sit error conditionis servilis, h. e. si, qui servus est, putetur esse liber;
2) si illa qualitas, de qua versatur error, expresse tanquam conditio matrimonii posita fuerit;
3) si error qualitatis in personam sit redundans.

IV. Rationem *primae* exceptionis vide infra; ratio secundae patet; quia tunc deficiente ejusmodi qualitate, deficeret conditio, sub qua contractum est matrimonium, et consequenter deficeret ipse consensus. Ratio *tertiae* est quia talis error qualitatis involvit errorem personae; sed difficilem hoc in loco quaestionem obviam habemus nempe quando error qualitatis redundet taliter in personam, ut involvat errorem personae. Respondeo: 1) Firmiter tenendum est, errorem qualitatis non redundare in personam ex *gravitate qualitatis ipsius;* quasi qualitas, quia magni momenti est prope idem valeat, ac essentia seu persona, quia essentialis in hoc casu est solummodo illa qualitas personae, sine qua cum illa matrimonii essentia, h. e. traditio potestatis in usum corporis ad copulam apti, haberi

[1]) Quaerit aliquis: „Cur Ecclesiastico jure irritum sit gravi injusto cogente *metu* celebratum, non item, quod ob *dolum*, cum tamen utrumque involuntarium admixtum habeat, injuriamque contineat. Resp. Arbitror hanc rationem esse, quia utrum *vis injusta* gravis intervenerit, plerumque coram Ecclesia demonstrari potest, at vero *dolus* ferme occultus est, quare, ne multa matrimonia dubium haberent valorem, expediebat ea Ecclesiastico jure non infirmari, quando spectato naturali jure subsistendi vim obtinent.“ Laym. l. c. c. 2.

[2]) Laymann Theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 4. cap. 2.

non potest; talis autem defectus *per se* irritat semper matrimonium, ac proinde non pertinet ad hanc quaestionem.[1]) — 2) Error de quacunque qualitate, majoris vel minoris momenti, tunc, generaliter loquendo, in personam redundat, si quis existimet, se cum alia persona contrahere, non cum ea, quam exterius accipit, ideoque neque consentiat, cum hac contrahere, quia non cognoscentis, aut errantis non est consensus. Id vero tunc evenire solet, si per qualitatem unam vel plures certa persona describatur animoque designetur, quae *visu alioquin ignota est*, ex. g. si consentiat animo ad accipiendam eam, quae inter filias Sempronii primogenita est, offeratur autem postea Caja, quae primogenitam se mentitur, non valet matrimonium. Secus est, si Caja haec visu prius nota et ad matrimonium determinata fuisset, tametsi postea simulet se primogenitam, cum non sit, valebit matrimonium.[2]) Sic Laymann. — Juxta Sanchez et alios

---

[1]) Unde longe aberrant a veritate et praxi Curiae Romanae, qui dicunt in sanitatem mentis, crimen aliquod antea commissum, morbum taediosum, et etiam praegnationem sponsae ab tertio, si de his error intervenerit, constituere errorem in personam redundantem. — Dolendum, quod *Supp* huic doctrinae adhaerere non haesitet in c. 476. — Casuistik in und ausser dem Beichtstuhle. II. Th. Mainz 1856. — In Jure can. causa 29. quaest. 1: „Similiter, qui duxit in uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, et aliam ducere." — Si sponsa se fingat nobilem, divitem etc. error per se non infirmat matrimonium juxta decl. S. C. C. 27. Maji 1820. — S. C. C. 24. Febr. 1720 declaravit, errorem *simplicem* circa virginitatem sponsae non irritare matrimonium. Qua decisione controversia circa errorem status sponsae, quae putabatur virgo, repletum tamen ab altero gestat uterum, finita esse videtur, scilicet ejusmodi etiam errorem non irritare matrimonium." Inst. past. Eyst. p. 271. Conf. Cas. V., VI., VII.

[2]) Laymann l. c. n. 2. — Schmalzgrub. tit. 1. §. 3. n. 450, 451 etc. lib. 4. Sanchez, lib. 8. Disc. 18. n. 26 et 27. „Breviter dico tunc id (errorem qualitatis in personam redundantem) accidere, quando erratur circa qualitatem, quae certam personam designat, quae contrahenti *prius nota non erat absque illa qualitate;* nec constat, mentem contrahentis fuisse in personam sibi praesentem quaecumque illa sit consentire." — n. 34. — Veracruz, p. spec. n. 28. ait, esse errorem qualitatis, si Maria nubat Joanni, *quem optime novit*, existimans eum esse primogenitum *talis comitis*, cum non sit." Consulto dixi „*quem optime novit*", quia non

error qualitatis redundat in personam, si illa qualitas, de qua error versatur, *determinat* personam in animo errantis; hinc duas proponunt regulas. *Prima* est: Quoties qualitas, in qua erratur, non determinat *individuam* personam, non est error personae, sed potius qualitatis, ut si quis fingat se esse primogenitum Regis vel comitis, non determinando, cujus regis vel comitis primogenitus sit, femina ex tali errore illi nubens, dicetur errare circa solam qualitatem ac proinde matrimonium, eo errore non obstante, erit validum. Rationem dat Sanchez: „Persona est intellectualis naturae individua substantia; igitur error personae debet esse circa quid individuum; in casu autem regulae non erratur circa quid individuum; quia tantùm erratur circa qualitatem primogeniturae in genere apprehensam, ergo etc.“ *Secunda :* Si per qualitatem, in qua erratur, *certa et individua persona* designetur animoque concipiatur, quae visu prius ignota est, tunc error redundat in substantiam personae. — Breviter ac dilucide Clericatus sic statuit: „Attende sensum duarum propositionum sequentium: „Petrus contrahit cum hac Antonia praesente, quam putat esse primogenitam N. Comitis. Alio modo: Petrus contrahere vult cum primogenita N. Comitis, putans eam esse Antoniam hic praesentem.“ In primo casu est error qualitatis simpliciter, in secundo error qualitatis in personam redundans.

V. Porro, cum res sit plerumque nimis intricata, si agatur

---

sufficeret ex fama vel auditu notitia habita; non enim sic cognitus cognosci vere dicitur; ac proinde qualitas adjuncta, certam et individuam personam denotans, in veram personae cognitionem duceret, atque error circa illam esset circa personam. — (Insuper) dixi: personam, quae contrahenti prius nota non erat *absque illa qualitate.* — Si enim a principio cognitionis esset error in qualitate certam et individuam personam designante, isque error jam permaneret, esset error in persona matrimonium irritans, quod revera consensus directe et formaliter tendat in personam, quatenus est illa persona quam ab initio intellectus apprehendit. Notitia enim illa circa personam erronea, dirigens consensum, eadem prorsus tempore contracti matrimonii perseverat.“ n. 34. Hinc duo concurrere debent, ut error qualitatis redundet in personam, 1) ut error sit de qualitate *certam et individuam* personam designante; 2) ut illa persona *prius* nota non fuerit *absque illa qualitate.* conf. Cas. IV.

de hoc impedimento, Instructio Past. Eyst. recte inhibet, ne quis parochorum consentiat in separationem allegantium defectum qualitatis intentae, nisi causa sit delata ad Episcopum et rite examinata. Ante matrimonium potius explicent parochi sponsis, quod grave peccatum committunt, si fallaciis utantur et occultatis gravibus ejusmodi defectibus se mutuo decipiant. Difficillimum enim est in foro fori obtinere sententiam nullitatis matrimonii ob errorem in qualitate personae, etiamsi in ipso contractu matrimoniali apposita fuerit conditio, quae postea dilucide probari nequit. Juste namque et prudenter Ecclesia decrevit, quod error in qualitate non invalidet matrimonium, ne confunderetur societas fidelium, pax communis turbaretur, et familiae remanerent expositae odiis et rixis, prout incessanter contingeret, si super hoc impedimento qualitatis non cognitae dissolverentur conjugia; quilibet enim post initas nuptias, facti poenitens, asseret, se credidisse in corde suo qualitatem aliquam in conjuge, quam adesse non reperit et ex ejus defectu praetenderet, ob errorem qualitatis a matrimonio resilire." [1])

Quaeritur, an matrimonium sit validum, si alter vel uterque contrahentium *per errorem* credat, se laborare impedimento dirimente, quod revera non subest?

℟. *Negant plures*, sed probabilior videtur sententia affirmativa illorum, juxta quos valet matrimonium, si contrahentes intendant, quantum in seipsis est, consentire. Ratio est, quia tales personae ex una parte sunt vere habiles ad contrahendum, cum revera nullo laborent impedimento; ex altera vero parte intendunt, quantum possunt, contrahere; ergo vere contrahunt. Quod confirmatur ex resolutione in causa Smyrnensi, 9. Sept. 1752, ubi defensor matrimonii taliter initi urget, illicitum quidem, sed tamen validum esse matrimonium contractum ab eo, qui non exspectato certo nuncio de morte conjugis cum alia secundas nuptias contrahit, dum vere uxor obierit tempore, quo secundum matrimonium initum fuit, quia consensus non in eo solum, qui moraliter certus est, sed etiam in eo, qui de sua libertate *dubius*

---

[1]) Inst. past. Eyst. p. 275. Clericat. decis. lib. 6. dec. 19. n. 30. Knopp §. 7.

est, si contrahit servata forma Tridentini *satis est*, ut valide contrahat, licet matrimonium sit illicitum, ut reprobato Pontiv. l. 7. de matr. c. 53. n. 5 et 6. cui placuit nullum dicendum esse matrimonium, defendunt *Barbosa*, in cap. *Dominus*. cit. *Bon.*, *Lauria, Pignatellus* etc. quam sententiam S. C. approbans ad dubium, an constet de nullitate matrimonii in casu, respondit: „*Negative*".[1])

§. 27.

II. De impedimento conditionis.

a) conditionis servilis.

Conditio hoc loco in duplici sensu valde diverso est intelligenda, nimirum a) sumitur de conditione servili vel servitute, etiam b) de conditione in sensu consueto, i. e. de circumstantia quadam expressa, de qua consensus matrimonialis dependet. — De impedimento autem conditionis servilis haec sunt notanda:

1) Matrimonia servi et ancillae inter se sunt valida, saltem si sunt christiani, etiam invitis dominis. „Sane, inquit Hadrianus Papa anno 790. juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque servus est a Sacramentis Ecclesiae removendus; ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; et si contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi".[2]) — Hinc graviter peccant domini contra justitiam, si servos suos aut positive impediant a matrimonio, aut, postquam hoc contraxerunt,

---

[1]) Conf. Cas. VIII. Litis pendentia super matrimonio non impedit secundum matrimonium contrahi, si primum erat nullum." (lib. 4. tit. 1. c. 18. X.)

[2]) Cap. 1. de conjugio servorum. — Equidem leges civiles Statuum, in quibus servitus viget, vetant, ne servi matrimonia absque dominorum venia ineant, gravibus plerumque poenis intentatis iis, qui eos alias conjungere auderent; quapropter curandum, ut consensus ille habeatur. Quodsi injuste denegetur, et res urgeat, poterit indulgeri, ut servi inter

invitis ipsis, durius tractent quia, quoad hoc, servi sunt sui juris nec domino subduntur.[1])

2) Validum est matrimonium cujuslibet liberi cum ancilla, vel mulieris liberae cum servo, dummodo antea conditio servilis libero contrahenti cognita fuerit; quia servitus *per se*, quamvis triplici bono conjugiis aliquo modo repugnet, non tamen adversatur *substantiae* matrimonii, secus nec inter servum et ancillam matrimonium existere posset.

3) Si vero liber cum ancilla, vel libera cum servo matrimonium contrahat, ignorans, alteram partem esse in servitute, matrimonium est invalidum *inter christianos*, nisi sequatur ratihibitio ejus, qui ignorabat alterius conditionem servilem ex expressa dispositione legis.[2]) Ratio, ob quam ita Ecclesia statuit, est, ut resarciat gravem injuriam, illatam libero ignoranti conditionem servilem alterius et ob magnam contractus inaequalitatem; quae ratio non habet locum, quando liber scit alterum esse servum, cum quo contrahit; tunc enim cessat *error*, et contrahens non decipitur, sed remittit jus suum;[3]) unde, si cognito errore, pars libera facto vel verbo declaret consensum in idem conjugium, illi separari non possunt. — Dixi, *inter Christianos;* quia hoc impedimentum nititur in jure ecclesiastico, matrimonium inter liberum, qui non est baptizatus et ancillam similiter non

---

se contrahant, ne alias peccandi periculo objiciantur, vel sacerdos, eorum adstans nuptiis, poenis et molestiis gravissimis fiat obnoxius. In Statu Mississippiensi de servorum vel liberorum nigri coloris conjugiis nil lege definitum est, quae idcirco posse videntur celebrari absque venia speciali; sed domini ubique eam usurpant in servos potestatem, qua matrimonia eorum ex arbitrio permittant vel prohibeant, quapropter sacerdos vix posset absque gravissimo sui discrimine ea, absque dominorum venia, celebrare. Kenrick. Theol. Mor. p. III. p. 338. —

1) Sanchez. Laym. Pont. Bern. et communiter.

2) Lib. IV. tit. 9. c. 2. et X. „Separatur matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxerit, nisi *postea hoc sciens* illam cognovit."

3) Hinc patet, non conditionem servilem, sed errorem de hac conditione ex lege ecclesiastica dirimere matrimonium.

baptizatam, quamvis errore initum, validum erit, nisi error ex circumstantiis in personam redundet, vel per legem specialem civilem tale matrimonium irritatum esset.[1]) Si autem serva nupserit viro, quem putabat esse liberum (ac vice versa), quamvis revera non esset, manet ligata matrimonio, nam sibi injuria non est facta, et impedimentum statutum est, ut libero consulatur.[2]) —

§. 28.

b) de conditionibus.

I. Theologi communiter monent, ne sacerdotes unquam nuptiis assistant, eisque benedicant, quae consensu sub conditione dato ineuntur, saltem propria auctoritate, tum quia sic matrimonium, saltem ratione Sacramenti, periculo nullitatis exponeretur, tum, quia innumera et maxima incommoda ex tali modo subsequerentur, nempe: scandalum, jurgia, ambages, difficultates etc.[3]) Cum autem hujusmodi conditionis matrimoniali contractui etiam privatim seu clandestine appositae ex jure naturali et ecclesiastico plenam vim habeant, de illis speciatim agendum est. *Conditiones* distingui solent 1) in conditiones de *praeterito*, de *praesenti*, de *futuro*, 2) in *possibiles* et *impossibiles*, 3) in *honestas* et *turpes*, 4) in conditiones in hoc casu particulari *matrimonii substantiae repugnantes* et non *repugnantes*.

II. Conditio de *praeterito* vel *praesenti* v. g. si pater tuus sit mortuus, vel, si sis nobilis, non suspendit matrimonium, nisi

---

[1]) Schmalzgr. Sanchez. lib. VII. disp. 19. n. 17.

[2]) Kenrick l. c. De conjugiis servorum non baptizatorum (et etiam baptizatorum extra Ecclesiam), dicendum videtur: „Plerique eorum contractus non habent conjugii vim, quum animus vinculi perpetui contrahendi illis desit, et conditio consensui apponatur: quapropter, qui ad fidem catholicam veniunt, vel ad bonam frugem rediguntur, *non sunt facile* cogendi, ut deserant quam conjugis nomine invisunt, etsi aliae cum quibus jam consueverunt, in vivis degant, vel de earum morte non constet: sed curandum, *ut verum cum ea ineatur conjugium*. — l. c. p. 330, 331.

[3]) Gury. n. 1457. et alii communiter.

quoad *ejus certitudinem*, sed matrimonium vel non valet, si non subsistat conditio, vel *statim* valet, si subsistat. Conditio autem *suspensiva de futuro* suspendit vel infirmat matrimonium vel nihil efficit, prout est honesta ac possibilis, vel substantiae matrimonio repugnans, vel turpis et impossibilis.[1])

III. In primo casu, scilicet si matrimonium suspenditur per conditiones honestas ac possibiles matrimonii substantiae non repugnantes, haec speciatim notanda sunt:

1) Impleta conditione consensus conditionatus transit in absolutum (modo ille praevie non fuerit revocatus) et eo momento, etiam antequam contrahentes sciant de impletione conditionis, matrimonium perficitur[2]) idque sine ulteriori novo consensu; neque dubium est, quin illi eodem momento Sacramentum suscipiant, cum illud sequatur naturam contractus.

2) Si autem consensus ante impletam conditionem revocatus fuerit, novus consensus requiritur ad perficiendum matrimonium impleta conditione; si insuper, revocato consensu, aliae nuptiae cum tertia persona ante impletam conditionem initae fuerint sine conditione, secundae nuptiae validae erunt, modo ne obstet aliud impedimentum, quia ex matrimonio conditionato nondum oritur impedimentum ligaminis, sed tantum obligatio exspectandi donec conditio impleta fuerit, vel non; illicite tamen agit taliter contrahens ac alteri damnum resarcire tenetur.

3) Si contrahentes recedunt a posita conditione, antequam impleatur, matrimonium ipso facto perficitur; idem dicendum est, si ante impletam conditionem copula subsecuta sit, quia taliter agendo, a conditione recessisse praesumuntur, et quidem jure et de jure, ita, ut contrarii probatio directa non admittatur.[3])

IV. In secundo casu, si conditiones matrimonii substantiae repugnantes nuptias irritant, notandum est:

---

[1]) lib. IV. Decret. tit. 5. X. cf. Cas. II.

[2]) Dens. theolog. de matr. n. 37. Conf. Cas. IX.

[3]) lib. IV. Decret. tit. 5. c. de illis. 3. c. super ed. 5.

1) Omnis conditio, quae excludit necessarium consensum, repugnat matrimonii substantiae; excludit autem necessarium consensum ea, quae repugnat alicui ex tribus bonis matrimonii, quae sunt proles, fides, Sacramentum.

2) Conditio bonis matrimonii contraria, non tantum istud vitiat, quando illa est turpis, sed etiam, quando per se honesta. Colligitur hoc ex c. 7.[1]) ubi Pontifex Gregorius IX. dicit matrimonium vitiari conditione contraria bono prolis, nec distinguit inter conditionem honestam ac turpem, sed vim tantum ponit in contrarietate cum substantia matrimonii, non vero in sola conditionis turpitudine. Hoc confirmatur decisione S.C. C. 8. Juli 1724.[2])

3) Si ab uno tantum talis conditio adjecta fuerit matrimoniali contractui, altera parte contradicente, aut saltem tacente, matrimonium valet, ac si conditio talis apposita non fuisset. Ratio est, quia, si apponens conditionem, hoc supposito, tamen ad matrimonium processerit, in favorem matrimonii a conditione apposita recessisse praesumitur.[3])

V. In tertio casu, si agitur de conditione *impossibili* et *turpi*, distinguendum est inter forum externum et internum:

1) In foro externo talis conditio nihil facit, sed habetur pro non adjecta,[4]) quod patet ex textu juris: „conditiones appositae matrimonio si turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi.“ Proinde statim ab initio judicatur validum matrimonium; quia praesumitur in contractu matrimoniali, rei utique tam momentosae, serio processisse et conditionem impossibilem joco addidisse; vel quia supponit praefatus capituli textus conditionem tantum apponi *modalem*,[5]) ita ut partes velint

---

[1]) lib. 4. decret. tit 5. c. 7.

[2]) Thesaur. Resolut. s. C. C. tom. 3. p. 65 et sq. Vide Casum I. et Cas. IX.

[3]) Decret. lib. 4. tit. 5. c. 6.

[4]) Decret. lib. 4. tit. 5. Si conditiones.

[5]) Dens Theol. d. matr. n. 88. Excipiunt plures, etiam pro fore externo.

contractum matrimonii statim validum esse per consensum absolutum de praesenti.[1])

2) In foro interno investigandum erit, a) num quis consensum suum suspenderit revera ex tali conditione, adeo ut nollet alias contrahere; b) num existimaverit conditionem esse possibilem, vel honestam; c) num ignoraverit constitutionem juris tales conditiones rejicientem; in his casibus consensus efficaciter suspensus esse habetur in foro interno, ac consequenter agendum est de matrimonio uti invalido.

Quaesita:

Quaeritur 1°) an matrimonium, quod initum est sub conditione de praesenti vel de praeterito, convalescat subsecuta copula, similiter ac matrimonium sub conditione de futuro initum?

℟. Distinguendum est, num matrimonium initum fuerit in locis, ubi decretum de Clandest. receptum est, an alibi? Si *primum*, matrimonium ex subsecuta copula non convalescit, quia, si invalidum fuerit ab initio, conditione non impleta, validum fieri non potest, nisi contrahatur juxta formam Tridentini; si *secundum*, matrimonium convalescit, quia ad excludendum peccatum admissio copulae post sponsalia conditionate inita ex praesumptione juris est consensus virtualis absolutus, quo praesumitur contractum de novo matrimonium, exclusa conditione, quae proincensetur esse remissa.[2])

Quaeritur 2°) Quid dicendum de conditione castitatis servandae?

℟. Certum est, matrimonium cum voto simplici castitatis

1) si contrahentes probare possint ignorantiam hujus dispositionis juris. 2) Si ex variis circumstantiis colligi possit, quod serio et impossibilitatis conscii conditionem talem adjecerint, eo animo, ut indicarent, quod nullo modo obligare se velint." Schmalzg. lib. 4. §. 5. n. 64.

[1]) *Modus* est adjectio alicujus oneris, ad quod post contractum perfectum obligare volumus contrahentem; differt a conditione, quia conditio dispositionem et obligationem suspendit, ita, ut haec effectum non consequatur, nisi illa verificetur; modus autem dispositionem perfectam supponit, eamque duntaxat temperat oneris adjectione.

[2]) Schmalzgr, tit. 5. n. 23.

ex una parte contractum esse illicitum quidem, sed validum; porro vix dubitandum est, quin matrimonium sit validum, si votum perpetuae castitatis esset ex utraque parte, ac alter de alterius voto sciret, ut uterque sibi firmiter proponeret, servare idem votum in matrimonio;[1]) quia hoc modo jus petendi debitum contrahentes non alteri denegant, sed solum modo unusquisque sibimet ipsi, unde uterque accipit jus in alterum, quo tamen ex motivo voti non utitur; atqui consensus, quo invicem traditur potestas seu jus ad copulam, essentialiter sufficit ad efficiendum matrimonium; ergo etc. — Sed dubitari potest, an taliter matrimonium inire sit licitum contrahentibus, ex ratione periculi, cui exponitur votum, cum, si una pars contra votum debitum petat vel ex aliqua causa a voto liberetur, altera pars tenetur ad reddendum debitum. Dicendum est, periculum quoad votum non augeri, si una pars certa est de alterius sincera voluntate observandi votum, et adhibendi media propria in hunc finem. Hinc matrimonia valide ac licite sub voto castitatis ex utraque parte iniri posse negari nequit.[2]) Controvertitur, utrum conditio castitatis servandae deducta in pactum matrimoniale repugnet substantiae matrimonium, idque invalidet. Si conditio tum stricte sumatur, ut alteri parti etiam jus petendi debitum

---

[1]) Si duo vovissent ante matrimonium perpetuam castitatem et singulo alterius votum esset notum, ac ipsi firmiter proponerent servare idem post contractum matrimonium, ipsorum matrimonium esset *indubie* validum. *Dens* Thes. de matr. n. 40. 2.

[2]) Hinc Urbanus II. approbavit, immo ut refert Clericatus de sacr. matr. dec. 2. n. 16. imperavit matrimonium, quod contraxit Mathildis Italiae Comitissa cum Wulfone Duce, sub ex pacto, ut virginitatis votum servaret inviolatum. De matr. inter. B. M. V. et S. Josephum docent similiter plures, B. M. V. cum S. Josepho contraxisse matrimonium sine consensu quidem in copulam at non sine traditione juris et potestatis in corpus suum: quod ipsa, non obstante voto castitatis, quod habuit, licite facere poterat; quin divina revelatione certum ei erat, quod debitum conjugale ab ipsa nunquam esset exigendum.“ S. Thom. n. 4. dist. 30. q. 2. art. 2. ad 1. — Laymann, Schmalzg. et multi alii. Similiter conjuncti fuisse traduntur S. Henricus et Chunigunda, Julianus et Basilissa, Conradus rex et Mathildis, Eduardus III. rex Angliae et Editha, ac plures alii, quos recenset *Clericatus* l. c.

expresse denegetur, vix dubitari potest, quin matrimonium est invalidum;[1]) si autem haec conditio tantum *modalis* sit, ac proinde jus ad invicem non directe excludatur probabiliter saltem cum pluribus tenetur, tale matrimonium esse validum[2]).

Quaeritur 3⁰) num sit validum matrimonium cum pacto initum, liberos, vel universos, vel aliquos in haeresi educandi?

℟. Plures negant, inter quos sunt probati et juris peritissimi auctores;[3]) cum communissima tamen sententia affirmant alii;[4]) *Navarrus*,[5]) qui primus, ni fallor, de tali pacto locutus est, saeculo XVI. scribit, ejusmodi matrimonii non esse licita, quamvis contracta *valeant*; „Pacta vero illa . . . non valent, quia sunt turpia, quae non valent.“ Fautoris prioris sententiae videntur nimis urgere in hoc casu *bonum* prolis, cum nisi diffitendum sit, finem matrimonii, quatenus bonum prolis respicit, contineri *proxime* in bono prolis physico, non in bono prolis morali et supernaturali.[6]) Insuper praxis Ecclesiae nullatenus fovet illi sententiae, cum summi Pontifices taliter contracta matrimonia saepe damnaverint, nunquam autem invalida esse declaraverint.[7])

§. 29.

III. De impedimento vis et metus.

I. „Cum consensus locum non habeat, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut, ubi assensus cujusquam requiri-

[1]) Vide declarat. S. C. C. in una causa Lib. supra.

[2]) Dens Th. n. 40. Schmier. lib. 4. de matr. tr. 2. c. 2. n. 118. et sequ.

[3]) Schmier., Boekhn., Schmalzgr., Mazzaeus.

[4]) Pichler, Dens, Maschat, Reiffenstuel, Tropper.

[5]) *Navarrus*, Consil. lib. 1. ad tit. de *Constitut.* q. 26.

[6]) „Substantia matrimonii consistit in obligatione mutua, saltem radicali, ad actus, per quos generari potest proles, non vero in educatione bona aut sancta prolium. Ego certe in nullo auctorum aliud reperi.“ Pichler, lib. 4. tit. 1. n. 13.

[7]) Anno 1742. proposita quidem invenitur talis causa in una *Augustana*, 24. Nov. et licet non pronuntiaverit S. Conc. Congr., ex iis, quae in relatione causae habentur, insinuari videtur, eam S. C. secretario opinio-

tur, coactionis materia repellatur."[1]) *Coactio* autem ad agendum contra propriam voluntatem fit vi seu violentia,[2]) quae dividitur in vim *absolutam* et *conditionatam*; prior facit absolutam necessitatem, ac proinde tollit prorsus votuntarium et liberum consensum; posterior facit necessitatem conditionatam, et in isto violento, quamvis hoc quod fit, non sit, per se, votuntarium; tamen consideratis circumstantiis hic et nunc voluntarium est; et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium.[3]) Unde nemo negat, matrimonium, quod efficitur per consensum, ex jure naturali invalidum esse, si ineatur ex vi absoluta; probabilius autem est, vim conditionatam non ex jure naturae invalidare matrimonium, quia haec coactio vel violentia potest esse in consensum, quin cesset esse actus voluntatis.[4]) Et quia haec conditionata coactio fit ex hoc, quod timetur aliquod periculum imminens, ideo ista vis idem est, quod metus, qui voluntatem cogit quodam modo, unde idem quod statuitur de vi conditionata, etiam statuitur de metu, et vicissim.[5])

II. Dixi, probabilius vim conditionatam, seu, quod idem est, metum non ex jure naturali invalidare matrimonium. Hinc hoc saltem certum est, ex lege solo naturali non posse metum semper et cum certitudine matrimonium taliter initum dirimere nec proinde efficere impedimentum in stricto sensu, cum impedimentum dirimens effectum producere debeat semper ac cum

---

nem fuisse, quod *valori* tale pactum non obsistat. *Feye* dissert. p. 167. Idem dicendum esse videtur de pacto proles in infidelitate educandi, negante tamen Reiffenstuel, qui sub tali conditione matrimonium invalidum esse censet.

[1]) cap. 14. X. de sponsal. et mul. lib. IV. 1.

[2]) Vis a Juristis definitur „majoris rei impetus, qui repelli non potest."

[3]) S. Thom. Summ. suppl. quaest. 47. a. 1.

[4]) Sanchez, Laymann, Lugo, Pich. Schmalzg. S. Thom. l. c.

[5]) Vis et metus sunt correlativa, et, quod de uno dicitur, etiam intelligitur de altero; Vis si quidem consistit in inferente metum, et se habet per modum agentis; Metus autem stat in persona, cui vis infertur, et se habet per modum patientis. — Cleric. dec. 27. n. 4.

certitudine. Insuper ab adversariis conceditur, metum levem non dirimere matrimonium; quis autem ex mera lege naturali audeat statuere *certos* limites inter levem et gravem metum? Quapropter, quidquid est de illa controversia, ad constituendum impedimentum metus, ut lex certa sit, requiritur juris positivi dispositio, qua omnis ambiguitas tollitur aut saltem ad minimum reducitur. In hunc finem „Ecclesia praesumit eum, qui ex metu dixit, se consentire, revera consensisse, sed judicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium", h. e. *irritat consensum ex metu a lege positis qualitatibus vestito procedentem.*[1]) Unde, cum praesumptio stet pro consensu, perspicaria in hoc casu opus est in *expendenda lege positiva,* ut appareat, *quid* disponat et *quatenus* valorem actus tollat.[2])

III. Inter omnes convenit, 1) *metum levem,* ea quacunque causa incussum, non irritare matrimonium; 2) idem esse dicendum de metu ex intriseca vel naturali (ut alii dicunt, necessaria) causa, non a libera et extrinseca procedente, quamvis gravi; 3) idem de consensu metu gravi extorto, sed justa de causa praecise ad matrimonium contrahendum; in tribus his casibus, consensus aliquo modo datus praesumitur debite datus fuisse; ac proinde saltem in foro externo matrimonium taliter initum validum est, nec potest dissolvi. — Hinc 4) dicendum, quod *solus* ille metus invalidet matrimonium, qui gravis est et a causa libera ab extrinseco ad consensum in matrimonium directe vel indirecte extorquendum injuste incussus. Est communis, et certa omnium fere Theologorum et Canonistarum sen-

[1]) S. Thom. suppl. quaest. 47. a. 3. c. Ecclesia non debet praesumere de aliquo peccatum quousque probetur; peccavit autem, si dixit se consentire, et non consensit: Unde Ecclesia praesumit eum consensisse, sed judicat consensum illum etc.

[2]) Fieri potest, ut etiam sub metu levi agens revera non consentiat, sed tunc, si non consenserit, consensum supplere debet, saltem in foro externo; si autem realiter consenserit, quamvis gravi metu agens, hic consensus in utroque foro irritatur, ac proinde, si in matrimonio voluntarie permanere vult, de novo consensum praestare debet aliquo modo.

tentia, et habetur ex textu juris.[1]) *Procedetque hoc* a) etsi metu coactus vere consenserit in matrimonium; nam consensus iste jure positivo est irritus, quod hujusmodi matrimonia irritat, non ex praesumtione ficti, sed veri etiam consensus; b) *procedet*, etiamsi ita contrahens sua culpa inciderit in hunc metum, nisi ille, qui metum incutit, praeter culpam contrahentis etiam *jus* habuerit incutiendi;[2]) c) *procedit*, etsi metus ejusmodi non inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, sed ab alio quocumque, si id fiat ad extorquendas nuptias.[3]) Ratio est, quia jus non tam in odium metum incutientis quam in *favorem libertatis* matrimonii irritavit consensum tali metu extortum.

IV. Ut metus aliquis censeatur *gravis*, duo concurrere debent, 1) ut malum, quod timetur, sit *notabile;* 2) ut illud malum *verisimiliter* et *propinque* immineat; pericula enim remota non ita considerantur; quapropter si quis noscatur mala minari, sed nihil efficere, et talis grave malum minetur, metus inde exortus non reputabitur gravis.[4]) Dixi 1) ut malum sit *notabile;* generatim loquendo notabilia sunt mala, quae movent virum quemque constantem; constans vir ille est, qui ad minus malum cogitur metu majoris mali, non autem ad majus malum, ut vitet minus malum, sed inconstans cogitur ad malum majus propter metum majoris mali, pertinax econtra non potest cogi ad etiam minus malum sustinendum vel faciendum, ut evitet majus malum; inde constans est medius inter inconstantem et pertinacem.[5]) Sed praeterea bene attendi debeat qualitas personarum, aetas, sexus etc., quia idem metus potest esse gravis respectu puellae, et levis respectu viri, quatenus, inspecta conditione puellae, natus est movere puellam *aliunde constan-*

---

1) Decret. lib. IV. tit. 1. c. cum locum 14. c. veniens 15. etc. etc. Cas. VIII. IX.

2) Hoc colligitur ex c. *veniens* cit. ubi matrimonium decernitur invalidum, si contractum fuerit ex metu, cui sponsus et sponsa per delictum causam dederunt, pater autem, qui ex hac causa incussit metum, in casu non habuit jus metum incutiendi. Cf. Cas. XII.

3) Colligitur ex eodem c. *veniens.*

4) Dens Th. tr. de matr. n. 86.

5) S. Th. suppl. quaest. 47. n. 2.

tem, non ita virum; similiter idem metus potest esse gravis respectu viri parvi ingenii, minus experti, qui talis non sit respectu alterius.[1]) Hinc distinctio inter metum *absolute* et *respective* gravem est bene fundata in natura rei et in jure. — Absolute gravis in jure habetur metus mortis, cruciatus corporis, mutilationis, carceris, vinculorum, verberum, servitutis, stupri inferendi, amissionis patrimonii, metus excommunicationis, infamiae. Haec autem non ita intelligi debent, ut non alia mala absolute gravia in jure admittantur, sed ea magis exempli loco speciatim proferuntur, cetera[2]) quae ob varietatem humanam enumerari nequeunt, relinquendo arbitrio judicis, pariter etiam illa, quae mala *respective* gravia in casu particulari habenda sunt.[3])

Dixi 2°; Ut illud malum verisimiliter et propinque immineat; a) *verisimiliter,* h. e. ut non sit situm in vano timore,[4]) sed ut is, qui minatur, habeat potestatem exequendi, quod minatur, atque ita sit dispositus, ut soleat minas exequi; b) *propinque,* h. e. ita, ut neque effugere, neque malum propria vi avertere, neque auxilium invocare possit. Unde patet, etiam ex hac ratione multa esse relicta prudenti inquisitioni et arbitrio judicis. Merito Sanchez dixit: Metus quis cadat in virum constantem, concors Doctorum sententia est, id judicis arbitrio definiendum esse; ratio est, quia exprimi non possunt in parti-

---

1) Dens. l. c. „Minor tamen metus magis excusat feminam quam virum.“ Glossa ad cap. Cum locum. 14. X. de spons. et matrim. — Ad effectum annullandi matrimonium metu contractum a muliere non tantum timoris in ista, ratione imbecillioris sexus, quantum in viro requiritur.“ Conf. Decis. Rotae Rom. in Roman. Nullit. matr. de 24. Maji 1655. Knopp. p. 46.

2) Knopp. p. 47 et 48. citatis locis juris. Sanchez. lib. 4 disp. 5. Met. non solum oritur, quando mala similia ipsi timenti, sed etiam, quando ea sibi conjunctis propinquitate usque ad quartum gradum imminent.“

3) Sanchez. l. c.

4) „Item quandoque non tantum metus, sed suspicio metus excusat.“ Glossa: *Clericatus* ex pluribus decisionibus Rotae concludit, ut inducatur talis metus, sat esse, quod aliquid fuerit *opinatum*; nam haec opinio liberum arbitrium excludit.“ — „Sed, ut per se patet, haec opinio stricte *probari* debet.“ Knopp. p. 45.

culari omnes casus, et quamvis de aliquibus malis (quae in lege definiuntur) constet esse sufficientia, cum requiratur *probabilis illorum jam impendentium* aestimatio, jam judicis arbitrium desiderabitur ad perpendendum, an talis sit aestimatio.[1])

V. *Dixi*, metus ad consensum in matrimonium *directe* vel *indirecte* extorquendum injuste incussus. — Satis multi doctores requirunt, ut metus *eo fine* incussus sit, ut extorqueatur matrimonium. Hinc validum dicunt matrimonium initum metu gravi, injuste quidem, sed alio fine incusso, quam ut matrimonium per eum extorqueatur.[2]) Sed probabilius matrimonium etiam ex metu *indirecte* incusso contractum irritum est et nullum. Ostenditur inprimis ex textu juris,[3]) ubi Alexander III. P. in contrahente matrimonium exigit plenam securitatem a metu injusto, neque distinguit, an metus ad nuptias extorquendas incussus sit, vel alio fine, additque rationem, „quia ex coactis matrimoniis facile sequuntur infelices exitus,“ atqui haec plena securitas deficit, et contra infelices exitus timeri possunt, etsi matrimonium contractum sit metu, ob alium finem quam ad extorquendum matrimonium, ergo etc. Alii dicunt, distinguendum esse, videlicet 1) si metus inferatur ab alterutro contrahentium, et matrimonium est solum medium periculum evadendi, matrimonium est invalidum, quia finis matrimonium extorquendi praesumitur; 2) si inferatur metus injuste a tertia persona; contrahentibus sive ignorantibus sive consciis, videndum erit, num illi, qui metum infert, aliquod commodum oriatur ex matrimonio, nec ne; si *primum*, finis matrimonii praesumitur; si *secundum*, matrimonium valet.[4])

---

[1]) Sanch. lib. 4. disp. 5. n. 1. „Unde arbitrium erit quantum ad ea mala, quae *reducuntur ad damna expressa in jure*, et quoad discernendum, an sit probabilis aestimatio illorum“, n. 2. „Unde patet, mala expressa in jure esse quandam *normam*, qua arbitrium judicis dirigatur.“

[2]) Sanchez, Laymann, Conenk, Pichler.

[3]) Lib. 4. decret. tit.1 c. cum locum. — vide Cas XII.

[4]) Knopp. p. 54. — Schmalzg., Wiestner sentiunt, matrimonium semper esse irritum, si ex metu injuste incusso oriatur, excepto tantum hoc casu, si, periculum ab uno positum, alius non vult avertere, quia non

Quaesita:

Quaeritur 1) Cur metus gravis *juste* incussus matrimonium non irritet?

℟. Ratio est: 1) quia talis metus censetur illatus, non tam a judice vel parente, sed a lege, sed ipsomet, qui metum hunc patitur, dum sua culpa id fecit, propter quod nuptias sub tali comminatione ab eo exigi jura permiserunt; 2) conjugia metu extorta irritantur praecise non ideo, quia is perfectum et ad consensum spontaneum requisitam libertatem tollit, sed quia hunc tollit injuste, seu modo non permisso a jure; 3) solum ille metus irritat matrimonium, qui caeteros contractus facit rescissioni obnoxios; atqui ob metum juste incussum contractus ceteri non rescinduntur; similis enim metus nec tollit voluntarium, nec annexam habet injuriam; proindeque non apparet ratio, propter quam nocumentum afferre possit alicui pacto vel contractui. — Ita communiter.

Quaeritur 2°) Quid dicendum de metu reverentiali?

℟. 1) Metus reverentialis datur in eo, qui jure aliquo subjectionis alteri subest, hinc in uxore respectu viri, in filio respectu patris, in clerico respectu episcopi, in saeculari respectu magistratus; idem dicendum respectu soceri, quia socer parentis locum obtinet; etiam de avo, quia tamquam pater colitur, et de curatore, qui loco parentis habetur; in sorore, et fratre minore respectu fratris majoris natu, quando illi cum fratre majore cohabitant et ab eodem gubernantur. De timore autem matris dicunt non sufficere, quia feminae minus timentur, cum minus audaces sint et imbecilliores. Hinc non praesumitur metus, si filia contrahat in praesentia matris, sicut quando praesente patre; excipe, si mater esset crudelis, et austera solitaque minas exequi. — 2) Metus reverentialis in hoc consistit, ut ob reverentiam et obsequium superioribus debitum subditi minus audeant ipsorum voluntati contradicere. 3) Sententia multo verius, ut dicit Sanchez,[1]) tenet *solum* metum re-

---

obligatur ex justitia, quamvis possit, nisi filiam hujus metum patiens ducat. Tit. 1. n. 4. v. 3.

[1]) Sanchez. lib. 4. disp. 6. par tot. — conf. Casum 11.

verentialem, nisi minae aut verbera, aut alius metus gravis illi adjungatur, non cadere in virum constantem ac proinde non irritare matrimonium; insuper *probabilius* requiritur in metu reverentiali, ut minans solitus sit minas exequi; quia, dum aliquis solet minas jactare et parum exequi, perinde est, ac si non minaretur.[1])

Quaeritur 3º). Quomodo sit procedendum cum persona, quae in matrimonium consensisse ex metu gravi injuste incusso asserit?

℟. Audienda est, si hoc *probare* velit; cum enim ejus illatio quid facti et delictum sit, haec autem non praesumuntur, probanda erit ab allegante; debet autem probare non tantum metum sed etiam illius qualitatem, videlicet, quod talis fuerit, qui possit cadere in virum constantem Modus probandi praecipuus est per testes omni exceptione majores, inter quos in hoc casu etiam admittuntur consanguinei cujuslibet gradus. Si matrimonium contractum fuerit in praesentia (judicis) sacerdotis, et coram consanguineis, metus difficilius probatur, nam in horum praesentia metus non praesumitur; quodsi, consideratis omnibus, dubium sit, utrum metus injuste ad matrimonium contrahendum incussus, gravis sit censendus an non, adeoque utrum matrimonium irritum an validum sit, judicandum est pro valore matrimonii,[2]) quia, licet maximopere curandum sit, ut matrimonium libera voluntate contrahatur, ideoque sponsalia, si quocunque leviori metu celebrata sint, facile dissolvantur, matrimonium tamen, postquam semel contractum est, potius est, ut validum, quam ut invalidum judicetur, cum matrimonii causa favorabilis sit, idque partim propter reverentiam Sacramenti, partim quia reipublicae et prolis educandae interest, ut matrimonia non solvantur, nisi eorum informitas appareat. Accedit,

---

[1]) Excommunicatio a Conc. Trid. sess. 24. cap. 9 de reform. matr. contra illos, qui directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant, juxta declarationem Gregorii XVIII. P. non debent intelligi de privatis personis. v. g. parentibus, tutoribus. Knopp. p. 58.

[2]) Laymann. lib. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. n. 4.

quod postquam contractus celebratus est, possessio seu potius praesumptio stet pro ejus valore, nisi contrarium ostendatur.[1])

§. 30.

IV. De impedimento impotentiae.

I. Quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad actum est de ejus essentia, quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulae, ac proinde impotentia ad coitum constituit matrimonii impedimentum, inquantum est impotentia ad copulam, non vero ad generationem; quia prior tantum, non posterior impedit, quominus vir et mulier fiant inter se una caro.[2]) Ut dubia et difficultates circa hoc impedimentum occurrentia facilius explicentur, necesse est ut distinguatur.

1) Impotentia *antecedens*, quae, licet ignorata, contractum praecessit, et *consequens*, quae matrimonio contracto, sive rato, sive consummato, supervenit;

2) *naturalis*, quae ex defectu naturae oritur, et *accidentalis*, quae ex actu violento, diuturno morbo aliisque ex causis praevenit.

3) Utraque est aut *perpetua*, quae nullo remedio naturali absque mortis periculo vel absque peccato tolli potest, aut *temporalis*, quae per artis remedia absque periculo vitae vel peccati potest sanari.

4) Denique impotentia perpetua aut simul est *absoluta*, quae copulam respectu omnium impossibilem reddit, aut *respectiva*, quae respectu certae personae, non autem respectu aliarum copulae exercendae obstat.

II. Ex his sola impotentia *antecedens* et *perpetua*, sive sit absoluta, sive respectiva, matrimonium jure naturae et eccle-

---

[1]) Schmalzgr. lib. tit. 1. 429—433.

[2]) S. Thom. suppl. quaest. 58. a. 1. ac. 1. Schmalzg. tit. 15. n. 31. — Unde conjugia inter senes, steriles et infirmos valida et licita censentur, nisi senes sint ad copulam omnino in perpetuum inhabiles, et infirmis morbus intrinsecus potentiam exercendi copulam ademerit. Instruct. pass. Eyst. p. 281—283.

siastico irritat.[1]) Hinc ii, quibus constat, se esse impotentes absque gravi peccato matrimonium contrahere nequeunt, etsi alteri parti nota esset impotentia et cedere jure suo vellet, quia contractus esset irritus; neque eorum cohabitatio tamquam inter fratrem et sororem admitti potest, *potissimum*, si cum scientia hujusmodi impotentiae contraxerint, quo in casu ante omnem probationem sese separare tenentur. Ob vitium impotentiae etiam eunuchorum, qui proprie tales sunt, conjugia invalida declaravit Sixtus V. P.[2]) — Impotentia *subsequens*, etsi perpetua et matrimònio, etiam, antequam consummatum fuerit, superveniens, contractum non dirimit. Idem dicendum de impotentia *antecedente temporali*, quia usus actualis matrimonii ad ejus essentiam non pertinet, et sufficit, ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus, vel tunc possibilis futura sit; unde in utroque casu, si postea separatio fiat necesse est, neuter contrahentium ad alia vota transire potest ante obitum alterius.

III. Si impotentia sit *certa*, sive sit antecedens, sive consequens, usum matrimonii, etiam solummodo attentatum, facit illicitum, quia, ubi copula perfici nequit, deest finis licitus. Hinc in casu impotentiae certae sive antecedentis sive consequentis separandi sunt conjuges,[3]) saltem a toro, si ob scandalum aut alia gravissima incommoda ab habitatione separari nequeunt.[4]) — Caute autem procedere debet confessarius: et si deprehendat conjuges impotentes in bona fide versari, saepius monitione abstinere melius erit, ne a peccato materiali in formale labantur.[5])

---

[1]) Decret. lib. IV. 4. tit. 15. c. 6.

[2]) Sixtus in litteris ad Episcop. Novariens. d. 26. Junii 1587.

[3]) Possunt separari in hoc casu, etiam ex propria auctoritate, si id fieri potest sine scandalo. Si periculum scandali adsit, pro ut communiter est, tunc debent reclamare coram judice ecclesiastico, a quo separandi sunt, saltem quoad torum, non exspectato triennio. S. Liguori 4. 1101.

[4]) Si autem vellent cohabitare ut frater et soror mutuo consensu, modo absit periculum incontinentiae, id permittitur ex eodem textu; sed recte advertit *Merbesius*, hoc nunquam permittendum, si sponsi non sint senes. S. Lig. l. c.

[5]) Gury. 1543.

IV. Si dubitetur de impotentia, an sit antecedens vel consequens, praesumitur, esse antecedentem, cum omnem fidem excedat, quod quis brevi tempore ab uno extremo ad alterum transierit et potentiam, quam a natura habuit, amiserit. — Si vero dubitetur, an impotentia sit perpetua, Ecclesia triennium concedit experientiae; elapso triennio, si uterque affirmet, adesse impotentiam, conjugibus juramentum scientiae et septem consanguineis a parte mariti et septem a parte uxoris et in horum defectu septem vicinis bonae famae ex utraque parte juramentum credulitatis ante separationem deferendum est; si vero una pars sub fide jurata asserat, matrimonium esse consummatum, standum est pro valore matrimonii, licet pars altera neget, nisi signa impotentiae certa appareant. Si judex competens consilio medicorum aut honestarum matronarum adhibito et imposito singulis juramento matrimonium ob impotentiam nullum declaravit, defensor matrimonii causam per viam appellationis ad altius tribunal devolvet, ut causa iterum et de novo examinetur ac per ulteriorem sententiam definiatur. Nam antequam separatio fieri possit cum libertate ad alia vota convolandi (si nihil aliud obstet), saltem *duae* sententiae contra valorem uniformes, sub poena nullitatis processus, necessario requiruntur.[1])

§. 31.

V. De impedimento aetatis.

I. Ad ineundum matrimonium certa corporis et mentis maturitas necessaria est, unde ad valorem matrimonii ex jure canonico annus decimus quartus in viro, et duodecimus in femina, et quidem completus requiritur: ab ipsa tamen legum dispositione provisum est, ut matrimonium etiam ante hoc tempus praescriptum

[1]) Et tamen in hoc quandoque judex ecclesiasticus errat; unde, si se deceptum inveniat, per hoc, quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia, vel cum eadem perfecisse, redintegrat matrimonium praecedens, et dirimit secundum, quamvis de ejus licentia sit factum. S. Thom. supp. qu. 58. a. 1. Decret. 4. tit. 15. c. 6. — Conf. Cas. XIII.

contrahi queant, quando malitiam aetatem supplere per sententiam Ordinarii declaratum fuerit. Malitia vero, quatenus supplet aetatem in casu, in duobus consistit, videlicet in *discretione* ad conjugalem consensum et in *potentia* ad copulam.[1]) Quodsi vero unus vel uterque impubes rationis quidem usu ita pollet, ut contrahendi vim atque naturam intelligat, pro conjugali vero copula nondum est maturus, jus dispensationem desuper concedendi ad contrahendum matrimonium privative ad Sedem Apostolicam spectat. Etenim ad validitatem matrimonii, quemadmodum rationis usus requiritur de jure naturali et divino, ita actualis ad conjugalem copulam potentia requiritur de jure canonico.[2]) Hinc matrimonia infidelium etiam ante aetatem canonicam inita sunt valida, licet nondum adfuerit potentia copulae, quia, lege ecclesiastica illos non obligante, sufficit, ut posset aliquando expediri, dummodo adfuerit discretio rationis.

II. Matrimonia impuberum, juxta formam Concilii Tridentini inita, habent vim sponsalium; clandestine vero inita sunt nulla et irrita, etiamsi copula subsecuta fuerit, sc. in locis, ubi Concilii decretum de clandest. viget; in aliis locis, copula subsecuta efficit matrimonium.[3])

§. 32.

VI. De impedimento ligaminis.

1) De indissolubilitate matrimonii.

I. Impedimentum ligaminis est vinculum matrimoniale, vi cujus unus conjux sic alteri alligatur, ut, eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere possit matrimonium. Ad inducendum hoc impedimentum tria requiruntur, 1) ut praecesserit matrimonium, saltem ratum, ut patet; 2) ut matrimonium praecedens fuerit valide contractum; 3) ut matrimonii vinculum etiamnum perseveret; nam vinculo ejus per mortem, vel professionem solemnem, vel dispensationem apostolicam, si ratum sit, vel, si sit

---

[1]) S. C. C. apud Fagnan. in lib. IV. decret.

[2]) Benedict. XIV. P. *Magnae nobis* dd. 29. Junii 1748.

[3]) Conf. Cas. XIV.

inter infideles, in casu Apost. 1. Cor. c. 7. dissoluto, redit libertas valide contrahendi matrimonium cum alia persona. Matrimonium morte dissolvi, et dari licentiam matrimonium alterum, tertium etc. contrahendi, est de fide contra Montanum et Cataphrygas, qui secundas nuptias formicationem deserunt, et constat aperte ex S. Paulo Rom. 7. et 1. Cor. 7. ubi ait: „Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, *liberata* est; cui vult, nubat.“ Quod vero matrimonium, si duntaxat sit ratum, per votum solemne vel dispensationem Apostolicam dissolvi possit, ostendetur infra. Cum, ut ex dictis patet, ligaminis impedimenti prohibeat, tum ne vinculum matrimonii aliter, quam modo dicto, dissolvatur, tum ne, illo durante, aliud matrimonium simul cum tertia ineatur, agendum erit, 1) de indissolubilitate, 2) de unitate matrimonii.

II. Matrimonium valide inter fideles contractum et consummatum est absolute indissolubile; hoc est de fide, ex definitione Conc. Trid. sess. 24. de matr. cap. unic. et can. 5. et 7., „Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, a. s. — can 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugis matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit, a. s.“[1]) De matrimonio autem rato, non consummato, eadem s. Synodus definivit can. 6. ejusd. sess. Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non *dirimi*, a. s. unde pariter certum est, matrimonium ratum non consummatum non esse absolute indissolubile quoad vinculum. Hinc communis etiam inter Theologos sententia tenet, matrimonii rati vinculum praeter

---

[1]) Conf. Casum XVI.

professionem religiosam ex aliis quoque gravissimis causis dissolvi posse a summo Pontifice[1].

III. De matrimonio in infidelitate (ante baptismum) contracto et consummato, si post susceptum ab utroque conjugum baptismum consummatio nova supervenerit, 1) certum est inter omnes, aeque indissolubile illud esse, ac matrimonium ratum et consummatum inter fideles. Ratio est, quia tale matrimonium, etsi non est sacramentum in sensu stricto juxta plures, tamen est in sensu latiori, inquantum indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia jam repraesentat, ac proinde merito ratum vocatur post susceptionem baptismi; accedente ergo consummatione nihil differt ab alio matrimonio rato et consummato quoad in dissolubilitatem; sed 2) controvertitur, num matrimonium ante baptismum contractum et consummatum dissolvi possit a Summo Pontifice post baptismum, si nova consummatio non supervenerit; affirmant hoc casu dispensationi S. Pontificis locum esse Navarrus, Sanchez, Pirhing; rationem dant, quia Pontifex, ut indicavimus, potest dissolvere matrimonium *ratum* fidelium, cujus firmitas major est, quam matrimonii consummati infidelium, cum istud per matrimonium ratum ab infideli ad fidem converso initum, solvatur; ergo etc. etc. Alii autem negant; quia tale matrimonium non solum est matrimonium infidelium consummatum, sed etiam ratum nunc fidelium per susceptum baptismum[2]). Benedictus XIV. in synod. dioec. lib. 6. c. 4. n. 5. refert de hac controversia, se, tunc fungentem munere Secretarii S. C. C. in quadam causa Florentina, Congregationi quaestionem proposuisse, an saltem jus esset summo Pontifici matrimonium in infidelitate contractum et consummatum suprema sua auctoritate relaxandi veniamque concedendi conjugi, tardius ad fidem

[1]) Sententia, quae affirmat, Summum Pontificem posse dispensare de matrimonio rato, hodie habetur acceptissima et verissima, ita ut *Gobat*, „Theolog. experim. tr. 10. n. 691. et *Pignatelli* t. 1. consult. 148. n. 5. et 6. asserant, sine temeritate et contumelia Sedis Apostolicae contrarium asseri non posse. Dicere enim, quod tot tantique Pontifices, qui taliter dispensaverunt, in re tam gravi erraverint, homini Christiano in mentem venire non debet.“ *Schmier*. Lib. 4. tr. 2. c. 5. sect. n. 23.

[2]) Conf. Cas. XXI., XXII.

converso, ut posset cum secunda uxore, (quam duxit post separationem ab altera parte prius conversa, quae tamen non usa est ante conversionem secundae partis privilegio ab Apostolo pronuntiato) permanere. Sed sacram Congregationem satius duxisse, a ferenda sententia abstinere, quoniam etiam data Pontifici potestate rescindendi tale matrimonium in infidelitate contractum, nihilominus merito dubitabatur, num eae adessent gravissimae causae, quae necessariae sunt, ut per Apostolicam dispensationem dirimatur.[1]) Unde concludimus S. Pontificem vix unquam hanc potestatem exercuisse, ac secundam sententiam esse sequendam in praxi. 3) Certum est, matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi posse quoad vinculum, si alterutro conjugem ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat habitare sine contumelia Creatoris. Hoc constat satis ex verbis Apostoli 1 Cor. 7. 10. „Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit cohabitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum... Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater et soror hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus."[2]) *Servitutis* nomine hic significari non potest,

---

[1]) Dicit idem auctor l. c. „Opportuna etiam de hac, longe utique graviori, quaestione fuit a nobis exarata dissertatio, quae extat tom. 4. thesaur. resol. p. 30. in qua plures allegavimus Doctores, hanc potestatem Pontifici asserentes, simulque contendentes, eam *re ipsa S. Pium V. et Gregorium XIII. exercuisse;*" Cum autem Congregatio nihilominus satius duxerit, se abstinere a sententia ferenda, illae allegatae dispensationes a S. Pio V. et Gregorio XIII. concessae aliquatenus diversae videntur fuisse a casu nostro.

[2]) Perrone. Praelect. Theolog. de matrim. c. 2. prop. 2. „Vix unquam de illius (propositionis) veritate dubitatum fuit usque ad medium saeculum anteactum, ex occasione solemnis decreti quod supremus senatus Parisiensis, die 2. Ian. 1758 edidit, ad confirmandum judicium latum a curia Soessionensi, die 5. Febr. 1756, in causa Iudaei Borach Levi Argentinensis recens ad fidem conversi, quo eidem vetitum est aliud inire conjugium, quamvis uxor Iudaea renueret obstinate habitare cum ipso. Ex hoc autem tempore plures prodiere libelli ad evincendam indissolubilitatem ejusmodi conjugiorum." Inter patronos hujus novae doctrinae

nisi vinculum illud quo fit, ut alteruter conjugum debeat aut caelebs vivere aut alteri parti reconciliari, de quo paulo ante locutus fuerat, cum ageret de conjugio fidelium quodque inferius c. 39. *ligamen* vocat, ejusque solutionem „*liberationem*“. Cum igitur huic servituti minime obnoxium esse fidelem conjugem doceat Apostolus, consequens est per infidelis discessionem libertatem fieri fideli plane dissolvendi matrimonium in infidelitate contractum. — Quotquot ex Patribus citata Apostoli verba explanant, ea de perfecta dissolutione intelligunt; praecipue tamen fundatur haec doctrina in romanorum pontificum decretis et constanti Ecclesiae praxi. Celebre est Innocentii III. doctissimi Pontificis decretum, quod exstat in cap. 7 Quanto de divort X. lib. 4. tit. 19. et cap. *Gaudemus* 8. cit. l.[1])

Quaesita.

Quaeritur 1⁰) num indissolubilitas matrimonii fundata sit in jure naturali, an in lege positiva divina?

℟. Sententia communior sic docet: „Matrimonium non est ita indissolubile, ut ejus solutio proprie repugnet juri naturali; neque enim ulla ratio affertur, cur non etiam matrimonii contractus, jure naturali praecise spectato, per mutuum consensum dissolvi possit, sicut alius contractus, nisi quod talis dissolutio primario fini matrimonii, quae est prolis generatio et educatio, repugnare videatur. Verum hac ratione non ostenditur, matrimonii solutionem per se et intrinsece malam esse, sed solum ratione adjuncti, quod saepissime abesse potest, ut si proles

non infimum locum tenet Dr. Binterim novissime, qui satis prolixam edidit dissertationem pro indissolubilitate hujusmodi conjugiorum; sed cum eidem auctori doctissimo innotuerit per litteras a R. D. Carolo Vizzardelli a secretis pro litteris latinis SS. Greg. XVI. P. 6. Kal. oct. 1832 summum P. aegre tulisse ejus sententiam de indissolubilitate conjugii fidelem inter et infidelem in hoc casu, statim se recepit ac humillime subjecit. — *Binterim.* Monumenta Eccles. t. 7. p. 2.

[1]) Hanc vero doctrinam in praxim deductam fuisse in universa Ecclesia luculentis exemplis evincitur a Benedicto XIV. lib. 6. de Synod. c. 4. n. 2. lib. 13. c. 31., qui plures casus recenset excussos et resolutos a summis P. S. Pio V., Gregor XIII. et Paulo V.; quibus adjici possunt responsa a S. congreg. C. T. saepius data. — *Perrone l. c.*

perfecte educata sit, utque ob uxoris senium, sterilitatem, etc. nulla spes sit generandae prolis. Insuper certum est, Deum dispensasse in hac lege cum Iudaeis, quod fieri non potuisset, si solutio matrimonii lege naturali proprie dictae contraria esset[1]). Doctor angelicus[2]) de hac re subtiliter loquitur his verbis: „Lex naturalis nihil aliud est, quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis. Omne autem illud, quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur. Potest autem actio esse non conveniens fini vel principali, vel secundario, et sive sic, sive sic, hoc contingit dupliciter. Uno modo ex aliquo, quod omnino impedit finem, alio modo ex aliquo, quod facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem principalem vel secundarium; si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae, quae sunt in operabilibus, sicut communes animi conceptiones in speculativis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali, ut faciens difficilem, vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis praeceptis legis naturae, sed secundis, quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent... Illa autem, quae lex naturalis dictat, quasi ex principiis primis legis naturae derivata, non habent vim coactivam per modum praecepti absolute, nisi post quam lege divina et humana sancita sunt[3]). Videtur autem inseparabilitas matrimonii inter secunda praecepta legis naturae contineri; inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad bonum prolis (quod est principalis matrimonii finis), nisi quantum ad hoc, quod per parentes provideri debet in totam vitam per

[1]) Sic Laymann, Sanchez, Bellarmin et alii communiter.

[2]) S. Thom. suppl. q. 65. a. 1.

[3]) „Secunda enim legis naturae praecepta continent quidem regulam rectitudinis, sed aliquando mutatis circumstantiis rerum et personarum utile est legem mutari, sed tamen tunc mutari non potest nisi ab eo, qui illam posuit.“ *Belarm.*

debitam praeparationem eorum, quae sunt necessaria in vita [1]) Hujusmodi autem praeparatio non est de prima intentione naturae [2]), secundum quam omnia communia sunt; et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturae dimissio uxoris, et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda legis naturae". Unde concludimus [3]), juxta doctrinam S. Thomae impedimentum ligaminis, quamvis sit fundatum in lege naturali, non habere vim coactivam per modum praecepti *absolute*, nisi accedente lege positiva, sive divina sive humana. Confirmatur haec sententia ex Concilio Trid. sic loquente de matrimonii indissolubilitate: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens *divini Spiritus instinctu* pronuntiavit" [4]), unde satis patet, juxta sensum Concilii aliquam legem seu ordinationem positivam additam fuisse ad legem naturalem, ut matrimonii vinculum perpetuum indissolubileque fieret. Idem docet Catechism. Roman. [5]): „Neque vero Deus matrimonium tantummodo instituit, verum ut sancta Trident. synodus declarat, perpetuum etiam et indissolubilem nodum ei *addidit;* si quidem Salvator ait: „Quod Deus conjunxit, homo non separet; quamvis enim matrimonio, quatenus naturae est officium, *conveniat,* ut dissolvi non possit; tamen id *maxime fit,* quatenus est Sacramentum" [6]). Hinc fieri potuit, ut in lege Moysis permit-

---

1) Suppl. quaest. 67. art. 2.

2) In bona prolis, secundum quod est de prima intentione naturae, intelligitur procreatio, et nutritio, et instructio, quousque proles ad perfectam aetatem ducatur; sed quod ei provideatur in posterum per haereditatis et aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturae intentionem. l. c. ad 1.

3) Schmalz gr. lib. 4. tit. 19. n. 3. Melius sentiunt, qui dicunt, connubiorum indissolubilitatem quidem aliquo modo fundari in jure naturali, non tamen ex illo *solo* competere, sed eo jure (naturali) primum induci supposita institutione divina. — Cf. Laymann.

4) Sess 24. de matrim. cap. unic.

5) Catech. Rom. p. II. c. 8. q. 11.

6) Laym. de matr. c. 6. Dico: Matrimonium praesertim consummatum, ex primaeva Dei institutione, ideoque *quasi* naturali, seu congenito sibi jure indissolubile esto.

teretur, dato repudii libello, divortium cum uxore facere, dispensatione a Deo concessa de lege positiva; a lege Evangelica tamen illud indultum est sublatum, matrimoniumque in pristinum statum restitutum[1]).

Quaeritur 2°). Num indissolubilitas omnimodo (intellige respectu potestatis humanae) inter fideles proveniat ex eo, quod matrimonium sit Sacramentum?

℟. Probabilius *negative*, saltem, in quantum matrimonium est sacramentum in sensu stricto; quia etiam matrimonium ratum est Sacramentum, et tamen est solubile per ingressum in ordinem religiosum, et etiam potestate summi Pontificis; probabiliter *affirmatur*, si accipitur Sacramentum in sensu latiori, inquantum matrimonium est signum perfecte significans unionem Verbi cum natura humana, seu cum Ecclesia per incarnationem, quae perpetua est et nunquam solvenda.[2]) — Alii autem distinquendo dicunt: Matrimonium est omni modo indissolubile ex Sacramento tanquam a posteriore, non autem a priore; i. e. non ideo est matrimonium indissolubile, quia dictam unionem Christi significat, quasi haec esset ratio a priore, et in qua fundaretur indissolubilitas, sed quia indissolubile omnino est, ideo dictam unionem Christi significat; adeoque illam indissolubilitatem habet aliunde, nempe a praecepto divino juri naturali superaddito, quod nimirum Christus in lege Evangelica tulit, ac quidem praeter alia in hanc finem, ut aptius dictam unionem cum humanitate vel Ecclesia significaret[3]).

---

[1]) Catech. Rom. l. c. quaest. 19. 20.

[2]) Catech. Rom. l. c. quaest. 11. Bellarm de matr. c. 5. ad fin. — Laym. l. c. n. 2. —

[3]) Castropal, de matr. §. 2. c. 4. Leuren. lib. 4. tit. 19. quaest. 275. n. 4 Pius VII. in Brevi ad Archiep. Magunt. Carolum de Dalberg, 8. Oct. 1803, inter alia haec habet: „Exploratum est, conjugale foedus a prima sua institutione, *antequam* ad Sacramenti dignitatem elevaretur, *divino jure* indissolubile prorsus et perpetuum extitisse.... Neque enim de ecclesiastica lege, sed de *divina* agimus, quam Deus ipse tulit de matrimonii indissolubili vinculo, cui nemo potest refragari, sit ille haereticus, sive etiam paganus." Stapf. p. 298.

Quaeritur 3°) ex quo jure matrimonium ratum dissolvatur solemni religionis approbatae professione et S. Pontificis dispensatione?

℟. 1). De professione religionis approbatae plerique doctores apud Sanchez l. 2. disp. 19. existimant, per illam matrimonium dissolvi ex jure naturali, vel saltem divina Christi traditione ac privilegio; sed probabilius dicendum est, sola Ecclesiae auctoritate quam per antiquissimam traditionem accepimus, introductum esse, ut per vota solemnia religionis solvatur matrimonium ratum, si enim matrimonium jure naturali aut divino per vota solemnia solveretur, idipsum etiam fieret per vota simplicia; quandoquidem votorum solemnitas et a simplicibus discriminatio solo ecclesiastico jure introducta est[1].

2). Pariter dicendum est de summi Pontificis potestate dissolvendi dispensando matrimonium ratum, scilicet, illam fundatam esse non in aliquo speciali privilegio, sed in ordinaria ipsi tanquam vicario Dei commissa facultate ligandi et solvendi ac

---

[1]) Laymann l. c. c. 6. n. 3. Gonzalez Pillez. lib. 3. tit. 22. c. 2. „Accedit, quod omnis obligatio potest commutari in bonum evidenter melius, si non sequatur tertii praejudicium considerabile. Constat autem statum religiosum evidenter meliorem esse matrimonio; insuper non sequitur tertii praejudicium, cum persona conjugis illaesa maneat, et cum facultate contrahendi aliud matrimonium... Ratio (differentiae inter matrimonium ratum et consummatum) provenit ex eo, quia in matrimonio consummato datur obligatio perpetuo cohabitandi, et etiam intervenit reciproca traditio, per quam uterque conjux tradit alteri *possessionem* sui corporis ad usum conjugii;... in matrimonio vero rato licet adsit quaedam virtualis promissio, per quam conjuges acquirunt quoddam jus ad petendam possessionem alterius corporis ad finem matrimonii, nondum tamen habet ipsam possessionem, et ideo quilibet ex eis potest se Deo per statum religionis tradere, quia dominium sui corporis habet. Quae ratio expresse deducitur ex praesenti textu: „Quia cum non fuissent *una caro* simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere. Et probatur haec differentiae ratio exemplo venditionis, nam sicut venditio, in qua nulla traditio intercessit, solvitur per secundam, in qua traditio secuta fuit, ita etiam matrimonium ratum, in quo non est secuta traditio, dirimitur per traditionem factam Deo in religionem."

proindo ex jure ecclesiastico ipsi competere; eadem enim ratione, qua per Ecclesiae auctoritatem universim constitutum sit, ut per vota solemnia matrimonium ante celebratum, sed non consummatum dissolveretur, ita etiam dicimus, per Ecclesiae seu summi Pontificis auctoritatem ob aliam gravem causam vel publicam utilitatem decerni posse, ut vinculum matrimonii rati ante ejus consummationem dissolvatur. Unde concludimus, matrimonium, licet ad ejus essentiam copula non requiratur, ac ex ipsomet mutuo consensu ac pactione matrimoniali indissolubilitas quaedam super alios contractus oriatur, majorem tamen firmitatem per actualem ejus usum, consummationemque acquirere. Cujus ratio est a) quia, ut Innocent. III in cap. debitum 5. de bigamis non ordinand. cum S. Thoma et aliis Scholasticis dicit, matrimonium mutuo consensu ratum significat conjunctionem Christi cum membris ecclesiae per gratiam, matrimonium vero consummatum conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem. Atqui certum est, conjunctionem cum singulis fidelibus per gratiam esse solubilem, nempe per peccatum, dum econtra nexus Christi cum tota Ecclesia per incarnationem nulla ratione divellitur. b) Est quoque porro certum, quod, licet matrimonium ratum ac consummatum quoad substantiam non differant, et a neutro pro lubitu recedi possit, arctius tamen vinculum oriatur ex consummatione; nam unitatem hanc tanquam singularem divina scriptura notat in verbis: „Erunt duo in *carne una*,“ item „non sunt duo, sed *una caro*“. Gen. 2. 24. Matth. 19. 5. cit. 6. Marc. 10, 8. Hinc dicere licet, praeceptum divinum „Quod Deus conjunxit, homo non separet“, stricte ac proxime respicere matrimonium consummatum [1]).

---

[1]) *Bockhn* lib. 4. tit. 19. n. 24. 26. Decret. lib. III. tit. 32. cap. 7. cf. Zallinger Ius natur. de matr. *Perrone* cum aliis quaestionem, quomodo matrimonium ex divina lege indissolubile dissolvi possit solemni professione, solvere conatur dicendo, omne conjugium ex statuto Ecclesiae saltem tacite sub hac conditione iniri, „nisi perfectiorem vitam ante ejus consummationem juxta Ecclesiae doctrinam profiteri velim“, sed hoc vix potest stare, quia consensus suspensus non sufficit ad matrimo-

Quaeritur 4[0]), quomodo dissolvatur matrimonium in infidelitate contractum et consummatum per conversionem alterutrius conjugis ad fidem Christianam?

℞. 1). Certum est, tale conjugium in hoc casu dissolvi posse, ut diximus, et quidem *ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum Paulum 1 Cor. c. 7. v. 15. promulgato* [1]). 2). Neque tamen integrum est conjugi converso transire ad alia vota, priusquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit, cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, i. e. non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi, et Christianae religionis despicientia. 3). Quando evenit, conjugem infidelem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare, ut interpellari nequeat, tunc dubitatur, an interpellatione omissa, fas sit converso alias inire nuptias; affirmant plerique; alii ex adverso in eo rerum statu necessariam putant dispensationem summi Pontificis, cujus est declarare, in quibusnam circumstantiis desinat obligare praeceptum divinum, quo praedicta interpellatio ante rescissionem matrimonii videtur injuncta [2]).

---

nium ratum efficiendum, ac proinde connubium taliter initum nondum esset validum matrimonium, quod induceret ullo modo impedimentum ligaminis (vide de impedimento conditionis). Gonzalez Tellez lib. 3. tit 32. p. 682.

[1]) Non solvitur tale matrimonium ex jure Pontificio; matrimonium enim consummatum non potest jure Pontif. solvi, quamvis in infidelitate initum sit, saltem lege generali; sed dissolvitur ex *privilegio* Christi, id in fidei favorem concedentio', quod privilegium d. Paulus, Cor. 7. 15. explicuit in verbis allegatis, *ita ab Ecclesia intellectis*.... Hujus autem privilegii ratio fuit ob necessitatem, qua astringitur fidelis ad vitandam cohabitationem conjugis infidelis in his eventibus et ideo Christus in *favorem fidei* instituit, integrum esse tunc fideli, matrimonii vinculum dissolvere. Ita Sanchez cum plurimis lib. 7. disp. 74.

[2]) Benedict XIV. synod. dioec. lib. 6. c. 4. n. 3. „Huic posteriori sententiae in quadam causa *Florentina*, discussa 17. Ianuarii 1722, adhaesit s. Congregatio Conc., cujus judicio nos omnia subjecimus rationum momenta, quae a dissidentibus inter se Doctoribus in utramque partem

4). Matrimonium non dissolvitur eo ipso, quo una pars fidem vel baptismum suscipit, nec interpellato conjuge infideli, eoque aut expresse abnuente legitime cohabitare cum fideli, aut intra terminum sibi in interpellatione praefixum, nihil respondente, sed tunc solum, quando conjux conversus aliud conjugium init; unde infidelis, qui post conversionem alterius conjugis aliam duxisset uxorem, si postea baptismum peteret, post illud susceptum teneretur redire ad primam, jam pridem Christianam factam, et adhuc perseverantem innuptam [1]). 5). Quando pars infidelis vult pacifice cohabitare comparti fideli, tunc non videtur matrimonium posse dissolvi, saltem non sine dispensatione summi

---

afferuntur. Nec Sedes Apostolica difficilem se praebet eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadet concedendam; etenim . . . Gregorius XIII. locorum Ordinariis, Parochis et Presbyteris missionariis S. I. in Angola, Aethiopia, et Brasilia degentibus potestatem fecit dispensandi cum quolibet conjuge, qui Christianae religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire, omissa interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse, et nos ipsi ad Petri Cathedram evecti, facultatem concessimus Apostolico Nuntio, Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjuges conversos, existentes in loco pio Catechumenorum ejusdem civitatis Venetiarum.“ Conf. Cas. XXIII.

[1]) Conf. Cas. XXI. XXII. „An in hoc casu matrimonium in infidelitate contractum dissolvatur per professionem in religione emissam, controvertitur; licet enim nonnulli velint, matrimonium in infidelitate consummatum solvi per religiosam professionem, ex quo si Professio religiosa solvit matrimonium ratum inter fideles, multo magis solvere debet matrimonium consummatum inter infideles, cum vinculum matrimonii rati inter fideles sit fortius matrimonio consummato infidelium. Sanchez l. 7. d. 76. n. 8. Clericat. dec. 12. n. 7. *Salmantic.* tom. 2. tract. 9. de matrim. c. 4. dub. 2. punct. 2. n. 52. — Alii tamen non desunt firmiter sustinentes, quod matrimonium in infidelitate consummatum non solvitur per religiosam professionem, tum quia non subsistit principium, quod vinculum matrimonii inter fideles sit fortius, vinculo matrimonii consummati inter infideles, tum quia potestas dissolvendi matrimonium consummatum inter infideles provenire debet a divina concessione, nec ullibi concessum invenitur, quod professione religiosa dirimatur matrimonium consummatum infidelium. *Perez* de matr. disp. 36. s. 8. num. 3. Diana tom. 1. tr. 6. resolut. 125. Ex thesaur. resolut. S. C. l. t. 1. pag. 32.

Pontificis, cum, ut diximus ex sententia Benedicti XIV. et S. Congregationis, jam sine interpellatione matrimonium dissolvi nequeat absque dispensatione, pluribus tamen cum Sanchez contradicentibus [1]). 6) Quando autem pars infidelis non vult cohabitare, vel saltem non sine contumelia creatoris, nulla requiritur sententia judicis, ut possit fidelis matrimonium dissolvere, ad aliudque transire, quod constat ex c. Quanto, de divortio et c. final. 27. q. 2. ubi habetur, contumelia Creatoris *jus* solvere matrimonium circa eum, qui relinquitur et huic liberum esse ad alias nuptias transire [2]). 7) Nec tenetur fidelis habitare cum infideli, quamvis conversus ad fidem copulam habuerit cum eo conjuge infideli, quia divortium non datur in favorem conjugis fidelis ipsius, sed in *favorem fidei*, quam dedecet, ut conjux fidelis astrictus sit conjugi infideli tam arctae consuetudini, ac est conjugalis [3]); ac proinde in hoc quoque casu, copula post baptismum habita non obstante, vinculum matrimonii dissolvi [4]) posse videtur.

Quaeritur 5°) num dissolvi possit matrimonium, quod fidelis cum infideli contraxit cum dispensatione in impedimento disparitatis cultus?

℟. *negative*, etiamsi infidelis nolit sine injuria Creatoris cohabitare. Ratio est, quia juxta communem sententiam, ut diximus dissolvendi facultas vinculum matrimonii ab Apostolo 1 Cor. 7 pronuntiata *privilegium* est a Christo Domino concessum in *favorem fidei pro neo-conversis*, nec ullo modo extendi potest ad hunc casum, cum fidelis, contrahendo cum infideli, potuerit illa mala praevidere, adeoque sibi imputare debeat [5]). An vero summus Pontifex apostolica auctoritate ex causis gravissimis dis-

---

1) Vide cas. citatos. Sanchez. lib. 7. disp. 74.
2) Sanchez. lib. 7. disp. 74. n. 11.
3) Sanchez. lib. 7. disp. 72. n. 8.
4) Sanchez tamen l. c. duntaxat loquitur de divortio quoad cohabitationem; unde nihil de hoc certum statuere audemus, nullo alio auctore, quem legimus, de hac quaestione agente.
5) Dens. Theol. de matr. n. 56.

solvere valeat, hujusmodi matrimonium, cum probabiliter non sit sacramentum, in dubium quidem revocari potest; attamen cum summus Pontifex vix unquam matrimonium ab utroque in infidelitate contractum quoad vinculum dissolverit, nisi forte in favorem fidei pro neo-conversis, multo minus expectandum est, fore, ut matrimonium a fideli cum infideli dicto modo contractum et consummatum, quod, ut plures dicunt, ex parte fidelis est magis firmum[1]) quam aliud ab utraque parte infideli initum, unquam auctoritate apostolica dissolvatur. Hinc pars fidelis, si infidelis nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, divortium quidem obtinere potest quoad thorum et cohabitationem, non autem quoad vinculum matrimonii[2]).

Quaeritur 6°) quomodo constare debeat de obitu mariti, ut uxor ad nuptias secundas transire possit?

℟. 1) Generatim exigitur certitudo moralis. Ratio est, quia novi matrimonii contractus cedit in praejudicium prioris conjugis, si forte superstes sit, qui proinde jure suo in casu dubio spoliari non debet; accedit, quod praesumendus est vivere, dum contrarium probatum non fuerit, unde mera probabilitas non sufficit, quantocunque tempore conjux alter abfuerit[3]). 2) An vero certitudine morali constet de obitu conjugis, judex ecclesiasticus ex sequentibus judicabit: a) si de ejus obitu legitimus magistratus ecclesiasticus, politicus militaris vel notarius aut alia

---

[1]) Dens, l. c. Daelman.

[2]) Quam stricte privilegium pro neo-conversis concessum auctores interpretentur, intelligi potest ex hoc casu: „Si neo-conversus ante vel post receptum baptismum lapsus sit in adulterium, quod sibi ab infideli innocente condonatum non est, non poterit novum inire matrimonium quia privilegium illud a Christo concessum est, ne infidelis a fide deterreatur metu perpetui coelibatus, in isto autem casu, timor coelibatus non a fide impendet, sed ab injuria comparti illata et non remissa. Sic *Collet*, cui consentit *Dens* l. c.

[3]) Lucius III. super hac re consultus Christianis in captivitate Saracenorum positis, rescribens." Id vobis, inquit, respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei *constet* (videl. per certum nuntium juxta Glossam) quod ab hac vita migraverit conjux ejus. lib. 4. decr. tit. 24. c. 2. conf. Cas. XIX.

similis persona in publica auctoritate constituta, fidem faciat per scripturam. b) Si parochus testetur, quod ipse eundem sepelierit; liber ejus defunctorum etiam plenam fidem facit. c) Si de obitu ejus duo testes oculati testentur, se interfuisse illius morti, sepulturae, exequiis aut vidisse ejus sepulchrum. Admittuntur hoc casu etiam consanguinei; uxor tamen est insufficiens testis ad probandam mortem conjugis, quia in propria causa nemo idoneus testis esse censetur. d) Si *cum uno teste* de visu, aut *cum fama vel pluribus testibus de auditu* concurrant alia verisimilia indicia vel conjecturae v. g. quod maritus jam senex, aut aeger fuerit, quod, secutus bellum, ubi plures periisse constat, diu non apparuerit; quod testes de fama asserant id auditum a majore parte civitatis. Hinc a) regulariter ex solo testimonio unius mors conjugis sufficientur non probatur; excipit tamen Sanchez casum, quo conjugis obitus accidisse dicitur in loco valde distanti, ut certa ejus probatio omnino aut facile haberi nequeat; tunc enim putat sufficere depositionem juratam unius fidei probatae testis, ex principio generali, quod, cum plenae et integrae probationes haberi non possunt, sufficiant, quae sumuntur ex conjecturis. b) Ut autem *fama* cum adminiculis hujusmodi sufficiat, etiam ipsa debet esse plene et vere probata; hinc requiritur 1) ut ipsa fama probetur per duos testes, qui deponant se audivisse a fide dignis, 2) ut concurrat causa rationabilis, ex qua fama orta est; 3) ut testes deponant, se audivisse publice a majore parte populi [1]).

Quaeritur 7°) Quomodo se gerere debeat parochus, quando ab ipso petitur, ut assistat secundis nuptiis?

℞. Distinguendo: vel enim habetur certitudo moralis de morte conjugis, vel econtra parochus, aut contrahere volentes ipsi dubitant an adsit sufficiens hujusmodi certitudo, *si primum*, potest parochus nulla petita licentia Ordinarii et absque illius praescitu matrimonio novo assistere eoque novos conjuges licite copulare; *si secundum*, parochus Ordinarium debet consulere,

---

[1]) Sic Sanchez, lib. 2. d. 46. n. 16. Schmalzg. et alii.

quoque responsum expectare, utpote ad quem pertinet in dubio judicare,. an adsit sufficiens certitudo de morte conjugis, necne. Quodsi ipse etiam Ordinarius dubitat de certitudine morali, quia probationes non adeo usque perfectae videantur, potest et solet conjugi deferre juramentum, quod non sciat, nec credat, conjugem esse amplius in vivis[1]).

Quaeritur 8⁰). Quomodo sit agendum, si matrimonium jam fuerit initum sine morali certitudine de obitu prioris conjugis?

℟. Agendum est, juxta dicta in I. tract. de impedimentis dubiis[2]).

Quaeritur 9⁰). Quid sit specialiter notandum de dissolutione matrimonii rati per votum solemne?

℟. Vide infra de impedimento voti solemnis.

§. 33.

De unitate matrimonii vel monogamia.

I. Unitas matrimonii in eo sita est, quod matrimonium sit conjunctio unius viri cum una femina. Certum est autem 1) hanc unitatem matrimonio primaeva institutione a Deo facta, esse ordinatam, et sic initio statim illicitam fuisse polygamiam. Gen. 2. 24. 2) certum est, non omni tempore polygamiam (simultaneam) fuisse illicitam; nam etiam Patriarchae, Abraham, Jsaac, Jacob etc. plures habuerunt uxores; 3) certum est, *polyandriam*, i. e. illam speciem polygamiae, qua una mulier duobus vel pluribus viris jungitur semper fuisse prohibitam, ac pugnare cum lege naturali, quia praecipuis matrimonii finibus adversatur, nempe generationi prolis et bonae educationi. 4) Certum est, polygamiam simultaneam esse in omni casu prohibitam saltem de jure divino positivo novae legis, quia conjugale foedus a Christo ad primaevae institutionis statum revocatum est, ut constat Matth. c. 19. 35.[3]) Luc. 16. 18. 5). Controvertitur, num

---

[1]) *Reiffenstuel*, Schmalzgruber. Sed bene notandum, probationes semper usque ad aliquam certitudinem moralem accedere debere.

[2]) Conf. Cas. XXVII.

[3]) Conc. Trid. sess. 24. can. 2. „Siquis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum a. s.“

uxorum pluralitas jure naturali prohibita sit. Tenenda videtur sententia inter utramque partem media et dicendum uxorum pluralitatem repugnare quidem juri naturali, non tamen ita, ut eam excludat ipsa matrimonii natura et essentia, sed institutio ejusdem in ipso mundi exordio facta a Deo, qua unam tantum uni conjunxit[1]).

II. Lex illa Christi polygamiam abrogans non tantum ad fideles, sed etiam ad infideles spectat, cum Christus, cui data est omnis potestas in coelo et in terra, omne conjugium sive Christianorum sive aliorum ad primam suam institutionem reduxerit[2]); hinc concluditur, quod infideles, amplectentes fidem catholicam, possint istam primam uxorem, si cohabitare voluerit sine contumelia creatoris, retinere, ceteris dimissis.

§. 34.

VII. De impedimento Ordinis Sacri.

I. Ex conciliis antiquissimis et dictis Patrum constat, Ecclesiam jam a primis saeculis interdixisse clericis, praesertim in sacris ordinibus constitutis nuptias, ne rerum temporalium sollicitudine, carnalibus desideriis voluptatibusque implicati, a divinis officiis et ecclesiasticis ministeriis impediantur et retrahantur, quasi ad clericos verbis apostolicis diceret Ecclesia: „Volo vos autem sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.“ 1. Cor. 7. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, 2. Tim. 2. 4. unde in cap. 3. de clericis conjugatis in lib. 4. Decret. matrimonii clericis interdicti ratio haec redditur: „Quod simul voluptatibus et carnalibus desideriis, ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant“[3]).

---

[1]) Ita Sanchez. l. 7. d. 80. n. 8. Laymann l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 7. Wiesten, Schmalzgruber, Dens. S. Thom. „Pluralitas uxorum dicitur esse contra legem naturae, non quantum ad prima praecepta ejus, sed quantum ad secunda“. Supp. q. 65. a. 2. c.

[2]) Pius P. VII. ad Archiep. Mogunt. 1803.

[3]) Van Espen. de matrim.

II. Utrum autem conjugia a clericis, lege non obstante contracta, *irrita* semper ipso jure fuerint an duntaxat *illicita*, controvertitur. Multo probabilior sententia tenet, ea non fuisse irrita; si enim quinque saeculorum canones legimus, nihil reperiemus, quod expresse ejusmodi nuptias irritaret, hoc solum constat, clericos conjugia contrahentes esse ab officio depositos, aliquando etiam communione ecclesiastica orbatos, et asperrimae poenitentiae subjectos[1]); conjugia tamen, utut illicita, et legibus improbata, valida fuisse perhibentur usque ad tempus Imperatoris Justiniani, qui, cum plurimas edidisset constitutiones de re ecclesiastica, etiam in hac parte nihil omisit, in quo Cleri decus a quibusdam sacrilegis neglectam restitui quoquo modo posset. Ipse in l. 45. Cod. de Ep. et Cler. animadvertens, satis non fuisse, poenis canonicis, quae in sola gradus amissione consistebant, terrere clericos libidini deditos, amplius progrediendum voluit, nimirum confirmata eadem canonum poena, decrevit praeterea, ut tale conjugium irritum esset. Hoc tamen decretum Imperiale a Graecis quidem inter leges ecclesiasticas receptum fuisse videtur, non autem ab Ecclesia Romana, unde juxta probatissimos auctores conjugia clericorum, etiam in sacris Ordinibus constitutorum, quamvis severissime interdicta, praesertim a s. Gregorio VII., non fuerunt irritata ante Conc. II. Lateranense a. 1139. Ex hoc tempore demum ordo sacer non tantum impedimentum impediens, sed *dirimens* esse coepit in universa ecclesia[2]), quod postea a Concilio Trid. solemniter confirmatum

[1]) Can. 1. dist. 27. can. 9. dist. 28. can. 3 et 4. dist. 82. Haec poena saepe tam diuturna erat, ut clerici majores conjugia contrahentes inter laicos referrentur. Nov. 6. c. 5. (Ius civile).

[2]) Knopp. p. 124. not. Devoti Inst. canon. tom. 2. §. 128. Carriere de sacram. matr. t. 2. §. 789. Permaneder. Ius Canon. §. 253. — can. 11 dist. 32. (Urban II. immo vero probabilius Alex. II. ad Dominicum Grad. Patriarch. 1063 c. 10. eod. (1089). can. 8. dist. 27. quaest. 1. — Lib. IV. Decret tit. 5. c. 1. (a. 1180). Graeci tamen rigorem decreti Imperialis eraserunt per Canones, quos vocant Trullunos, ex quibus clericis in S. Ordinibus constitutis licet in matrimonio remanere, quod ante Ordinem Subdiaconatus inierunt, sed haec praxis nunquam approbata est a Rom. pontifice. — (c. 7. Dist. 32. si quis etc).

est his verbis: „Si quis dixerit, Clericos in s. Ordinibus constitutos vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto ... a. s.[1])

Praeterea animadvertendum est, subdiaconatum non esse habitum ordinem sacrum seu majorem ante priorem partem duodecimi saeculi, unde apparet, eodem ferme tempore, quo ordo incepit esse impedimentum matrimonium dirimens, id simul fuisse extensum ultra presbyteratum et diaconatum etiam ad sacrum ordinem subdiaconatus[2]).

III. Ut effectus hujus impedimenti juxta disciplinam praesentem bene intelligatur, distinguendum erit, num sponsalia et matrimonium praecesserint susceptionem s. Ordinis alicujus, an vice versa; *si primum*, certum est 1) susceptione ordinis s. dirimi et solvi sponsalia; quia ille, qui constitutus est in Ordine s., inhabilis est ad ineundum matrimonium; 2) per susceptionem ordinis s. minime autem dirimi matrimonium antea initum, etsi *ratum* tantum[3]); unde a) ille, qui post contractum

---

[1]) Sess. 24. de sac. matr. c. 9.

[2]) Binterim 1 vol. 1 p. p. 324.

[3]) Extrav. Ioann. XXII. cap. unic. *Antiquae*. De vot. tit. VI. Unde Episcopus sic alloquitur illos, qui ordinandi sunt ad subdiaconatum: „Filii dilectissimi... iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire; quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari et *castitatem* illo adjuvante, servare oportebit; atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est, cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite." — *Pontif. Rom.* Sed utrum haec coelibatus obligatio ex ordine ipso, an vero ex voto castitatis s. ordinibus annexo proveniat, valde insudavere interpretes. Plures dicunt: licet Ecclesia non possit cogere ad vovendam castitatem, cum sit res meri consilii, potuit tamen adjicere s. Ordinibus tale votum, ut omnes, s. Ordines suscipientes tenerentur castitatem servare. Unde supposita hac Ecclesiae lege, eo ipso, quo quis vult s. Ordinibus initiari, vult per consequens vovere castitatem, sicut vult obligari ad recitandum officium divinum; unde haec obligatio vocatur Votum, in cap. unic. de voto in 6.

matrimonium etiam ratum *absque consensu conjugis* ordinatur, irregularis efficitur, talisque manet, etiam soluto per mortem uxoris matrimonio, nisi talis religionem aliquam approbatam ingressus fuerit et professionem tacitam vel expressam ibidem fecerit; cum autem ordo taliter susceptus omnino valide, licet illicite, sit susceptus, hujusmodi ordinatus ad observantiam continentiae obligatur, in quantum fieri potest sine violatione juris alterius partis. Hinc non potest petere debitum, debet autem reddere, nisi forte altera pars jus petendi debitum amiserit; soluto per mortem conjugis matrimonio ad alia vota transire non licet. b) In casu divortii ex sententia judicis, vel ex adulterio publico et notorio sine sententia facti, conjux innocens potest s. Ordines suscipere; si autem divortium factum sit ex delicto viri, illi postea emendato, non licet, s. Ordines suscipere, nisi uxor innocens professionem emiserit, vel, saepius rogata ab emendato adultero, reconciliationem cum ipso recusaverit, c) ut etiam volente uxore et consentiente, maritus ad sacrum Ordinem promoveri queat, uxor, si senex sit, et de incontinentia non suspecta, votum continentiae debet edere; si vero juvenis, vel suspecta de incontinentia, religionem ingredi et profiteri [1]).

Sed verius credo, Ordinem s. ratione sui, et sine ordine ad votum, esse jure canonico impedimentum dirimens matrimonii. Et ratio est, quia si quis ordinaretur cum voluntate non emittendi votum castitatis, peccaret quidem, et, ut plurimum, maneret obligatus emittere votum, ex pacto inito cum Ecclesia non aliter volente dispensare Sacramentum Ordinis; tamen sic Ordinatus non haberet votum castitatis, quamvis inhabilis omnino foret ad matrimonium contrahendum; ergo inhabilitas non provenit duntaxat ex voto castitatis annexo Ordinibus sacris, sed ex lege ecclesiastica constituente, ut Ordo s. sit impedimentum dirimens ad matrimonium subsecutum; quare hoc impedimentum vocatur lex Ecclesiastica in Conc. Trident. sess. 24. c. 9. — Gonzalez Tellez. lib. III. tit. III. n. 7. p. 85.

[1]) Can. Episcop. 6. dist. 77. c. 5. — Speciale aliquid est in eo, qui vivente uxore ad Episcopatum evehitur; nam hic ordinari nequit, nisi uxor, etiamsi senex sit etc. vestem religiosam prius assumpserit. — Tales uxores, etiam in saeculo remanentes, mortuis conjugibus ordinatis, non possunt aliud matrimonium valide inire, ex constitutione Ecclesiae, ob

IV. *Si secundum*, i. e. si quis ss. ordinibus initiatus, matrimonium de facto inire praesumpserit, in susceptis ordinibus ministrare et ad altiores ascendere prohibetur; si vero consummaverit, in irregularitatem bigamiae similitudinariae incidit, imo excommunicationem ipso jure latam, licet non reservatam[1]) incurrit et ab uxore illegitima statim separandus est[2]). Excipe tamen, si s. ordo susceptus sit ante usum rationis, vel ab impubere[3]), vel ex vi aut metu gravi injuste incusso (nam levis metus, juste vel a causa necessaria illatus non obstat); in tali casu ordo valide quidem susceptus communiter habetur, sed taliter ordinatus ab Ecclesia ad continentiam non cogitur, nisi expresse vel tacite per exercitium ss. ordinum postmodum consensum declaraverit. Ratio est, quia obligatio ad continentiam oritur vel ex lege ecclesiastica, vel ex voto ordini annexo; neque autem lex ecclesiastica neque votum talem inducit obligationem, nisi quis cum pleno voluntario in suscipiendis s. Ordinibus egerit.

V. Ex hactenus dictis patet, hoc impedimentum ortum esse ex jure ecclesiastico, saltem inquantum est matrimonium dirimens pro presbyteris, diaconis et subdiaconis, quibuscum igitur de hoc impedimento, quamvis rarissime et nonnisi ex causa publica[4]) a Sede Apostolica dispensatum esse constat. Quod Episcopatum attinet, vix ullus casus invenietur, in quo dispensatio concessa est[5]),

reverentiam sacri Ordinis. Can. 10, 11, 12. dist. 28. — Can. 14. dist. 32.

[1]) Plures dicunt, suspensionem et excommunicationem esse ferendae sententiae Knopp. p. 125. — Conf. Cas. XXV.

[2]) Cap. 1. 4. X. de cleric. conjug. lib. 3. t. 3. cap. 1. 2. X. lib. 4. tit. 6. Insuper sacerdos, qui cooperatur scienter ad tale matrimonium sacrilegum, incurrit excommunicationem majorem.

[3]) Plures dicunt, impuberem ss. Ordinibus initiatum, contrahere impedimentum. Schmalzg. l. c. n. 18. Suarez. Wiestner. Reiffenstuel.

[4]) Nisi forte super impedimento *subdiaconatus*, cum enim ordo iste olim sacer non fuerit, merito in eo dispensando s. Pontifices, sunt proniores.

[5]) Iulius III. dispensavit a. 1554 cum unitis clericis in ss. ordinibus constitutis in Anglia ad reconciliationem cum Ecclesia efficiendam, item

Quaeritur, quam obligationem contrahat is qui Ordinem sacrum voluntarie quidem et libere, sed *invalide* suscepit?

℟. Probabilius ne *simplici* quidem voto continentiae obligatur. Ratio est, quia votum hoc non emisit principaliter, tanquam essentiale Ordini suscepto inhaerens sed tantum in consequentiam annexum propter ecclesiae constitutionem. Igitur Ordine tanquam principali non subsistenti, nec etiam votum hoc subsistere potest.

§. 35.

VIII. De impedimento Voti solemnis.

I. Cunctis voto castitatis obstrictis semper interdictum fuisse matrimonium, inquantum ipse usus matrimonialis contrarius est voto castitatis, citra controversiam est[1]). Num vero matrimonia cum hujusmodi virginibus, voto castitatis obstrictis, fuerint non tantum illicita, sed insuper *invalida*, non aeque certum est. Gratianus in codice suo scrutatus canones veteres generaliter statuit, *voventes* prohiberi contrahere matrimonia, sed *quosdam eorum*, si contraxerint juberi separari; alii enim ex veteribus dixerunt, eas nuptias incestuosas esse, neque longe ab adulterio remotas, aut ista conjugia contrahentes ad continentiae propositum esse revocandos, atque separandos[2]); alii econtra, poenitentiis quidem expiandos esse praevaricatores, conjugio tamen

---

Pius VII. cum presbyteris in Gallia tempore perturbationis civilis in matrimonio junctis. — Sed Episcopo Augustodunensi Talleyrand quidem facultatem dedit in habitu laicali incedendi, ac quibuscumque saecularibus officiis fungendi nihil tamen concessit de matrimonio ineundo. Knopp. p. 131.

1) „Si nupserit virgo, non peccat, non illa virgo, quae semet Dei cultui dedicavit. Harum enim, si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit", act. S. Hieronym. apud Gratian. dis. 27. can. 5; idem statuit chalcedon. syn. c. 17. apud Grat. caus. 27. quaest. I. can. 22.

2) Can. 2. et 9. dist. 27. — can. 1. 3. 10. 17. et 21. caus. 27 quaest. I. can. 2. 5. 7. 13 et 15. caus. 27. quaest. 1.

non dissoluto[1]). Unde plures merito concludunt, distinctionem quandam esse factam jam a veteribus, licet non clare appareat definitio illius distinctionis[2]). Gratianus primus, distinquens duplex genus voventium, primum eorum, qui simpliciter voventes sunt, alterum eorum, quibus post votum beneficium accedit consecrationis, vel propositum religionis, vota priora nominavit simplicia, posteriora autem solemnia, statuens deinde, solemni continentiae voto, non simplici conjugia dirimi, quod Coelestinus III comprobavit[3]). Verum non satis perspicua fuit haec distinctio; quid enim praecise nomine beneficii consecrationis et propositi religionis intelligendum esset, controvertebatur. Unde tandem Bonifacius VIII. auctoritate sua definivit, votum solemne illud dici, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis (cujus nomine tum etiam veniebat Subdiaconatus) aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis[4]); quod clarius etiam Joannes XXII. edicto suo[5]) explicavit, adjiciens, non sufficere religiosam quamcumque professionem in religione a S. A. approbata, sed ulterius requiri, ut talis sit religio seu ordo religiosus, cujus professio ad castitatis custodiam et abdicationem temporalium suos professores astringat[6]); Quae universa s. Synod. Trident. confirmavit in sess. 24. de reform. matr. c. 6 et 9., definiens insuper quasdam conditiones, quae requiruntur, ut hujusmodi vota valide emittuntur, in sess. 25. de regul. et mon.

II. Conditiones autem ex praesenti disciplina Ecclesiae requisitae, ut vota in religione quadam a S. Sede approbata et professores suos ad custodiam castitatis, et abdicationem temporalium astringente valide emittantur, sunt 1) ut professio haec sit edita *libere;* nam si quis per vim, aut metum cadentem in

---

[1]) Can. 2. et 9. dist. 12. 22. 24. 30. 41. caus. 27. quaest. 1.
[2]) Knopp. p. 133. — Berardi p. 123.
[3]) Cap. 6. X. lib. 4. tit. 6.
[4]) Cap. unic. de voto in 6to.
[5]) Extrav. unic. de vot. et voti red.
[6]) Id est, ad triplex votum castitatis, obedientiae et paupertatis.

virum constantem religionem professus est, talis professio a lege ecclesiastica irritatur, neque habet effectum voti solemnis[1]); 2) ut non sit edita ante annum decimum sextum aetatis expletum[2]); 3) ut probatio antecedat per integrum annum, post susceptum habitum[3]). 4) Ut professio emittatur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi religioni, nam professus emittendo professionem quasi contrahit cum religione, consequenter ex utraque parte consensus requiritur[4]), ut fiat in domo religionis a Sede Apostolica ad emittendam professionem approbata[5]).

III. Votum tandem hoc modo emissum solemne est ac validum, atque inducit impedimentum matrimonium dirimens, non solum contrahendum, sed etiam contractum, si ratum tantummodo sit. Ut ex dictis patet, hoc impedimentum ortum est ex jure ecclesiastico, quamvis aliquatenus fundetur in jure naturali et divino positivo, professio enim religiosa praecise irritat, quatenus in ea inclusum est votum continentiae solemne; atqui votorum solemnitas solum habetur ex jure ecclesiastico.[6]) Data autem vis ista dirimendi matrimonium contrahendum est professioni religiosae jure meritissimo; cum enim per tale votum religiosus se suumque corpus Deo in religione publice et so-

---

[1]) Conc. Trid. sess. 25. c. 19 et c. 18. Professio metu injusto extorta non obsat, quominus hujusmodi professus, metu gravi intra quinquennium coram Ordinario loci et suo superiore probato, ad saeculum redire et justum matrimonium inire possit. Quodsi habitum antea susceptum, causa per Episcopum et superiorem non examinata, dimiserit, aut quinquennio jam elapso, aufugerit et uxorem duxerit, poenas apostatarum incurrit et ad monasterium redire cogitur. Conc. Trid. cit. l.

[2]) Conc. Trid. sess. 25. c. 15. „In quacunque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante 16 annum expletum. Professio autem antea facta *sit nulla*.“ — Cong. C. 21. Jan. 1617. irritavit professionem, duabus horis legitimae aetatis deficientibus. Knopp. p. 136.

[3]) Conc. Trid. sess. 25. c. 15. — Cap. 16. X. de regularib.

[4]) Clemens VIII. inc. In suprema. C. C. de 2° Aprilis 1602. Cong. Conc. 21. Sept. 1614.

[5]) Professio fieri potest expresse, vel tacite; *tacite* fit per susceptionem et gestationem habitus professorum sponte factam, anno probationis completo in domo professionis. — Schmalzg. tit. 6. n. 59. 60.

[6]) Schmalzg. lib. 4. tit. 6. 50.

lemniter offerat et tradat, aequum fuit, ut Ecclesia tale impedimentum eidem professioni adjiceret, ne religiosi professi possent pro libitu statum assumptum deserere, et fidem Deo publice datam cum publico scandalo violare. Item dicendum cum communiori sententia de vi dirimendi matrimonium ratum antea contractum. Matrimonium autem consummatum, ut per se patet, non dissolvitur per subsequens votum solemne, hinc ille qui professionem emittit sine consensu uxoris nisi forte jus petendi debitum ex delicto amiserit, (seu vice versa) reverti debet ad eam, et debitum reddere; neque autem potest petere, neque, illa defuncta, novum matrimonium contrahere; ad reditum tamen in religionem non compellitur, si autem cum consensu uxoris professus fuerit, ipsa tenetur se obligare saltem voto simplici continentiae, ac proinde, marito defuncto, valide quidem, non autem licite ad alias nuptias transire potest.

IV. De effectu hujus voti quoad matrimonium ratum antea contractum specialiter notandum est: 1) In hunc finem novis sponsis de praesenti bimestre, computandum a die contracti matrimonii vel potius praefixi a judice termini, conceditur, ita ut intra hoc tempus consummare matrimonium non teneantur, sed deliberare possint, an velint religionem ingredi; potestque hoc tempus a judice vel restringi vel prorogari.[1]) 2) Si tamen elapsum sit hoc tempus, et transitus ad religionem nondum factus, cogi potest sponsus per censuras, ut vel conjugi exigenti debitum reddat, vel propositum suum religionem ingrediendi exequatur; 3) verumtamen, si tempore hoc elapso matrimonium non consummaverit ac postea quocunque tempore ad religionem transeat, injuste quidem agit, sed revocari non potest. 4) Matrimonium non dissolvitur, nisi professione valide facta, ac tunc demum conjux in saeculo relicta, ad alia vota transire potest.[2])

---

[1]) C. 7. de convers. conjug. X.

[2]) Vota simplicia in S. J. emissa quoad matrimonium contrahendum aeque parantur professioni, non tamen dissolvunt matrimonium ratum antea contractum. Sanches, Leymann, Schmier, Schmalzgruber.

§. 36.

IX. De impedimento disparitatis cultus.

I Cultus disparitas est impedimentum dirimens matrimonii inter baptizatum et non-baptizatum; perinde est, an illa pars baptizata sit Catholica, haeretica, apostata etc., modo sit vere baptizata; pariter nihil refert, sive pars non baptizata profiteatur fidem veram, sive non, modo vere seu valide baptizata non sit; atque hinc nullum est matrimonium, quod haereticus baptizatus contraheret cum Iudaea, vel alia parte non baptizata; item illud, quod Catholicus iniret, cum catechumena, aut illa, quae ignorantia baptismi valide collati laboret.[1])

II. Pariter, ac matrimonia inter catholicum et haereticum, et quidem plerumque de fortiori matrimonia inter fidelem et infidelem *illicita* sunt ex lege naturali ac divina, nisi forte in casu particulari incommoda tali conjugio adjuncta procul essent remota. Irrita autem ea non sunt neque ex jure naturali, neque jure positivo divino; *non ex lege naturali,* quia disparitas cultus relinquit omnia, quae matrimonio ex dispositione legis naturalis sunt essentialia; nam ex tali conjugio proles nasci potest, et instítui etiam in religione, licet difficilius, et aliquando accedere potest, ut non etiam impediatur ullo modo educatio, neque pax etc.[2]) et ideo tempore legis naturalis, antequam legem divinam acceperint in monte Sinai, Jacob, Joseph, Moyses matrimonium cum mulieribus infidelibus contraxerunt, *non ex lege divina positiva*, — quia Christus in matrimonio nil immutavit, quod ad jus naturae pertinet, sed tantum id, quod contractus, qui jam naturalis erat, elevavit ad esse Sacramenti.[3]) Unde concluditur, matrimonium ob cultus disparitatem *ex jure tantum Ecclesiastico* irritum esse, et hoc magis

---

[1]) *Dens*, de matrim. n. 84. Conf. cas. XXVI.

[2]) Bellarm. de matrim. c. 23.

[3]) Sanchez. lib. 7. disp. 71. n. 7. Hinc etiam inter Christianos tale matrimonium contraxit S. Caecilia cum Valeriano Ethnico, *S.* Monica cum viro gentili, Chlotildis cum Chlodoveo tunc Ethnico, Edelburga cum Eduino, rege Anglorum et alii.

ex jure non scripto, quam scripto, quia etiam in jure scripto Ecclesiastico non invenitur textus aliquis convincens, ex quo matrimonii nullitas inter fidelem et infidelem aperte cognoscatur; quin potius in cap. 15. casus 28. q. 1. aeque prohibetur matrimonium cum haereticis, ac cum infidelibus et tamen matrimonium cum haereticis non censetur nullum.[1]) Ab initio enim nascentis Ecclesiae praesertim tam efficax gratia et affectus ad fidem in fidelibus erat, ut formidanda minime esset eorum perversio, quin potius probabilissime speranda infidelis conjugis conversio ex fidelis consortio; adde insuper in principio magnam fore tranquilli status reipublicae perturbationem, si quando tanta erat infidelium copia, talia conjugia semper fuissent invalida; postea autem, tum charitate ac fervore inter christianos frigescente, tum infidelibus non longius inter fideles mixte viventibus, conveniens erat, ut hujusmodi conjugia irritarentur.[2]) Quinto saeculo per leges imperatorum, praesertim Justiniani, irritari coeperunt, et tandem saeculo duodecimo haec consuetudo obtinuit per totam Ecclesiam, unde Petrus Lombardus, medio illo saeculo, in lib. sentent. IV. dist. 39. sic habet: „Post haec de dispari cultu videndum est: haec est enim una de causis, quibus personae *illegit.mae* fiunt ad contrahendum matrimonium.“

III. Cum certum sit, hoc impedimentum esse ex jure ecclesiastico, nemo dubitat, quin S. Pontifex de illo valeat dispensare, sic tamen, ut cum prohibitio descendat etiam a jure superiori, sc. naturali ac divino, non aliter licite concedatur, quam eadem cautela, quae in matrimoniis mixtis, ut supra diximus, praecipitur, omni cum prudentia adhibita, et gravissima causa suffragante. Paulus V. primus legitur concessisse ex speciali delegatione facultatem de hoc impedimento dispensandi etiam

---

[1]) Sanchez, Schmier, Bellarmin, Benedict. XIV. et plerique. — „Omnes nunc sentiunt ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure S. Canonum, sed generali Ecclesiae more, quia pluribus saeculis vim legis obtinet“. Bened. XIV. „Singulari nobis“ 9. Febr. 1749 ad Cardinal. Eborac.

[2]) Sanchez. l. c. n. 12. Bellarmin, Dens, Knopp. p. 146.

aliis, sc. Episcopo Funacensi in Japonia, et superioribus S. J. in regno Sinensi ad decennium, ut habet ejus Bulla „Ut animarum“ de 21. die Jun. 1616; pariter Gregorius XIII. et alii s. Pontifices usque ad hodiernum diem, unde etiam Episcopi Americani eadem gaudent delegatione, quia, cum baptismum plerique negligant in his partibus, eadem fere rerum apud nos conditio est, atque inter gentiles [1]) Hinc, si agitur de matrimonio inter catholicum et protestantem ineundo, semper sedulo investigandum est in hac regione, an non obstet impedimentum disparitatis cultus; eadem cautio est adhibenda in casu conversionis haeretici cum altera haeretica parte, in conjugio conjuncti, ut matrimonium, si forte fuerit irritum ex hoc impedimento, aliquo modo per dispensationem revalidetur. [2])

Quaeritur 1°) quomodo sit procedendum in dubio de baptismo acatholicae partis, si jungenda sit in matrimonio cum catholico?

℟. Distinguendum erit, videlicet 1) si dubium sit de suscepto baptismo, dispensatio de impedimento disparitatis, nisi dubium tolli possit, petenda erit; quia factum non praesumitur, sed probari debet. — 2) Si dubium sit de valore baptismi ab Acatholico certe suscepti, tunc standum erit pro valore actus, donec aliter probetur ex rationibus positivis, ac proinde in hoc casu dispensatio non videtur esse necessaria.

Quaeritur 2°), quomodo sit agendum in casu conversionis acatholici in matrimonio cum altero acatholico conjuncti, dubio de baptismo occurrente?

℟. Distinguendum erit, num dubium sit de baptismo unius, an utriusque conjugis; item num sit dubium juris an facti?

Dico: 1) si dubitetur de susceptione baptismi ex utraque parte, matrimonium non erit per dispensationem revalidum, dum, quia lex ecclesiastica de disparitate cultus, donec baptismi sus-

[1]) Kenrick. Theol. mor. p. 3. p. 341.

[2]) Certum est, matrimonium a protestante baptizato cum non baptizata conjuge esse invalidum ex Bulla Benedicti XIV. „Singulari nobis, et ex generalibus principiis de impedimentis matrimonii.“

ceptio probetur, illos non obligat, ac proinde matrimonium antea ab ipsis contractum validum erat[1]). 2) Si dubitetur ex utraque parte de valore baptismi certe suscepti, matrimonium validum esset habendum. 3) Si dubitetur de susceptione baptismi ex una parte, et de valore suscepti baptismi ex altera, matrimonium esset revalidandum, et quidem per solam renovationem consensus, si prior converteretur; et per dispensationem, si pars posterior ad Ecclesiam rediret. — Dissolvi autem matrimonium quoad vinculum non posset ob dubium de ligamine obstans novo matrimonio. — 4) Si certo constet de baptismo unius partis, dubia autem sit susceptio baptismi ex altera parte, matrimonium revalidari debet, vel per renovationem consensus, si secunda pars convertatur, vel per dispensationem, si prima ad fidem revertatur.

§. 37.

X. De impedimento cognationis.

1) cognationis naturalis seu consanguinitatis.

I. Cognatio naturalis seu consanguinitas est vinculum personarum, quae ab eodem, eoque propinquo stipite per carnalem generationem descendunt. Omnes enim gentes agnoscunt, vinculum aliquod, ac veluti naturalem conjunctionem animorum, nec non raro complexionis et morum, imo et corporum similitudinem inter eas personas intercedere, quae ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo oriuntur; qui vero a remoto stipite descendunt, consanguinei vocari non solent; alioquin omnes homines inter se consanguinei essent. Ratio hujus est: quia virtus generativa propensa quidem est ad generandum sibi simile, verum quo magis a communi stipite per succedentes

---

[1]) Privilegium tamen ab Ap. 1 Cor. 7 pro neoconversis promulgatum in hoc casu, si convertatur una pars ad fidem catholicam, vix locum haberet, quia hoc privilegium, cum sit contra legem divinam, strictae interpretationis esse merito habetur, ut diximus §. 32. quaest. 5.

generationes progressio fit, eo magis illa similitudo minuitur.[1] — *Stipes* est illa persona, a qua omnes personae, de quarum conjunctione quaeritur, originem communem ducunt. Series seu ordinata connexio personarum sanguine junctarum *linea* consanguinitatis vocatur; quae est duplex, scilicet 1) *recta*, seu ordo personarum, quarum una ab altera originatur, et subdividitur in lineam *ascendentium*, cum a persona generata ascenditur ad personam generantem, et *descendentium*, dum a progenitore personae progenitae numerantur; 2) linea *transversa*, (collateralis, obliqua, indirecta), quae est ordo personarum descendentium quidem ab uno communi stipite, a se tamen invicem non genitarum, quales sunt fratres, sorores, patrueles, consobrini ad se invicem collati. Linea transversa dicitur *aequalis*, dum consanguinei aequaliter distant a communi stipite; *inaequalis* (mixta) dum alter ex consanguineis minus remotus est a communi stipite. — *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera.

II. Ad discernendos gradus consanguinitatis secundum jus canonicum[2]) tres communiter regulae pro diversis lineis statuuntur:

1) Regula prima pro *linea recta* haec est: Tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite communi.
2) Regula altera pro *linea transversa aequali* est: Quo gradu personae, de quarum conjunctione quaeritur, distant a communi stipite, eodem etiam distant inter se;
3) Regula tertia pro *linea transversa inaequali* est: Tot gradibus distant personae inter se, quot gradibus persona *remotior* abest a communi stipite.

---

[1]) Laym. de matrim. lib. 5. trien. p. 4. cap. 4. — Leuren. lib. 4. tit. 14. c. 1. Barbara definit: consanguinitas est relatio ratione sanguinis per naturalem generationem communicati. — Quoad hoc impedimentum et dispensationem nullum discrimen est faciendum inter progenitos ex copula licita vel illicita. Corrad. lib. 7. c. 1. n. 6.

[2]) II. pars Decreti. caus. 33. quaest. 5. declarat. arb. consanguinit. — In civili computatione tot sunt gradus in linea recta et etiam in linea transversali, quot sunt personae genitae, quae generationem multiplicant, dempto stipite.

Cum autem facile erretur in hac materia, monendum est ne quis, occurrentibus ejusmodi casibus, statim sibi fidat, sed tabulam sibi detineat, qua graduum diversitas pro exigentia casus praesentis repraesentetur. — Modus facile inveniendi gradus consanguinitatis[1]) a plerisque auctoribus sic statuitur:

1) Si is, qui est cognitus, sit stipes communis, scribas illius nomen in charta, et infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usque dum pervenias ad eas personas, quae connubio conjungendae sunt; facile inde gradus computabis.

2) Si incognitus sit stipes, sic procedas: a) Scribas in inferiori parte chartae vel tabulae nomen sponsi ad unum la-

---

[1]) Schema consanguinitatis usque ad quartum gradum in linea recta et collaterali.

	IV. Abavus. Abavia.	
IV. M. Propatruus. M. Proamita.	III. Proavus Proavia.	IV. M. Proavunculus. M. Promatertera.
III. M. Patruus. M. Amita.	II. Avus. Avia.	M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. Pater. Mater.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	Persona, de qua quaeritur.	I. Soror.
II. Filii et filiae fratris.	I. Filius, Filia.	II. Filii et filiae sororis.
III. Nepotes et Neptes ex fratre.	II. Nepos, Neptis.	III. Nepotes et Neptes ex sorore.
IV. Pronepotes et proneptes ex fratre.	III. Pronepos Proneptis.	IV. Pronepotes et proneptes ex sorore.
	IV. Abnepos Abneptis.	

tus et nomen sponsae ad alterum; dein adnotes supra nomen sponsi nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, ut aliqua cognatio intersit cum sponsa; idem facito quoad sponsam. b) Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte et ex altera, ac videas utrum conveniant in communi principio seu stipite ex quo sponsus et sponsa sint mediate generati. — Hinc, postquam inveneris, simulque animadverteris, utrum sponsi sint in linea aequali vel inaequali, applices tandem regulas supra datas, et resolutio dubii patebit[1]).

III. Certum est, 1) de jure saltem ecclesiastico consanguinitatem in quocumque gradu lineae rectae matrimonium dirimere.[2]) 2) Consanguinitatem in linea collaterali matrimonium dirimere usque ad quartum gradum inclusive et non ultra.[3]) 3) Consanguinitatem etiam matrimonium dirimere inter eos, qui ex parte tantum, vel ex eadem matre, nati sunt; item inter consanguineos ex illegitimis natalibus generatos. Ratio est, quia diversitas patris aut matris vel illegitimitas non impedit, quin carnalis consanguinitas inter eos existat. 4) Impedimen-

[1])

Stipes communis.
Petrus Smith.

genuit I. Joannem Smith, qui genuit ex uxore Anna Batter	genuit I. Mariam Smith ex qua genuit Georgus Reed
II. Josephum Smith, qui genuit ex urore Maria	II. Joannem Reed, qui genuit ex uxore Anna
III. Elisabetham Smith, sponsam.	III. Reginam Reed, ex qua genuit Antonius Miller
	IV. Georgium Miller, sponsum.
Gury n. 1499.	Instr. p. Eyst. p. 289.

[2]) Constat ex jure Can. in resp. Nicolai ad Bulgaros. c. 37.

[3]) Constat ex Conc. Lat. IV. et ex variis locis juris Canonici. Conf. Cas. XXIX. XXX.

tum consanguinitatis aggravari ex multiplici sanguini propinquitates, quae inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici stipite oriri potest, v. g. si duo fratres duas feminas sibi consangineas ducant, liberi ex utroque matrimonio provenientes dupliciter, videlicet ex communi stipite patrum, et communi stipite matrum, inter se erunt consanguinei.[1]) 5) Illos, qui scienter in gradibus prohibitis consanguinitatis, et affinitatis contrahere matrimonium non verentur, incurrere ipso facto excommunicationem non reservatam.[2]) Ex Tridentino autem supradicti sunt separandi sine ulla spe dispensationis;[3]) quam poenam etiam incurrunt illi, qui ignorarunt quidem impedimenta illa, sed solemnitates requisitas in celebratione culpabiliter neglexerunt, quibus etiam nonnisi difficulter dispensationis gratia concedi solet.[4]) 6) Necessario esse exprimendum in linea transversa inaequali etiam gradum propinquiorem, cum petitur dispensatio.

IV. Rationes, quibus innititur impedimentum hoc gravissimum, communiter assignantur sequentes:

1) quia finis matrimonii per se et primo est *bonum prolis*, quod quidem per consanguinitatem impeditur, non quidem ut totaliter tollatur, sed ut non convenienti modo fiat; naturaliter enim homo debet quandam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus

---

[1]) Haec circumstantia necessario declaranda est in petitione dispensationis. Conf. Cas. XXVIII.

[2]) Clem. in de Consang.

[3]) Conc. Trid. sess. 24. c. 5.

[4]) Tabula consanguinitatis graduum firmata esse debet ex libris baptismalibus. Ubi hujusmodi libri, prouti in his regionibus frequenter accidit, consuli non possunt, quando de matrimonio ineundo agitur, ac fama loci de ejusmodi impedimento adest et sat probabilis esse videtur, juramentum quidem propinquorum contra ejusmodi famam exhiberi potest, sed melius defertur tota res ad Episcopum. — c. supereo 22. X. de test. et attest. (2. 20.) cap. 27. X. lib. 4. tit. 1. Matrimonio autem juncto plena impedimenti probatio est afferenda. c. 47. X. de test. et attest. l. c. tit. 20.

de propinquo originem trahunt; huic autem honorificentiae est maxime contraria commixtio carnalis ad prolem generandam in matrimonio inter consanguineos.[1])

2) Quia finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiae repressio, qui deperiret, si quaelibet consanguinea posset in matrimonium duci, quia magnus concupiscentiae aditus praeberetur, nisi inter illas personas, quas oportet frequenter simul in eadem domo conversari, esset carnalis copula interdicta.[2])

3) Quia per accidens finis matrimonii est confoederatio hominum et amicitiae multiplicatio, dum homo, accipiens uxorem extraneam, jungit sibi quadam speciali amicitia omnes consanguineos uxoris, ac si essent consanguinei sui, huic autem multiplicationi amicitiae praejudicium fieret, si aliquis sanguine conjunctam uxorem duceret, quia ex hoc nova amicitia per matrimonium nulli accresceret.[3])

V. Ex dictis patet, hoc impedimentum generatim firmiter esse fundatum in jure naturali, diverso tamen modo pro diversis lineis et gradibus; hinc distinguendum erit

1) *Quoad lineam rectam*, est communis omnium sententia ex jure naturali esse irritum matrimonium in primo gradu hujus lineae. Ratio est, quia copula carnalis in hoc gradu secundum se et ex natura rei tam foeda esse videtur, ut nullo modo honestari possit, ac proinde ex naturali instinctu omnium gen-

---

[1]) Summa S. Thom. 2. 2. quaest. 54 T. a. 9. suppl. quaest. 54. a. 3. Lex civilis S. Adopt. 14. dig. de ritu nupt. 23. 2. prohibet matrimonium inter consanguineos „quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus et pudor inspiciendus est."

[2]) S. Thom. l. c.

[3]) St. August. de civit. Dei. l. 15. c. 16. „Habita est enim ratio rectissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis et honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multas haberet, sed singulae spargerentur in singulos, ac *sic ad socialem vitam diligentius colligandam plurimae plurimas obtinerent.*" Addit S. Thom. 2. 2. quaest. 154. a. 9. quartam rationem, scilicet quia, cum naturaliter homo consanguineam diligit, si adderetur amor, qui est ex commixtione carnali, esset nimius ardor amoris et maximum libidinis incentivum."

tium abhorreatur.[1]) Quod vero spectat ad alios gradus, utrum videlicet jure naturae consanguinitas dirimat matrimonium in omnibus, incertissimum est, tum propter opinionum diversitatem, tum ob rationes, quibus singulae nituntur, non sat solidam firmitatem. S. Thomas id nulli gradui tribuit praeterquam primo lineae rectae.[2]) Communiter tamen admittetur etiam a fautoribus hujus sententiae, matrimonia inter ascendentes et descendentes, licet non sint irrita ex lege naturali, graviter adversari juri naturae prohibenti, praesertim in secundo, et proximis gradibus, ideoque jam ex lege naturali graviter illicita, nisi indecentia illis naturaliter insita ex aliqua justa causa cohonestetur. Hinc etiam Gentiles bene instituti execrati fuerunt talia conjugia, atque nonnunquam irrita habuerunt ex speciali lege politica; sed, si seclusa tali lege speciali, apud infideles avus cum nepte sua conjungeretur matrimonio, conjugium tale teneret, et si ad fidem converterentur, separari ab invicem non deberent, ut affirmant Veracrux, Barth. a Ledesma, Vega, Sanchez, Perez, Wiestner, Schmalzgruber,[3]) praesertim cum nulla lex divina positiva ostendi possit, qua talia conjugia naturaliter quidem illicita etiam pro gentilibus invalida redderentur, contradicentibus tamen non paucis.[4]) Quidquid autem est de jure naturali et divino, inter Christianos certum est, ejusmodi conjugia esse invalida ex jure ecclesiastico, idque probabilius in quocunque gradu, atque tanto rigore, ut dispensatio in linea recta nunquam concedatur.

2) Quoad *lineam collateralem* difficultas movetur de primo gradu, videlicet inter fratrem et sororem. Tale matrimonium esse irritum ex lege naturali, probatissimi auctores affirmant, Bellarmin, Vasquez, Sanchez, Valentin, Laymann, Clericat, Reiffenstuel, negant tamen plurimi non minus probati, S. Thom.[5]),

---

1) S. Thom. 4 dist. 40 quaest. i. a. 3.

2) loc. cit.

3) Schmalzg. lib. IV. tit. 14. n. 32.

4) Laymann de matr. t. 10. p. 4. c. 6. Leuren. lib. IV. tit. 14. quaest. 225.

5) Summa Th. 2. 2. quaest. 154. a. 9. ad 3. „Variatur circa hoc (sc. conjugium inter fratrem et sororem) decentia," vel indecentia secundum con-

S. Benevent., Navarr., Corinck., Wiestner, Schmier, Schmalzgr., qui praesertim nituntur in hac ratione, quod per fratrum et sororum conjugia primitus fuit propagatum genus humanum, unde credendum est, si talia conjugia essent absolute contra jus naturae, Deum potius plures creaturum fuisse masculos et feminas, ne cogerentur fratres, jure naturae violato, matrimonium inire cum sororibus. Ex qua satis probabili doctrina inferunt Veracrux, Sanchez[1]) et alii, si ex gentilibus, quibus est consuetudo, talia matrimonia in primo gradu lineae transversae celebrandi, ad fidem catholicam convertantur, non esse a tali conjugio separandos; consultius tamen, ait Laymann, in re adeo gravi esse, Summum Pontificem consulere, eo magis, quia Innocentius III. (in cap. *gaudemus de divort.)* voluisse existimatur a multis, conjunctos, in infidelitate in primo gradu consanguinitatis etiam lineae transversae separandos esse[2]). — In secundo ceterisque gradibus lineae collateralis matrimonia jure naturali non esse irrita, est communis sententia; tametsi enim turpe plerumque sit cum cognatis contrahere matrimonia, maxime in gradibus propinquioribus, non tamen jure naturae ita sunt prohibita, multoque minus irrita, ut ob rationabilem causam, praesertim publica auctoritate accedente, cohonestari non possint; unde ab Innoc. III. l. c. declaratum est, infideles ad fidem conversos, si in secundo vel ulterioribus gradibus lineae obliquae contraxerint matrimonium ante baptismum, separandos non esse. Legem Mosaicam in Levit. c. 18. quae vetat conjugia hujusmodi, non fuisse juris naturalis declarativam, sed ad praecepta judicialia solum, et caeremonialia Gentis Hebraiae pertinuisse, inter Catholicos nunc constat ob decisionem Trid. Conc. sess. 24. can. 5. de matrim., ubi anathema dicit iis, qui negant, Ecclesiam

---

suetudinem et legem humanam vel divinam, quia usus venereorum, qui ordinatur ad bonum commune, subjacet legi et ideo, sicut dicit August. 15. de civit. Dec. „Commixtio sororum et fratrum quanto antiquior, compellente necessitate, tanto postea est damnabilior, religione prohibente.“

1) Sanchez. disp. 52. n. 12.

2) Laymann. de matr. tr. 10. p. 4. c. 6. Conf. Cas. XXXI.

in *nonnullis* consanguinitatis et affinitatis gradibus, qui Levitico continentur, posse dispensare.

VI. Constat inter omnes, impedimentum ex consanguinitate in linea transversa oriens fuisse diversae extensionis diversis temporibus in Ecclesia; in primis saeculis Ecclesia consanguinitatis impedimentum non extendisse videtur ultra gradus a legibus civilibus praefixos. Id non obscure innuit S. Augustinus lib. 15. de cert. Dec. c. 16. scribens: experti etiam sumus in connubiis consobrinarum; etiam nostris temporibus per gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri *per leges* licebat, quia id nec divina lex prohibuit, et *nondum prohibuerat lex humana.* Quod autem dicat S. Augustinus: „nondum prohibuerat lex humana" reflexisse videtur ad legem a Theodosio M. a. 390. latam, ne inter consobrinos (h. e. in secundo gradu) inirentur matrimonia, cujus legis meminit S. Ambrosius lib. 8. ep. 66. „Nam Theodosius imperator etiam patrueles fratres et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, et severissimam poenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora[1])" Unde apparet, ante legem Theodosianam matrimonia etiam in secundo gradu aequali non fuisse invalida, quamvis illicita; dixi, aequali; quia in gradu secundo primum tangente jam antea fuisse irritata lege civili, patet ex Instit. Justin I. sen. Justas §. 3. §. 5. de nuptiis, I. 10., ubi legitur: „Fratris vero vel sororis filiam uxorem ducere non licet; sed nec neptem fratris vel sororis quis ducere potest." Item amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet; item nec materteram, quia parentum loco habentur. Post autem legem Theodosianam sensim in variis Ecclesiae partibus per Concilia provincialia mox ad plures gradus hoc impedimentum extensum fuisse videtur[2]); donec

---

[1]) Van-Espen. de impedim. matr. cap. VI. Berardi, dissert. 4. c. 4. Knopp p. 162.

[2]) Concilium Epannense. a. 517., Concilium Avernense, 535. Concilium Aurelianense, 538.

tandem in Concilio Toletano a. 531 pro Hispania[1]) et in Concilio Romano a. 721 sub Gregor. II. S. P.[4]) declaratum fuerit, pro universa Ecclesia hoc impedimentum consanguinitatis etiam in linea collaterali in quocumque gradu matrimonium dirimere, quod tamen in praxi plerumque ad septimum gradum restrictum erat, quia ulterius per rerum naturam nec nomina invenire, nec vita succedentibus prorogari potest[2]). Saeculo undecimo in dubium est revocatum, num septem gradus computandi sint juxta legem civilem, an canonicam, ut patet ex opusculo b. Petri Damiani, quod inscribitur „*de parentelae gradibus*," in quo fuse contra quosdam juris peritos contendit, gradus consanguinitatis in linea collaterali computandos esse juxta supra datam computationem canonicam, approbante Alexandro II. in Conc. Roman. 1064[3]). In Concilio tandem Lateranensi IV. 1215, hoc impedimentum restrictum fuit ab Innocentio III. ad quartum gradum, juxta S. Thomam ex duplici causa, videlicet quia ultra inutile et periculosum erat gradus remotiores prohibere; *inutile* quidem, quia ad remotiores consanguineos quasi nullum foedus majoris amicitiae, quam ad extraneos habebatur, charitate in multorum cordibus frigescente; periculosum autem erat, quia concupiscentia et negligentia praevalente, tam numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observabant: et sic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione[4]). Satis etiam convenienter usque ad *quartum*

---

1) „Sancimus, ne quis fidelium, propinquorum sanguinis sui, usquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari".

2) Si quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, a. s. can. 9. Knopp. p. 163.

) Caus. 35. quaest. 5. can. 6. §. 7.

3) Caus. 35. quaest. 5. c. 2. „Illi, qui gradus consanguinitatis ad juris civilis normam numerabant, *incestuosi* vocabantur, contra hos doctrinam canonicam defendunt Leo IX. in Rom. I. et Rhemens. Nicol. II., Alex. II. in Conc. Rom. 1063, praesertim in Rom. 1065". *Enchirid.* n. 304.

4) „In hunc finem remotiores gradus praecipue prohibebantur, ut ad plures per consanguinitatem et affinitatem naturalis amicitia promanaret." Suppl.

gradum dicta prohibitio est restricta, quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri.

Quaesita.

Quaeritur 1°). An universim quicumque quinto gradu inter se distant, matrimonium contrahere possint, licet unus eorum a communi stipite distet intra gradum quartum?

℟. Satis constat, posse matrimonium sine dispensatione validum inire, si is, qui propinquior est communi stipiti, distet ab eo secundo, tertio, aut quarto gradu; habetur expresse de quinto gradu tangente quartum in jure Canon.[1]), quod, ex pari ratione, communiter extenditur ad tertium et secundum gradum mixtum cum quinto[2]). Difficultas a paucis movetur, si unus ex contrahentibus solum distet primo gradu a stipite communi; sed si talis casus, qui vix possibilis est, occurrat, dicendum est multo probabilius, non obstare impedimentum, quia etiam tales contrahentes inter se distant quinto gradu, cum juxta juris normam[3]) gradus remotior ad se trahat viciniorem.

Quaeritur 2°) qualis ignorantia excuset ab excommunicatione in gradu prohibito contrahentes?

℟. Certum est excusare omnem ignorantiam *facti*; et idem est dicendum de ignorantia juris invincibili; ignorantia autem culpabilis non excusat, si sit affectata, quam illi habent, qui scire nolunt, quod scire deberent, idque ut liberius peccent; ignorantia autem etiam crassa, si affectata non sit, probabilius excusat sic contrahentes ab excommunicatione, quia censura non incurritur, nisi interveniente dolo, aut mala fide; atqui dolo

---

quaest. 54. a. 4. c. et ad 7. — Notatu dignum est, quod a saeculo VI usque ad saec. XIII. remotiores gradus prohibiti fuerunt, Divina providentia sic ordinante, ut tali modo socialis vita colligaretur inter nationes barbaras, quae paulo antea invaserant Romanum Imperium, et veteres imperii incolas, unde dicere licet, ex hac prohibitione magna esse orta commoda pro bono communi. Berardi p. 98. 99.

[1]) Lib. IV. Decret. tit. 14. c. ult.

[2]) Sanchez lib. 7. disp. 52. n. 4. Fagnan. in c. fin. cit. n. 2. Schmalzg.

[3]) Lib. IV. Decret. tit. 14. c. 9.

caret non solum is, qui factum nescit, sed et is, qui in jure erravit [1]).

§. 38.

2) Cognationis spiritualis.

I. Cognatio spiritualis est propinquitas orta ex baptismo et confirmatione inter certas personas in jure canonico determinatas. Hoc impedimentum, quod juxta omnes oritur ex sola lege ecclesiastica, antiquo jure ad plures personas extendebatur, jure tamen novo Concilii Tridentini [2]) ad tollenda animarum pericula, scandala aliaque incommoda, quae ex cognationis istius nimis late extensae ignorantia in Ecclesia orta sunt, ita restrictum est, ut imposterum matrimonium ratione baptismi non dirimatur, nisi 1) inter patrinum vel matrinam et baptizatum, tanquam inter patres et filios vel filias spirituales, 2) inter baptizantem et baptizatum, 3) inter baptizantem vel patrinum seu matrinam ex una, et baptizati patrem ac matrem ex altera parte; relatio patrini et baptizantis ad baptizatum *paternitas*, ad parentes baptizati *compaternitas* vocatur [3]). Idem vult s. Synodus

---


[1]) Schmalzg. lib. 4. tit. 14. §. 1. n. 64.

[2]) Sess. 24. c. 2. de reform. matrim.

[3]) Hinc duo horriduli, et specie tenus versiculi:

Baptizans, baptizatus baptizatique parentes.
Levans, levatus, levatique parentes.

Schema cognationis spiritualis.



intelligendum de cognatione orta ex confirmationis Sacramento; nam etiam de isto statuit, ut deinceps cognatio spiritualis ex ea orta matrimonium non dirimeret, nisi inter confirmantem, vel patrinam ex una, et inter Confirmatum, istiusque parentes ex altera parte.[1]).

II. Ad contrahendum hoc impedimentum requiritur 1) ut patrini sint baptizati, 2) ut sint rationis compotes, 3) ut habeant intentionem munus patrini suscipiendi ac ad illud sint designati, 4) exigitur contactus physicus, ut nempe patrinus per se vel per procuratorem (qui cognationem non contrahit) personam baptizandam in baptismo solemni teneat vel immediate a manu baptizantis vel mediate per manus obstetricis suscipiat, 5) *privatim* baptizans sive masculus sive femina, hujus impedimenti vinculo astringitur[2]), 6) pater vel mater, urgente necessitate, aut extra casum necessitatis ex probabili ignorantia aut alia rationabili causa prolem *legitimam* baptizantes jure petendi debitum conjugale non excideret[3]). Baptizans vero vel levans, etiam in necessitate, prolem suam *illegitimam* ab impedimento cognationis cum matre non eximitur[4].)

III. Non contrahitur cognatio spiritualis 1) inter baptizantem et sponsores, 2) neque inter patrinum et matrinam, 3) si incertum fuerit, quis ex pluribus, qui tetigerunt, fuerit designatus, omnes contrahunt cognationem; 4) si unus designatus fuerit, licet plures levaverint, ille solus designatus contrahit cognationem. 5) Neque contrahitur cognatio ab iis, qui levant infantem ad caeremonias supplendas, neque qui levant in baptismo privatim dato; controvertitur de casu baptismi conditionate dati[5]). —

---

[1]) Sed in plerisque locis patrini in confirmatione non amplius adhibentur. *Gury.* —

[2]) S. C. C. 5. Martii 1678.

[3]) Immo nec probabilius videntur cognationem contrahere, etiamsi ex industria, seclusa necessitate, prolem baptizarent. St. Lig. n. 150.

[4]) Lib. IV. Decret. tit. 10. c. 2 et 3. Conf. Casum XXXVI. XXXVII.

[5]) Instruct. past. Eystett. p. 290, dicit, praesumendum et tanquam tutius supponendum est, cognationem esse contractam."

IV. Ratio constituendi hoc impedimentum, est triplex juxta auctores. 1) Quia in baptismo et confirmatione recipiens accipit *esse* quoddam spirituale, ad quod baptizans vel confirmans concurrit, ut pater, patrinus vero aut matrina, nomine Ecclesiae baptizatum vel confirmatum suscipiens, ut mater, 2) quia inde contrahitur quoddam amicitiae ac familiaritatis vinculum, et hinc oportuit inter has cognatas matrimonium interdicere, ut isto cum extraneis inito amicitia dilataretur in plures, 3) quia esse spirituale dignius est, quam esse carnale, quod accipitur per generationem carnalem; igitur, si ob hanc inter parentes et filios dirimitur matrimonium, decebat hoc etiam dirimi ob cognationem spiritualem[1]. — De origine hujus impedimenti certum est, patrinos fuisse adhibitos ab antiquissimis ecclesiae temporibus; Polydorus Virgilius[2]) scribit Hyginum S. P. (a. 139) illos instituisse; alii autem hunc morem reducunt ad tempora Apostolorum[3]). Tertullianus igitur loquitur de patrinis tanquam re universe cognita in Ecclesia[4]), unde probabiliter concluditur, etiam impedimentum ex hac relatione inter patrinos et baptizatos exurgens ejusdem esse antiquitatis[5]). Primus tamen expresse meminit hujus impedimenti Iustinianus in saeculo sexto in l. 26. cod. de nupt. ubi „ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda declaratur, quam aliquis, sive alumna sit, sive non, a sacro suscepit baptismate.“ Ratio subjungitur: „cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante,

---

1) Sanchez. lib. 7. disp. 45. n. 3. Schmalzg. lib. 4. tit. 11. n. 3,
2) Lib. 4. de invent. ver. c. 4.
3) Casalius, Landulphus Carthius.
4) Lib. de baptism. c. 18.
5) Refert Procorpius in lib. 1. Hist. arc. olim in more fuisse Christianorum, ut filios sibi *adoptarent* eos, quos ad sanctam Ecclesiam suscipiendi baptismatis causa adducerent; praeterea pro baptizatis spondebant, ne unquam baptismate abuterentur, nec recederent ab Ecclesia, unde susceptores etiam sponsores appellabantur, quod sane omnino fieri non poterat, nisi quandam instar paternae potestatem in baptizatos exercerent. Berardi. p. 110.

animae eorum copulatae sunt [1]). Synodus in Trullo illos, qui cum hoc impedimento matrimonium contrahunt, poenis fornicatorum subjicit, declarans simul spiritualem affinitatem corporum esse majorem; unde, sequentibus saeculis, hoc impedimentum paulatim ad instar impedimenti ex cognatione carnali procedentis extendebatur [2]), donec tandem, ut vidimus, a Conc. Trid. restrictum fuit ad dictos limites.

§. 39.

3) Cognationis legalis.

I. Cognatio legalis est propinquitas personarum, quae oritur ex adoptione legali; adoptio autem est actus legitimus, quo, qui naturae filius non est, in filium assumitur. Haec cognatio primo constituta est a lege civili, i. e. romana, et deinde ab Ecclesia approbata [3]), unde, si casus occurrat, in quo dubitetur, utrum adsit impedimentum cognationis legalis necne, ad legem civilem, i. e. romanam, recurrendum est et ex ejus tenore controversia definienda [4]). In lege romana duplex est adoptio 1) *perfecta* seu *arrogatio*, per quam homo extraneus sui juris sub nullius patria potestate constitutus secundum leges, auctoritate vel rescripto principis transit in potestatem patriam seu familiam adoptantis ad instar filii naturalis, ejusque haeres necessarius ab intestato ex asse, ex testamento autem in quarta bonorum parte efficitur.

2) *imperfecta*, per quam homo extraneus filius familias auctoritate inferioris magistratus adoptatus, non transit in potestatem adoptantis neque fit haeres necessarius ex testamento, sed tantum ab intestato.

---

1) Unde Launojus et alii Gallicani probare conantur, hoc impedimentum fuisse introductum a potestate civili sed perperam; cum veri simile est, hoc impedimentum jam antea invaluisse, atque imperatorem illud hac constitutione pro foro civili confirmasse. — Binterim. 6. 2. p. 422.

2) Gratian. Caus. 30. q. 3. Decret. IV. tit. 11.

3) Can. 1. caus. 30. quaest. 3. Ex resp. Nicolai I. ad Bulgaros, saeculo IX. cap. *si qua* unic. X. de cogn. legali. 4. lib. 4. tit. 12.

4) Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 9. c. 10. n. 5.

II. Ex utraque adoptione oritur cognatio legalis[1]), ac proinde impedimentum matrimonii inter sequentes personas:

1) Inter adoptantem et adoptatum et filios adoptati, saltem dum sunt sub paterna potestate constituti, quasi in linea recta per similitudinem ad cognationem naturalem;

2) inter adoptatum et filios adoptantis, quasi in linea collaterali, saltem dum hujus filii sub paterna potestate versantur

3) inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi in linea recta per modum affinitatis;

4) in primo et tertio casu cognatio manet, etiam sublata adoptione per emancipationem ex paterna potestate, et extenditur usque ad quartum gradum probabiliter; in secundo casu ad primum tantum extenditur, et sublata adoptione omnino tollitur.

Ratio hujus impedimenti habetur in verbis S. Augustini, „quia, nescio quomodo, inest humanae naturae quiddam naturale atque laudabile, ut, cui debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem de qua erubescere videmus et ipsam pudicitiam conjugalem[2]).“

III. Cum modernae leges civiles de adoptione latae a jure romano in sacris canonibus quoad hoc institum recepto tum circa arrogationem, tum circa adoptionem imperfectam plus minusve recedant, quaeritur, num adoptio juxta leges civiles hujusmodi cognationem pariat legalem; S. Poenitentiaria 17. Maji 1826 ad quaestionem, utrum adoptio juxta legem civilem per Galliam vigentem impedimentum hoc inducat;“ respondit „Affirmative, si res sit de adoptione legitime inita; unde plures concludunt impedimentum cognationis legalis, si adoptio juxta

---

[1]) Ex resp. s. Poenitent. 26. Maji 1826 inducit adoptio juxta legem civilem Galliae facta cognationis legalis impedimentum; jam vero constat, adoptionem, de qua in quaestione, esse imperfectam in sensu juris canonici; cum tamen ea declarata sit, sufficiens ad inducendum impedimentum, illorum sententia confirmata est, qui docent ex utraque adoptione illud provenire. — Knopp. p. 196. Inst. Past. Eyst. 294. not. 1.

[2]) Caus. 35. quaest. 1. can. 1. Van-Espen. p. II. sect. 1. tit. 13. c. 7.

leges civiles in aliqua provincia vigentes eandem afficiat relationem inter adoptantem et adoptatum, quam inducit lex romana, quamvis diversae sint formae legis, semper contrahi in eadem extensione, quam lex ecclesiastica definivit[1]). — Unio tamen prolium ex diverso matrimonio quoad aequalem successionem in bonis paternis et maternis nullum causat impedimentum matrimonii; idem dicendum de susceptione simplici alicujus orphani ad nutriendum et educandum.

§. 40.

XI. De impedimento affinitatis.

I. Affinitas est propinquitas personarum[2]) orta ex copula perfecta, sive licita, sive illicita; per copulam enim carnalem vir et femina fiunt una caro, unde duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur, et altera ad alterius cognationis *finem* accedit[3]). Vinculum affinitatis est proximum

---

[1]) *Knopp.* p. 194. 195. — Carriere, Instruct. past. Eystet. p. 294. statuit ut quoties in casu matrimonii contrahendi sive contracti quaestionem super hoc impedimento moveri contingat, ad Ordinarium recurratur. Kenrick theol. moral. p. 3. p. 335. „quum ex theologorum communi (?) sententia impedimentum ex adoptione perfecta tantum oriatur, quae apud nos non habetur, nihil hic obstare videtur (?), quin vir ducat puellam, quam filiae loco hactenus habuit. Quae fieri dicitur apud nos adoptio tota pendet ex arbitrio adoptantis". Ex dictis tamen patet, non esse quaerendum, num adoptio apud hos sit perfecta, necne, sed potius, num sit legitime inita et concedat adoptato jus filii familias; si ita, impedimentum contrahi etiam apud nos videtur.

[2]) Oritur affinitas ex copula inter senes et steriles, etiam cum muliere invita, ebria, insana, similiter ad contrahendam affinitatem nihil refert, an copula occulta sit, an non, et quotiescunque constat de copula, praesumetur in foro externo consummata. „Dens de matrim. n. 98. — neque, uno defuncto, in superstite affinitas deletur".

[3]) S. Thom. suppl. quaest. 55. a. 1. „Amicitia quaedam naturalis (qualis est affinitas) in communicatione naturali fundatur; naturalis autem communicatio est duobus modis; uno modo per carnis propagationem, alio modo per conjunctionem ad carnis propagationem ordinatam... Persona conjuncta per carnalem copulam non fit particeps ejusdem radicis, sed quasi extrinsecus adjuncta, et ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod *affinitas* dicitur.

vinculo consanguinitatis, atque dirimit ex eadem ratione matrimonium, ex qua et consanguinitas. Sicut enim inest necessitas quaedam cohabitandi et communicandi consanguineis ad invicem, ita et affinibus; et sicut est quoddam amicitiae vinculum inter consanguineos ita inter affines[1]; vinculum tamen affinitatis est minus forte quam consanguinitatis, cum affinitas ex consanguinitate causetur in diversitate speciei[2]), unde facilius et olim et nunc dispensatio fit in gradibus affinitatis quam consanguinitatis. Similiter, licet ex copula illicita affinitas oriatur, vinculum illegitimae affinitatis minus forte est, quam legitimae, quia conjunctio viri et uxoris in matrimonio non tantum consistit in copula carnali, sed etiam in communicatione operum et individuae consuetudinis, fornicarius autem concubitus affinitatem eatenus tantum causat, in quantum quid habet de carnali conjunctione[3]). Hinc affinitas ex jure naturali non dirimit matrimonium, nisi juxta plures in primo gradu lineae rectae, scilicet inter vitricum et privignam, inter socrum et generum, in quo casu Ecclesia saltem nullibi legitur dispensasse, et ut testatur Benedictus XIV. lib. 14. de synod. dioeces. c. 39. Pontifices, licet saepius rogati, a dispensando semper abstinuerunt, contradicentibus tamen non paucis etiam in hoc casu, praesertim ex sententia trium Conciliorum provincialium saeculo sexto habitorum, nempe Agathensis, Can. 21. Epalmensis Can. 30. et tertii Aurelianensis can. 10. quae jubent hujusmodi conjugia in infidelitate contracta non esse dissolvenda[4]). Idem etiam certum videtur de affinitate primi gradus lineae rectae ex copula illicita; unde in hac affinitate dispensari solet, saltem ut vir ducat illam, cujus matrem cognovit.

II. Verisimile est, matrimonium saltem inter limites in lege Mosaica, (Levit. 18. 8. 15.) statutos inter Christianos sem-

---

[1]) S. Thom. suppl. quaest. 55. a. 6.

[2]) S. Th. suppl. q. 55. a. 8.

[3]) S. Thom. suppl. q. 55. a. 4. „Quia secundum jus naturale ex copula illicita oritur quidem aliqua affinitas, sed non tam perfecta, sicut ex copula conjugali. Laymann. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. Conf. Cas. XXXIV. XXXV. XXXVIII.

[4]) Dens. Theol. de matr. n. 101.

per fuisse prohibitum; Concilium Eliberitanum, a 305, et Neocaesariense a. 314. severissime vetant hujusmodi matrimonia[1]); et Concilium Epaonense a. 517. eos ad poenitentiam recipi vetat, qui incestuosa matrimonia contraxerunt, nisi se separent; incestuosa autem nuncupantur matrimonia inita cum cognata, cum socru, cum nuru, cum patrui vidua, cum consobrina, aut consobrinae filia. Quandonam vero instituta fuerit disciplina, quae matrimonium inter affines in iis omnibus gradibus prohibet, in quibus inter consanguineos prohibitum est, haud satis certo constat. Id tamen certissimum est, eam octavo saeculo locum obtinuisse, ut probat Romani Concilii a. 721 habiti can. 9. qui matrimonium inter affines, proinde atque inter consanguineos illimitatum in modum vetat: „Si quis de propria cognatione, vel *quam cognatus habuit*, duxerit uxorem, anathema sit.“ Ab eo tempore semper inter affines matrimonia, quibus in gradibus inter consanguineos, vetita fuisse videntur. Insuper olim triplex erat affinitatis genus[2]); sed quia tum ex hac triplici affinitate, tum ex septem gradibus, similiter ac in consanguinitate, magna difficultas frequenter exorta est ad periculum animarum, Innocentius III. secundum et tertium genus affinitatis abrogavit, atque primum genus in linea collaterali ad quartum gradum redegit in Conc. Lat. IV. a. 1215.[3]). Synodus tandem Trident. impedimentum, quod propter affinitatem ex copula illicita inducebatur, ad eos tantum qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere[4]).

---

[1]) Concil. Elib. cap. 61. „Si quis post obitum uxoris suae, sororem ejus duxerit et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte dari pacem velocius necessitas coegerit infirmitatis“. Conc. Neocaes. „Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem“. Can. 2.

[2]) Quod copiose et sat clare exponit glossa in lib. IV. Decret. ad cap. 8. de consanguinitate.

[3]) In linea recta affinitatis neque Concilium Lateranense, neque Tridentinum aliquid innovavit; hinc impedimentum affinitatis dirimit in linea recta in infinitum.

[4]) Sess. 24. cap. 4. de refor. matrim. Conf. Casum XXX.

III. *Affinitas*, quae impedimentum ex Concilio Lateranensi constituit, oritur tantum inter *consanguineos* viri, qui cognovit mulierem, et *mulierem cognitam ipsam*; et inter *consanguineos* mulieris cognitae et *virum ipsum*, qui cognovit; hinc affinitas non parit affinitatem. Gradus quidem in affinitate proprie non dantur, vocabulum tamen istud etiam transferri solet ad affinitatem ita, ut juxta distantiam graduum consanguinitatis computentur etiam diversi gradus affinitatis. Hinc generali usu recepta est haec unica fere regula: Solus maritus fit affinis cum consanguineis uxoris et quidem in eo gradu, quo sunt conjuncti uxori; ac vicissim sola uxor fit affinis cum consanguineis sui mariti in eo gradu, quo maritum sanguine attingunt; unde consanguinei mariti et uxoris inter se nullam affinitatem contrahunt, cum affinitas non pariat affinitatem. Itaque

1) Licitum et validum erit matrimonium, quod duo fratres cum duabus sororibus, vel eorum unus cum matre, alter cum filia init.

2) Pater et filius cum matre et filia, privignus cum matre, filia aut sorore novercae, et privigna cum patre, filio aut fratre vitrici contrahere possunt.

3) Non minus legitimo conjugio copulantur fratris et sororis demortuorum superstites conjuges, filius mariti et filia uxoris ex conjugiis ante cum alia aliove initis procreati.

4) Rursus valida sunt matrimonia successive inita cum duabus viduis, quarum defuncti mariti erant fratres germani [1]).

---

[1]) Instruct. past. Eyst. p. 295. Benedict. XIV. de synod. dioec. lib. 9. c. 13. Si de affinitate inter contrahentes dubitetur, primo quaeratur, utrum illi antea matrimonio juncti fuerint; si enim neuter ex illis conjugatus fuerat antea, certum est, inter illos affinitatem legitimam existere non posse; hinc secundo inquirendum est in foro externo seu interno de copula illicita ab uno vel utroque antea habita; si ex utraque parte negetur, certum est, affinitatem illegitimam non fuisse contractam; si autem contrahentes, unus vel uterque, copulam antea licite, vel illicite habitam confiteantur tertio inquirendum erit, num persona, quacum copula est habita intra vel extra matrimonium consanguinea fuerit cum altero ex contrahentibus, et in quoto gradu: et patebit, utrum impedimentum ex affinitate obstet necne. *Laymann. Dens.* — Conf. Cas. XXXII. XXXIII

5). Inter illos tamen, qui ex supradictis vere sunt inter se affines, jure novo Concilii Lateran. et Conc. Trid. impedimentum affinitatis dirimit matrimonium a) in quocunque gradu lineae rectae[1]; b) usque ad quartum gradum inclusive lineae collateralis, si affinitas orta sit ex copula licita; c) usque ad secundum gradum lineae collateralis, si sit ex copula illicita.

IV. Affinitas matrimonium jam contractum superveniens, quam conjugatus contraxit cum conjuge, si cum ejusdem consanguinea intra *secundum gradum* incertum committat, impedit eum, quo minus conjugii debitum petere ipse liceat, (quamvis innocenti conjugi reddere teneatur), donec dispensetur ab Episcopo. Haec tamen debiti petendi privatio, habet rationem poenae, ac proinde non contrahitur, nisi incertus voluntarie fuerit commissus et formaliter. Ab hoc igitur impedimento excusat 1) vis et metus v. g. si uxor metu gravi coacta cognoscitur a consanguineo viri, quia, sicut metus gravis excusat a lege humana, ita etiam excusat a poena; 2) excusat ignorantia; haec ignorantia potest esse aut facti, aut juris, aut poenae. Si est facti, nempe si conjux ignorat illam personam, cum qua copulam habet, esse consanguineam sui conjugis, ab omnibus excusatur, licet ignorantia sit crassa, cum illa poena sit imposita *scienter peccantibus*. Nec incurritur ab eo, qui ignorat legem ecclesiasticam, quae praeter divinam id prohibet; dum non potest incurri poena illius legis, cujus nulla habetur notitia; et est etiam probabile non incurri ab eo, qui, licet sciat legem ecclesiasticam, ignorat tamen poenam; quia hoc impedimentum habet verae poenae rationem; et cum sit poena extraordinaria, ei non subjicitur ignorans. 3) Non incurritur praefatum impedimentum, nisi copula sit ex utraque parte consummata; advertendum tamen, quod in dubio semper praesumenda est copula fuisse perfecta, et consummata ab utraque parte[2]).

Dixi: „donec dispensetur ab Episcopo; quia est communis sententia, posse dispensare Episcopos de hoc impedimento ex

---

[1]) Knopp. p. 210. Carriere tom. 2. §. 834.

[2]) S. Alph. Lig. Hom. apost. tom. II. tract. 18. n. 68.

potestate sua ordinaria, aut saltem ex consuetudine jam introducta [1]; hac tamen dispensatione non tollitur impedimentum affinitatis quoad matrimonium, defuncto conjuge, contrahendum [2].

Quaesita:

Quaeritur 1°). An in tertio et quarto gradu affinitatis ortae ex copula illicita etiam *licite* possit matrimonium contrahi? ℟. Dubium hoc resolvit S. Pius V. „*Motu proprio*, incip. *ad Romanum*" edito, ubi expresse declaratur, *libere* et *licite* in hoc casu posse matrimonium contrahi.

Quaeritur 2°). An contrahere sine dispensatione matrimonium possint, quorum unus in tertio, aut quarto, alter in primo gradu affinitatis ex copula illicita ortae est positus? ℟. Affirmative, atque ita teste Corrado, lib. 7. prax. disp. c. 2. n. 26. et 27. receptum in praxi et stabilitum est pluribus declarationibus S. Congreg. Card. Conc. Ratio est, quia, cum distantia consanguineorum et affinium in linea inaequali sumatur a distantia remotioris a stipite, hi, de quibus hic quaestio est, revera inter se distant tertio, aut quarto gradu.

Quaeritur 3°). Ad quem gradum inducatur affinitatis impedimentum ex copula inter illos habita, quorum matrimonium est invalidum? ℟. Affinitas ex matrimonio invalido orta dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, prout affinitas ex valido matrimonio proveniens, ex declaratione S. C. C. 3. Decemb. 1607; excipe tamen 1) si matrimonium nullum fuerit ex impedimento impotentiae, quo in casu nulla exurgit affinitas, 2) si invalidum fuerit ex impedimento clandestinitatis, cum matrimonia clandestina non habeant rationem matrimonii publici, indeque ex iis affinitas usque ad secundum tantum modo gradum, sicut ex copula illicita, procedat [3].

---

[1]) S. Alph. Lig. l. c. n. 69.

[2]) Knopp. p. 219.

[3]) Instruct. past. Eyst. p. 296. Knopp. p. 213. — Pignatelli t. 4. consult. 15. refert declarationem 3. Oct. 1667, quae dicit; „Si adfuerit figura matrimonii, ex copula, licet illicita, in tali matrimonio habita, orietur affinitas usque ad quartum gradum".

Quaeritur 4⁰) quam poenam incurrant illi, qui contrahunt matrimonium (sine dispensatione) in gradu affinitatis prohibito? ℟. Si scienter ita contrahunt, incurrunt ipso facto excommunicationem, ut supra dictum de Contrahentibus in gradu consanguinitatis prohibito; sed ut poena incurratur, requiritur 1) ut matrimonium reipsa sit contractum, 2) ut impedimentum affinitatis revera subsit; hinc, si falso existimans subesse impedimentum, revera autem non subsit, excommunicatio non incurritur, quia prava voluntas non punitur, nisi opere secuto, 3) ut sit scienter contractum cum tali impedimento, ut expresse dicitur in textu legis. Excusat autem a poena hac non tantum ignorantia probabilis, et facti, sed etiam juris, et crassa, modo non sit affectata; 4) ut sponte et libere, non ex metu matrimonium contractum sit, 5) ut scientia impedimenti matrimonium praecesserit; nam siquis bona fide contraxit cum affine, etsi postea conscius impedimenti ipsi cohabitet, et utatur conjugio, hanc excommunicationem non incurrit[1]).

Quaeritur 5⁰) quid sit dicendum de affinitate inter infideles?

℟. 1. Sicuti consanguinitas inter consanguineos, ita affinitas ex matrimoniali saltem copula parit naturale quoddam vinculum inter affines, quod cum naturale sit, oritur tam inter infideles, quam fideles; veruntamen, cum affinitas ex jure naturali non irritet matrimonium, ut supra diximus, matrimonia inter affines infideles sunt valida, etiam probabilius in primo gradu lineae rectae[2]).

℟. 2. Sed cum affinitas inter infideles revera existat, et post baptismum perseveret, infideles conversi, Baptismate suscepto, nec cum consanguinea, nec cum affini intra gradus prohibitos matrimonium inire possunt, etiamsi consanguinitas vel affinitas jam in infidelitate contracta fuerit.

℟. 3. Non videtur oriri affinitas inter infideles ex copula illicita extra matrimonium; quia ex hujusmodi conjunctione non inducitur vinculum naturale, nec inter feminam cognitam et

---

[1]) Schmalzg. lib. 4. tit. 14. n. 114.

[2]) Conc. Agath., Epaonens, Aurelian III. vide supra.

consanguineos viri, qui illam cognovit, ulla oritur amicitia naturalis, sed potius oriuntur, ut plurimum, odia et inimicitiae [1]); hinc is, qui in infidelitate fornicatus est cum Titia, ad fidem conversus ducere potest quancunque Titiae consanguineam [2]); Item, si quis fidelis fornicetur cum infideli, infidelis, licet postea baptizetur, nunquam contrahet ex hac copula illicita impedimentum affinitatis cum consanguineis fidelis; econtra pars fidelis contrahet ex tali copula impedimentum affinitatis cum consanguineis infidelis, si illi postea baptizentur aut jam baptizati sint [3]).

§. 41.

XII. De impedimento publicae honestatis.

I. Affinitas, ut vidimus, exurgit ex duplici principio, scilicet partim ex cognatione naturali, partim ex copula carnali; si pro utroque aliquid simile ponitur, videlicet loco cognationis cognatio legalis, vel spiritualis, et loco copulae carnalis conjunctio ex sponsalibus vel matrimonio rato proveniens, propinquitas quaedam affinitati similis oritur, quae, si cognatio legalis vel spiritualis pro consanguinitate ponitur, inducit ex copula carnali quasi-affinitatem; si autem pro copula carnali alia conjunctio ex sponsalibus vel matrimonio rato substituitur, causat impedimentum publicae honestatis inter consanguineos et unam partem ex contrahentibus; de quasi-affinitate jam annotavimus, §. 39. II. matrimonium irritum esse inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis ex cognatione legali quasi per modum affinitatis. Simile impedimentum ortum est jure antiquo ex cognatione spirituali, quod tamen a Concilio Trid. tacite [4]), et a. S. Pio V. expresse abrogatum est. — Hinc restat, ut agamus de impedimento publicae honestatis.

---

[1]) Plures tamen dissentiunt. Schmalzg. lib. 4. tit. 14. n. 91.

[2]) Navarr. Cleric. *Dens.* de matr. n. 101. Knopp. p. 226.

[3]) Sanchez. lib. 7. disp. 65.

[4]) Sess. 24. de reform. matrim. cap. 2. S. Pius V. in const. „Cum illius“ 28. Nov. 1566.

II. Definitur, quod sit quaedam quasi affinitas ex inchoatione matrimonii per conjunctionem non corporum, sed animorum orta inter sponsos et conjugio cum ipsorum consanguineis contrahendo obstans. Introductum est hoc impedimentum non naturali, aut divino, sed ecclesiastico solum jure[1]), et quidem adoptatum ex jure civili Romano[2]). Hinc infideles tempore infidelitatis matrimonium valide ineunt cum consanguineis prioris sponsae, nisi legibus eorum hoc matrimonium irritetur. Non satis constat, quando hoc impedimentum invaluerit; sed cum illud jam occurat in decretis Pseudo-Isidorii, saeculo nono jam inductum esse certum est, atque usque ad Concilium IV. Laterans, sicut impedimentum affinitatis, usque ad septimum gradum extensum fuit. Rationem hujus impedimenti jam ipsius nomen indicat, videlicet quia honestas exigit, ut inter personas, inter quas hujusmodi propinquitas intercedit, matrimonium non contrahatur. — Oritur, ut jam innuimus, ex duplici capite, videlicet ex sponsalibus de futuro et ex sponsalibus de praesenti, seu matrimonio rato; quod oriatur ex sponsalibus de futuro, patet ex testibus juris supra citatis; quod vero etiam ex matrimonio rato, non habetur clarus aliquis in jure Canonico textus; sed cum vinculum, quod exurgit ex matrimonio rato, longe fortius est quam quod nascitur ex sponsalibus, colligitur ex argumento de fortiori, etiam ex matrimonio rato hoc impedimentum induci[3]).

III. Ante Concilium Tridentinum hoc impedimentum ex utroque capite dirimebat matrimonium usque ad quartum gradum inclusive; jure tamen Trident. sess. 24. c. 3. de reform. matr. distinguendum est inter sponsalia de futuro et sponsalia de praesenti, seu matrimonium ratum; nam impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus de futuro ortum ex restrictione a Conc. Trid. facta matrimonium non dirimit inter sponsum et consanguineos sponsae et vicissim, nisi ad primum gradum.

---

[1]) Schmalzg. lib. IV. tit. 1. n. 98. — can. 11, 14, 15, 31, caus. 27. quaest. 2. c. 3. c. 4. c. 8. lib. IV. Dec. tit. 1.

[2]) L. 42. Dig. de ritu nupt. 23. 2. Conf. Cas. XXXVI. XXXIV.

[3]) Schmalzgr. l. c. n. 98. 99. et alii communiter.

Illud autem, quod inducitur ex matrimonio rato, in amplitudine sua relictum est, ac proinde dirimit matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusive [1]).

IV. Duo requiruntur, ut per matrimonium ratum inducatur impedimentum publicae honestatis 1) ut sit pure, et absolute initum, nec aliqua conditione suspensum; nam si conditionate initum sit, sicut per eam conditionem suspenditur matrimonii valor, ita etiam publica honestas, 2) ut matrimonium non sit invalidum ex defectu consensus; hinc, si matrimonium irritum sit propter metum, vel errorem, vel si unus contrahentium sit infra pubertatem, his, et similibus casibus nulla oritur publica honestas ex matrimonio taliter contracto; secus, si alio ex capite [2]), c. x. ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis etc. irritum sit; tunc enim impedimentum publicae honestatis, non obstante matrimonii invaliditate contrahitur [3]). — Controvertebatur olim inter auctores, an hoc impedimentum inducatur ex matrimonio invalido ob impedimentum clandestinitatis; sed declaratum est a Cardd. in Brixiensi 3. Dec. 1667. etiam hoc casu impedimentum publicae honestatis contrahi. Ratio est, quia impedimentum istud secundum jus antiquum inducitur per quod-

---

[1]) Schmalzg. l. c. n. 100. Sanchez. lib. 7. disp. 70. n. 16. Pont. lib. 7. de matr. c. 35. n. 2. Benedict. XIV. quaestiones Canonicae Quaest. 291. §. 4.

[2]) Exceptio est admittenda etiam quoad matrimonium invalidum ex impedimento publicae honestatis proveniente ex praeviis sponsalibus; ex g. Titius post sponsalia de futuro valida inita cum Bertha, deinde matrimonium ratum sed invalidum contrahit cum Tullia, sorore Berthae; per hoc matrimonium invalidum inducitur quidem impedimentum publicae honestatis, per quod arceatur a matrimonio contrahendo cum consanguineis ceteris Tulliae ad quartum gradum, sponsalibus tamen prius cum Bertha valide initis per illud non derogatur ac proinde Bertham ducere potest et debet; aliud foret, si cum Tullia matrimonium invalide contractum consummasset; nam eo casu cum neutra sorore possit inire valide matrimonium; non cum prima ob impedimentum affinitatis consurgens ex copula cum sorore habita; non cum posteriori propter impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus praeviis cum Bertha Schmalzg. l. c. n. 110. Sanchez. lib. 7. 68. 24. Knopp. p. 240.

[3]) Cap. unic. huj. tit. in 6.

cunque matrimonium ratum, etiamsi irritum sit, si irritum sit aliunde, quam ex defectu consensus; et hoc antiquum jus per Trident. non est correctum; ergo[1]). —

V. 1) Olim, ut matrimonium ratum, ita etiam sponsalia de futuro quaecumque, etiam invalida, modo invalida non fuerint ex defectu consensus, impedimentum hoc inducebant, ut patet ex text. juris[2]); hodie impedimentum ex invalidis sponsalibus sublatum est per Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de ref. matr. et statutum, ut oriretur tantum ex sponsalibus validis. — 2) De sponsalibus conditionatis distinguendum est; nam ante eventum conditionis per ea impedimentum istud non inducitur, inducitur autem post hujus eventum; ratio *prioris* est, quia cum conditio suspendat consensum usque ad eventum sui, antequam ea impleatur, sponsalia non sunt valida ex defectu consensus; ratio *posterioris* est, quia tunc sunt sponsalia pura seu absoluta, et habent perfectum consensum. 3) Impedimentum istud, etiam dissolutis mutuo consensu vel alio modo sponsalibus, nequaquam tollitur, ut patet ex declarat. Cong. C. die 6. Julii a. 1658, quam sub 10 ejusd. mens. Alexander VII. approbavit, jussitque in dubium deinceps non amplius revocari[3]).

§. 42.

XIIII. De impedimento criminis.

Multa olim crimina impediebant matrimonium; praecipuum inter haec semper erat adulterium, quod non tantum matrimonium impedivisse, sed diremisse inter adulterum et adulteram non obscure indicat novella Justiniani 134. c. 12. Idipsum Patres ecclesiastici definiverunt, can. 1, 3, 5, 6. caus. 31. quaest. 1. inter quae refertur decretum Concilii Triburiensis anni 895. can. 4. ita conceptum: „Non licet ergo, nec Christianae religioni

---

1) Schmalzg. l. c. n. 101. 102, Pignatelli tom. 4. consult. 15. n. 2.
2) Decret. lib. IV. c. 4. tit. 1. et c. un. cod. in 6.
3) Teste Fagnano (in cap. ad audient, 4. tit. 1. n. 29.) et Golat. tr. 9. n. 362.

oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum quu prius pollutus est in adulterio". Ex quo colligitur, legem juris civilis saltem sub fine noni saeculi fuisse in Ecclesia confirmatam, et quidem ita, ut nullo jure inter adulterum et adulteram, soluto conjugio priore, matrimonium consisteret. Saeculo tandem duodecimo Gratianus in tota quaest. 1. caus. 31., variis priscis canonibus descriptis statuit, tum demum irritum esse conjugium adulterorum, quum viro vivente sponsio inita fuisset inter adulteros de futuris nuptiis jurejurando firmata, pluribus tamen omnino veterem disciplinam tenentibus usque ad tempus Innocentii III., qui; sapientissimus legislator, in decretalibus c. 6. et cap. 7. lib IV. tit. 7. limites hujus impedimenti sic definivit, ut habet jus ecclesiasticum usque ad praesentem diem[1]). — Ratio. hujus impedimenti inducendi justissima fuit, ut fidei matrimoniorum et conjugum incolumitati consuleretur, praecisa adulteris omni spe conjugii, quod promissum est, obtinendi, vel si illud de facto contractum jam est, stabiliendi[2]).

II. Ex jure hodierno impedimentum criminis contrahitur in quatuor hic casibus:

1) Quando adulter matrimonium cum adultera de facto init, conjuge, quem uterque vel alter eorum habet, adhuc vivente[3]).

2) Quando inter duos adulterium commissum est, interveniente promissione matrimonii contrahendi post obitum conjugis, quem alter, vel uterque viventem habet[4]).

3) Quando duo committunt adulterium, et eo perpetrato, ipsorum alter, animo matrimonii cum altero ineundi, vel proprium conjugem vel conjugem sui in adulterio complicis occidit[5]).

---

1) Berardi lib. 3. p. 120. Van-Espen de matr. pars II. sect. 1. tit. 13. c. 8. Knopp. p. 249.

2) Schmalzg. 4. tit. 7. n. 1. S. Thom. suppl. 60. a. 2. „In eo, quo quis peccat, debet etiam puniri". Cf. Cas. XXXIX.

3) Lib. IV. Decret. tit. 7. c. 5.

4) Can. 4. caus. 31. quaest. 1. lib. IV. Decret. tit. 7. c. 6. 7. et fin. h. tit.

5) Can. 5. caus. 31. quaest. 1. lib. IV. tit. 7. c, 1. 6.

4) Quando quidem adulterium non intervenit, committitur tamen occisio conjugis, vel ab ipsis vel eorum concilio, aut jussu ab alio, eo animo, ut possint, conjuge sublato, contrahere inter se nuptias[1]).

Casus I.

III. Ut in primo casu hoc impedimentum incurratur, requiruntur sequentes conditiones.

1) Ut matrimonium cum prima conjuge initum sit validum; secus non committeretur verum adulterium; parum autem refert, num matrimonium cum primo conjuge ratum tantummodo sit, an etiam consummatum[2]); sufficit etiam, quamvis conjugi viventi adulter non cohabitarit, sed ab eo per divortium sit separatus[3]).

2) Ut uterque adulterii complex sciat, alterum esse conjugatum; hoc colligitur ex c. propositum 1 h. tit. ub. respondetur, eum, qui contraxit matrimonium de facto cum alia ignorante primam ipsius uxorem vivere, etsi petat, priore conjuge tandem defuncta, ab hac secunda separari, separari non debere, sed potius cogendum esse renovare consensum ad revalidandum hoc secundum matrimonium, quia dignum non est, ut praedictus vir, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet; mulier tamen innocens, recognita, etiam defuncta priore uxore, posset resilire. Non tamen requiritur, ut scientia de statu alterius habeatur antequam matrimonium adulterinum sit initum, sed sufficit, si, habita scientia, continuet cohabitare in hoc matrimonio.

3) Ut hoc matrimonium ab utraque parte voluntarie contrahatur, et copula carnalis et consummata inter illos habeatur, ante vel post matrimonium de facto contractum, utroque sciente alterum conjugem adhuc esse superstitem.

---

1) C. laudabilem 1. de convers. Infidel.
2) C. signific. 2. h. tit.
3) C. ex litterarum. 4. h. tit. Conf. Casum. XL.

Casus II.

IV. Ad incurrendum ex hoc capite impedimentum criminis requiritur

1) ut adulterium, sicut in casu praecedente, sit *verum*, *formale*, [1]) *consummatum*.

2) Ut adsit promissio matrimonii animo serio, non ficte facta ab uno adultero et acceptata ab altero, saltem aliquo signo, sive haec promissio antecedat sive comitetur sive sequatur adulterium, modo ante adulterium retractata non fuerit; ut promissio sit reciproca, juxta probabiliorem sententiam non requiritur. [2])

3) Ut tum promissio matrimonii, tum adulterium fiant vivente priore conjuge, seu durante eodem matrimonio. Hinc, si quis adulterium commiserit sub uno matrimonio, dein viduus factus ad alias rursus nuptias transierit, et sub istis demum priori adulterae promiserit matrimonium absque novo adulterio, nullum oritur impedimentum; quod etiam versa vice dicas, si promissio sola facta sit primo, et adulterium altero sub matrimonio. Idem quoque tenendum, quando durante quidem eodem matrimonio promissio ac adulterium intervenerunt, sed ante secutum adulterium promissio fuerit revocata. [3])

Casus III.

V. Quando crimina adulterii et conjugicidii reperiuntur unita, non requiritur mutua utriusque complicis conspiratio ad conjugicidium, nec promissio matrimonii, sed haec tria sufficiunt:

---

[1]) Et quidem, ut in praeced. n. dixi, ex utraque parte; i. e. uterque debet scire, alterum esse conjugatum. Imo, nec sufficit, si uterque adulter sit conjugatus, et novit proprium conjugium, si tamen ignoravit conjugatum esse complicem; quia impedimentum hoc institutum est propter injuriam irrogatam ab utroque adultero eidem matrimonio, committendo adversus illud adulterium data fide futurarum nuptiarum; at in hoc eventu ignorans non infert injuriam eidem matrimonio, sed soli proprio. Sanchez lib. 7. disp. 19. n. 31.

[2]) Sanchez, Reiffenstuel, Schmalzg., cum plerisque contra Bockhn., Schmier, Pichler, Ugolinus, Pirhing.

[3]) Bockhn. lib. 4. tit. 7. n. 4. Vide Cas. XLI. 1, 2, 3. Gonzalez ad cap. ult. h. tit. n. 5. Cap. significanti 6. et c. ult. h. tit.

1) Adulterium debet esse tale, quale expositum est supra; hinc praecedere debet conjugicidium; non tamen necesse est, ut praecedat mortis machinatio.

2) Machinatio mortis ab uno adulterorum intuitu matrimonii habita; hinc, si occisio fieret ex alio motivo, v. g. ex vindicta, vel ut liberius peccaret cum alia, etc. non inveheretur hoc impedimentum; sufficit autem ut haec intentio ab uno habeatur. S. Ligor. requirit probabilius insuper, ut haec intentio alteri manifestetur. (n. 1036.)

3) Mors ex machinatione unius adulterorum secuta ex ipsius actione physica vel morali.[1]

Casus IV.

VI. In hoc casu tres requiruntur conditiones ad inducendum hoc impedimentum:

1) Ut in alterius conjugis mortem machinatus sit uterque; unde non sufficit, ut conjux conjugem suam occidat, si persona, cum qua matrimonium initurus est, hanc actionem ignoret, aut ei non consentiat.[2]

2) Ut mortis machinatio fiat ex intentione contrahendi matrimonium cum illa ipsa, vel illo complice; satis tamen est, si unus ex mortem conjugis machinantibus intendat matrimonium inire; an vero intentio debeat alteri signo aliquo externo manifestari, controvertitur. Quidquid sit, ad praxin parum videtur hoc interesse; quia in foro externo semper praesumitur machinatio facta esse cum animo ineundi matrimonii, et probabilius ad intentionem manifestandam sufficit, ut indicia quaedam hujus intentionis praecesserint, v. g. familiaritates, epistolae amatoriae.[3]

3) Ut mors ipsa ex tali machinatione sit secuta; parum autem interest, num propriis manibus vim intulerint ambo, an unus

---

[1] Gury n. 1519. cum communi sententia, ex jure loc. cit. Vide Cas. XL. XLII.

[2] S. Ligor. n. 1033.

[3] S. Ligor. 1033, 1034. Sanchez, lib. 7. disp. 78. n. 19. Bosco, Reiffenstuel. Conf. Cas. XL.

tantum, et alter consenserit, vel jusserit, vel neuter physice cooperatus fuerit ad necem; quia sufficit cooperatio moralis per mandatum vel consilium occidenti datum.[1]) Non autem sufficit sola ratihabitio caedis alteri conjugi illatae, quia exigitur machinatio in necem, qualis non est mera ratihabitio.[2])

Quaesita:

Quaeritur 1⁰) an impedimentum hoc criminis incurratur ab eo, qui ignoraverit istis criminibus impediri et dirimi matrimonium?

℞. Rationem dubitandi dant pauci, quia impedimentum criminis habet rationem poenae pro perpetrato crimine; atqui poenae non incurruntur ab iis, qui invincibiliter ignorant eas esse statutas; — ergo etc. Sed certum est, impedimentum istud incurri etiam ab ignorante, quia illud non est mera poena, sed inhabilitas in poenam jure constituta etiam ignoranti: et quidem merito, quia bonum commune requirit, ut matrimonio inter personas, quae conjugalem thorum adulterio polluerunt, accedente pactione nuptiali vel machinatione in necem conjugis legitimi, inquantum fieri potest humano modo, penitus eradicentur.[3])

Quaeritur 2⁰) an hoc impedimentum criminis etiam infideles tangat?

℞. Certum est, 1) hoc impedimentum, cum sit de jure ecclesiastico, non habere locum directe inter infideles, nisi speciali lege politica inter ipsos inductum sit; 2) certum est, idem impedimentum induci casu, quo unus fidelis, et hic cum infideli

---

[1]) Sanchez l. c. n. 5. cum communi sententia.

[2]) Schmalzg. l. c. n. 56.

[3]) Schmalzg. l. c. n. 59. Schmier, Bockhn, Reiffenstuel. etc. — Pastores animarum, si ex circumstantiis suspicio oriatur de hoc impedimento, caute investigare debent, praesertim in confessionali. V. g. si ancilla postulet nubere hero suo recenter viduo, et detegatur impedimentum, sic dicere poterit: Quomodo tam cito post mortem conjugis vultis conjungi? an sat mature et sat diu deliberastis de matrimonio ineundo? an de eo cogitastis jam ante mortem conjugis? si affirmative respondeat poenitens, perget confessarius: an promisistis matrimonium unus alteri? Ita. — An aliqua familiaritas inter vos fuit, vivente conjuge? etc.

commisit adulterium, accedente promissione matrimonii futuri, aut ipso ejus contractu de praesenti, vel quo fidelis cum infideli conspiraverit in necem conjugis. Ratio est, quia hoc casu ligatur fidelis, igitur etiam ligatur infidelis per consequentiam et indirecte, quia, quamvis per se habilis ad matrimonium sit, ob inhabilitatem partis fidelis matrimonium non potest consistere. *Excipe* in casu criminis ex machinatione et adulterio simul; si in hoc casu pars infidelis, inscia parte fideli, mortem machinatus fuerit, impedimentum non incurritur, non ab infideli, quia non ligatur a lege ecclesiastica; nec etiam a fideli, quia haec homicidio non est obnoxia, et impedimentum hoc ob adulterium sine homicidio non incurritur; *secus*, si caedem patraverit pars fidelis, vel ejus ab infideli patratae est particeps; quia tunc impedimentum incurritur per fidelem, et indirecte etiam per infidelem; 3) certum est, casu, quo infidelis crimine in infidelitate patrato, postea baptizatus fuerit, tunc impedimento huic non esse obnoxium, ut in casu consanguinitatis et affinitatis in simili casu; quia impedimentum criminis nihil ponit nisi *simplicem inhabilitatem*, cui non est obnoxius, nisi is, qui subjectus est legi; consanguinitas autem et affinitas ponit in homine *vinculum quoddam naturale et permanens*, unde, baptismo suscepto, per se ex lege ecclesiastica exurgit impedimentum. [1])

§. 43.

XIV. De impedimento raptus.

I. *Raptus*, prout est impedimentum dirimens matrimonii definitur: Violenta abductio mulieris matrimonii ineundi causa. Per se patet, nihil magis adversari libertati matrimonii quam talem violentiam, unde in lege civili a Constantino imperatore severissimae poenae in raptores sancitae fuerunt, quae postea a Justiniano a. 518 adeo augebantur, ut qui quancunque virginem rapuissent, capitali supplicio plecterentur, denegata etiam raptis facultate pro ipsis intercedendi, ne eo quidem praetextu,

---

[1]) Schmalzgr. l. c. n. 2. 3. 46, 47.

ut libere consentirent in nuptias cum suis raptoribus contrahendas, quia consensus iste blanditiis aut minis a raptoribus ipsis praesumebatur extortus. [1]) Unde patet, lege civili olim hujusmodi conjugia penitus irritata fuisse, qualiscunque tandem raptarum consensus accessisset. [2]) Pleno autem huic rigori canones ecclesiae vel nunquam vel non diu astipulati sunt, ut videri potest ex Gratiano, qui in c. 6. 7. 8., caus. 36. quaest. 2., quamvis excommunicationem raptores obnoxios esse declarat, poenitentiam tamen admittit neque, satisfactione peracta, omnem spem matrimonii cum rapta adimit. Ratio hujus mitigationis procul dubio erat justissima, scilicet, quia plerumque honor raptae puellae aliter, quam matrimonio subsequente reparari, atque etiam inimicitiae per raptum inter familias exortae sedari non possent. [3]) Saeculo undecimo et sequentibus inter omnes constat, impedimentum hoc eousque relaxatum fuisse, ut cessaret esse juris publici, atque matrimonium inter raptorem et raptam validum haberetur, modo consensus raptae intervenisset; responditque conformiter ad hanc disciplinam Innocentius III. in cap. 7. lib. V. tit. 17: „Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum; et quod ante displicuit, tandem incipiat complacere. Denique Conc. Tridentinum, insistente Carolo IX. rege Galliae, ob crebra scandala ex hac clemente disciplina de hac re per malitiam humanam obvenientia, hoc impedimentum ad id redegit, ut inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posset consistere matrimonium, [4]) unde patet, patres s. Synodi, sapientissime mediam semitam tenentes, novum induxisse impedimentum, a jure Decretalium non minus recedens, quam a nimio legis civilis rigore.

II. Ut bene intelligatur hoc impedimentum, sicuti definitum est a Conc. Trident., haec sunt animadvertenda:

---

[1]) l. 1. Cod. Theodos. L. unic. de raptu virg. l. 54. cod. de episc. et cleric.

[2]) Novell. 143. 150.

[3]) Can. 8. tribuitur s. Hieronymo; sed probabilius erronee; hoc tamen certum est, jam ante Gratianum clementiorem revaluisse disciplinam.

[4]) Sess. 24. cap. 6. de reform. matr.

1) Abductio debet esse *violenta,* sive violentia sit physica per manuum injectionem aut moralis per gravem metum vel graves minas, sive per se, sive per alium illatas; hinc, si femina libere et consentiens, invitis etiam parentibus, cum viro aufugerit, matrimonium propterea nec impeditur, nec irritatur.

2) Raptus debet esse *abductio* e loco tuto in locum remotiorem moraliter diversum, sive is locus raptoris seu amicorum sit, dummodo femina vim pati censeatur; hinc si persona de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, vel in domum vicinam aut reperta in agro per aliquot passus a via publica abducatur, non erit raptus, multo minus, si femina detineatur per violentiam in propria domo; in hoc casu impedimentum vis aut metus incurri potest.

3) Synod. Trid. solummodo loquitur de muliere; hinc impedimentum raptus non incurritur, si mulier rapiat virum, sed fortasse impedimentum vis et metus; insuper nihil differt, num rapta mulier sit virgo, seu *sibi,* seu alteri desponsata, an pubes seu impubes, vidua vel conjugata, aut ab alia corrupta vel alioquin inhoneste vivens, quia ratio legis est, ut servetur mulieri cuicunque plena matrimonii libertas.

4) Durat hoc impedimentum, quamdiu femina in potestate raptoris existit nec tuto loco est reddito; postquam autem extra potestatem raptoris constituta libere consentit, matrimonium erit validum.

5) Raptus non est impedimentum, si mulier rapiatur alia de causa, secluso fine matrimonii, v. g. ex fine libidinis explendae, etc. quia Concilium hoc impedimento nihil aliud intendit, nisi libertati matrimonii favere.

III. Quamvis hoc impedimentum cesset ligare, femina in locum tutum restituta, ab omni tamen incommodo raptor nondum liberatur, scilicet:

1) Raptor et omnes consilium, auxilium aut favorem praebentes ipso jure sunt excommunicati, perpetuo infames et omnis dignitatis incapaces; raptor insuper raptam, sive eam duxerit, sive non, ad arbitrium judicis dotare tenetur; si raptor fuerit clericus, de gradu suo excidit.

2) Matrimonium, hoc impedimento laborans, ne sponsalium quidem vim habet, et ipsa sponsalia, prius inter raptorem et raptam inita tamdiu irrita declarantur, donec rapta loco tuto reddita fuerit et de novo consenserit, cum jam tollatur libertas consensus.

4) Quando raptor ob aliud adhuc impedimentum Apostolicae Sedis dispensationem implorare debet, in litteris ejus expressa raptus peracti mentio est facienda sub poena nullitatis impetratae dispensationis, cum in omnibus mandatis dispensationum matrimonialium, quas s. Sedes committit exequendas, clausula apponatur: „Si mulier rapta non fuerit.“ [1])

§. 44.

XV. De impedimento Clandestinitatis.

1) De vi Decreti Tridentini.

I. Jam ostendimus supra (§. 32), matrimonia clam contracta semper fuisse prohibita, saltem ex lege ecclesiastica, ac proinde clandestinitatem ex jure antiquo constituisse impedimentum impediens. Verum cum s. Synodus Tridentina animadverterit, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpenderit, quae ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio celebrati, vestigiis inhaerendo, praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum;

---

[1]) Corrad. lib. VII. c. 6. n. 51. Vinc. de Justis: Esse hujusmodi crimen raptus adeo detestabile, ut ab illo maxime plurimum Papa abhorreat, et propterea in omnibus mandatis dispensationum matrimonialium, quas committit exequendas, opponit clausulam. . . . lib. 2. c. 18. n. 30.

quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur. *Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.* — . . . Decernit insuper 1) ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia facta numerandos.[1]) — Unde patet, impedimentum clandestinitatis ex jure Concilii Tridentini *irritare* ac *dirimere* matrimonium, quando sine parocho proprio vel de ejus aut Ordinarii licentia expressa sine alio sacerdote et duobus saltem testibus de praesenti contrahitur; 2) hoc vero decretum cum robur suum non habeat in unaquaque parochia nisi post triginta dies publicatione facta, non vigere in illis locis, ubi de facto nondum est promulgatum, ac proinde ibi matrimonia clandestina manere valida. — Quod attinet hasce provincias, in multo majore quidem parte illarum hoc decretum nunquam est publicatum, sed cum in paucis saltem publicata sit facta, non licet omittere pleniorem hujus impedimenti, inquantum est *dirimens*, explicationem.[2])

---

[1]) Sess. 24. de reform. matr. c. 1. Conf. Cas. XLIII. XLIV.

[2]) Kenrick, Theol. mor. p. 3. p. 350. „Decretum hoc publicatum habendum esse in dioecesi S. Ludovici, eo quod regio illa penes Hispanos Gallosve quondam fuerit, declaravit ejusdem episcopus Joseph Rosati in Synodo dioecesana, allegans S. Inquisitionis decretum, 9. Septbr. 1824 latum. Equidem decretum illud, quod prae manibus impraesentiarum habemus, merito dicit: „Tridentini decreti publicationem ibi praesumendam eam esse, ubi constet decretum illud fuisse aliquo tempore tamquam decretum concilii observatum", illudque observatum aliquando fuisse iis in regionibus, cum Gallorum et Hispanorum subdebantur imperio, ostendit, tum ex studio Hispanorum pro concilio, et Gallorum ad matrimonia clandestina impedienda, tum ex defuncti episcopi Neo-Aurelianensis testimonio. Id pro re explorata habendum est; sed ad *paroecias* olim erectas restringenda haec putamus; nam S. C. de P. F. in pari rerum conditione anno 1820 decrevit „pro incolis dioecesis Quebecensis, qui

II. Difficultas autem movetur circa modum, quo matrimonium irritatur ex hoc impedimento; dupliciter enim potest matrimonium irritari, 1) indirecte, inhabilitando personas, 2) directe, annullando immediate ipsum contractum; in casu priore inhaeret causa impedimentum efficiens personae, in posteriori autem contractus formae. Certum sane est 1) Ecclesiam non tantum, ut inter omnes constat, modo priore, sed etiam posteriore modo posse irritare matrimonium; a) quia contractus humanus est actus hominis ordinati ad altiorem finem, et proinde necessario debet subordinari alicui communitati, cujus sit pars; sed matrimonium fidelium est contractus, quo unus fidelis ordinatur ad alterum in bonum spirituale totius Ecclesiae, cujus omnes fideles partes sunt; ergo subordinatur potestati ejusmodi Ecclesiae; ut, quando bono communi ipsius Ecclesiae expediat, possit illud directe irritari; b) quia Ecclesia irritavit alios contractus, eo quod ita bono communi Ecclesiae expediebat, ex. g. simoniacam beneficiorum commutationem, alienationem rerum Ecclesiasticarum sine consensu et subscriptione Capituli; et confirmatur, quia

---

missionariis, et donec utuntur, non esse locum decreto Concilii Trident. „*Tametsi*, nullo habito respectu majoris vel minoris distantiae.“ Haec iterum inculcavit S. Cong. S. Inquisit. 7. Nov. 1835, episcopo Quebecensi respondens, animadvertitque: „secus vero de iis incolis affirmandum est, qui in iis locis habitant, ubi sunt paroeciae constitutae; ibi enim nullo modo a lege Trident. decreti immunes haberi possunt, ut proinde eorum matrimonia irrita fiant, si nullo teste praesente contrahantur.“ Par plane est ratio regionis, quae dioecesibus Neo-Aurelianensi, Mobiliensi, S. Ludovici, et Detroitensi (?) continetur ad solas quippe antiquas paroecias disciplina illa referri videtur; *sed et in novas induci* deinceps potuit; nequaquam vero in missionibus, quales omnes fere sunt, viget. Sic etiam episcopo S. Ludovici responsum est. — p. 351. legem Trid. restrictam esse censemus ad ea loca, ubi paroeciae erectae sunt *vel ecclesiae instar parochialium, apud quas sacerdos actu residet.* . . . De modo promulgandi Concilii Tridentini Decretum ab auctoribus statuitur, non sufficere, si solum in synodo Dioecesana vel simili modo contigit promulgatio, sed debet promulgatum fuisse in qualibet parochia. In dubio, an promulgatum, vel receptum sit, non obligat; si tamen alicubi receptum sit, recte praesumitur quoque promulgatum fuisse, licet de hoc non constet. *Pignatelli* tr. 5. consult. 79. n. 42. — *Pichler* tit. 3. n. 12.

de facto irritantur matrimonia *coacta*, et matrimonia inter liberum et servam, ignorata conditione servili, cum tamen personae maneant habiles ad contrahendum; c) quia in forma pactorum quatuor praecipue considerari possunt, nempe substantialia, naturalia, solennia, accidentalia; solemnia vocantur, quae ad modum et ritum contrahendi requiruntur; eaque quandoque sunt *intrinseca*, et quasi in *substantialia* transeunt; et quandoque *extrinseca*, et salva caeteraquin substantia, licite non possunt omitti;[1]) nititur jus, talem modum seu ritum praecipiendi, in universalitate periculi pro bono publico. Certum pariter est 2) hoc impedimento matrimonium directe, annullando contractum, irritari; hoc patet, ex verbis Conc. Trident. sess. 24. c. 1. hujus tenoris: „Ejusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit, prout eo praesenti decreto irritos facit.“ 3) Dubium autem est, num *tantummodo* directe, vel potius *etiam* indirecte matrimonia clandestina dirimantur. Sanchez sentit, utroque modo ea irritari, quia Conc. Trid. clam contrahentes ad sic contrahendum *inhabiles* reddit; Schmier ex defectu tantum solemnitatis praeceptae irritare hoc impedimentum asserit; Holzmann et multi alii dicunt, inhabilitationem personarum, non inflictam per sententiam specialem, sed per decretum generale pro existentibus in aliquo loco, afficit locum et personas solummodo, inquantum existunt in illo loco; siquidem ejusmodi decretum imitatur naturam legis, quae respicit territorium, adeoque inhabilitas per illud statuta, *localis* est, non *personalis*,[2]) hoc tamen modo, ut ista *localis* inhabilitas personis adhaereat ad evitandam fraudem, donec extra locum alibi sibi comparaverint domicilium aut saltem quasidomicilium.

III. Hinc Urbanus VIII. suis Apostolicis litteris, quae monumentis Cardinalis de Lugo et P. Lacroix insertae sunt, has sacrae Concil. Congreg. sententias die 14. Augusti a 1627 confirmavit:

> *primo*, an incolae tam masculi quam feminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promul-

---

[1]) Sanchez lib. 3. d. 4. — Schmier lib. 3. tract. 3. c. 1. sect. 5. §. 1.
[2]) Holzman lib. 4. tit. 3. n. 198.

gatum transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere;

secundo, quid, si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes;

tertio, quid, si iidem incolae tam masculi quam feminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant.

Iidem Cardinales ad primum et secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude; ad *tertium* vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum, responderunt et resolverunt.[1])

---

[1]) Benedict. XIV. Inst. eccl. 33. n. 4. Cf. resolut. sequent. S. C. Cong. ex Pignatelli tom. 5. cons. 79. n. 4. et seq.

1) In Coloniensi die 5. Sept. 1626 dubitatum fuit, an si incolae tam masculi quam feminae *solo animo* sine parocho et testibus contrahendi, se transferant ad locum, ubi Concilium non est publicatum, habitationem non mutantes, vel eo solo animo habitationem transferentes, valide in loco dicto matrimonium sine parocho et testibus contrahant? S. C. respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic transferentes *cum fraude*, et nisi domicilium transferatur, matrimonium non esse validum.

2) In Antwerpiensi die 16. Dec. 1628, in qua David et Maria, qui pridem habitaverant, ubi Concilium est publicatum, cum profecti essent ad oppidum distans itinere unius diei, ubi non erat publicatum Concilium, ibi more haeretico contraxerunt matrimonium; postridie domum reversi cum diu inter se cohabitaverint, ob dissidium natum instabant, declarari matrimonium invalidum. S. C. censuit matrimonium, ut supra contractum, fuisse nullum, *quia non reliquerunt locum proprii domicilii*.“ (In hoc casu non videtur fraus intervenisse.)

3) Dubitatum fuit, an sit validum matrimonium eorum, qui ad civitatem haereticorum migrarunt, non servata forma Concil. Tridentini, ibidem non publicati? S. Cong. censuit esse validum, *si intra limites illius parochiae contrahentes sedem fixerunt*.“

„Absentes a communitate propria, si leges proprii territorii non obligant in territorio alieno, generatim patriis legibus minime ligantur, *nisi fictio juris obstet*. — Absentes tanquam praesentes fictione juris habentur ii, qui vel omittunt, quod in proprio loco facere tenebantur, vel legem violant in patriae damnum.“ Haehnlein p. 66.

Unde certum est 1) illos, qui cum fraude transeunt in locum, ubi Concilium non est promulgatum, personaliter remanere inhabiles; 2) illos autem, qui cum fraude quidem, sed vere domicilium acquirendi animo transeunt, fieri habiles ad contrahendum sine parocho et testibus; 3) non satis exploratum est, an illi qui sine fraude quidem, sed et sine animo domicilium acquirendi in tali loco clandestine contrahunt, valide contrahant. Plerique graves auctores, etiam post hanc Urban. VIII. declarationem, affirmant; alii autem negant,[1]) idque multo probabilius, ex aliis responsis S. C. C. supra relatis.[2])

IV. Veruntamen, cum hoc impedimentum primarie inhabilitatem *localem* inducat, non *personalem*, ac potius contractum irritet ob defectum praeceptae solemnitatis, quam contrahentes personaliter inhabiles reddat, inter omnes convenit 1) illos, qui nusquam domicilium habent ideoque *locali* inhabilitati nullatenus sunt obnoxii, seu vagos in locis, ubi Concilii Decretum non est publicatum, clandestine validum contrahere matrimonium; 2) etiam, si unus tantum sit vagus, eos adhuc posse valide contrahere coram quolibet parocho vel in locis, ubi Conc. Decretum non est receptum, sine parocho, quia sponsus, vel sponsa, habens domicilium fixum in loco, ubi Conc. Decretum viget, sortitur forum loci quoad contractum, quo altera pars gaudet;[3]) 3) idem esse dicendum, ut jam supra (§. 22) annotavimus, de matrimonio inter catholicum sponsum vel sponsam et haereticum, si haereticus ex quacunque causa sit immunis ab impedimento clandestinitatis; 4) si contrahentes sint ex diversis parochiis, ex

---

[1]) S. Liguori de matr. 1080. Gury 1530. Dens de matr. — n. 104. Benedictus XIV. Inst. Eccles. inst. 33. n. 4.

[2]) Objicitur, peregrinos recte celebrare contractus juxta leges, et consuetudines locorum, ubi existunt, juxta regulam juris: „Contractus sortiuntur forum loci, ubi ineuntur?" Resp. Haec regula stat donec legitima obveniat *exceptio*; in hoc casu obstat lex Tridentini, uti *explicata* a Cardd. approbante Urbano VIII. Holzm. lib. 4. tit. 3. n. 203. vid. annotatio 2. sub finem.

[3]) Si quidem matrimonium est unus individuus contractus, ac proinde ab uno iniri nequit, quin hoc ipso ineatur ab altero; Leuren. tit. 3. q. 151.

eadem ratione matrimonium esse *validum*, si assistit parochus proprius alterius, altero parocho penitus contrahendi matrimonii inscio; plerumque tamen *illicite* hoc fieret.

V. Siculi a ceteris impedimentis dirimentibus, ita ab hoc nec ignorantia nec impotentia illud observandi excusat in locis, ubi viget; excipe tamen, si impotentia sit communis in aliqua provincia, v. g. durante perturbatione aliqua politica et religiosa, ubi parochus vel alius sacerdos supplens vices parochi, vel omnino haberi non potest, vel saltem tutus ad eum non datur accessus. Ratio est, quia, si lex obligaret in tali casu, esset bono communi nociva, et in detrimentum societatis vergeret. Constat aliunde ex declaratione S. Congreg. apud Benedict. XIV. de synod. Dioec. lib. 12. c. 5. n. 5. necnon ex diversis Pii VI. decisionibus. — Hoc tamen casu adhiberi debent duo testes, quia lex Tridentini observari debet, inquantum potest, et de fortiori sacerdos aliquis, qui fortasse, quamvis non sit parochus, haberi potest; alias matrimonium etiam sub tali impotentia communi esset invalidum.[1]) In nullo autem casu impotentiae particularis, v. g. si parochus absit a loco, vel mortuus, neque adsit alius, qui vices ejus gerat; vel si in articulo mortis constitutus velit contrahere cum concubina ad legitimandas proles ex ea susceptas, in locis, ubi Concilii Decretum viget, nec licite nec valide matrimonium sine parocho et testibus contrahi potest. Ratio est, quia, quando jus actum aliter, quam certo modo fieri prohibet, apposita clausula actum aliter gestum irritante, secundum receptam doctrinam modus ille pertinet ad formam actus, quae ad unguem observanda est, et quia esse dat actui, ita necessaria est, ut sine ipsa actus esse et subsistere nequeat.[2])

---

[1]) Vide declar. S. C. apud Schmalzgr. in Ruremond. 2. Maji 1676; in Gedunensi 18. Sept. 1677, et in una Venet. 1. Dec. 1696. in una Belgi 27. Mart. 1632.

[2]) Schmalzgr. tit. 3. n. 103. 106. — Excipitur quodam sensu matrimonium, quod publice contractum, sed invalide ob interveniens impedimentum, post impetratam dispensationem *clam* denuo contrahi potest, sicut infr. videbimus.

Quaeritur, an matrimonium clam celebratum in locis, ubi viget Decretum Conc. Trident., vim habeat sponsalium?

℟. 1) Satis convenit inter auctores, vim sponsalium habere quando matrimonium ita contractum est inter duos impuberes, vel unum impuberem, alterum puberem. Ratio est, quia antiquo jure matrimonia impuberum clam contracta vim sponsalium habebant, quae vis ipsis a Trid adempta non est.

2) De matrimoniis inter puberes ita initis nunc certum est, illa vim sponsalium non habere. Ita referente Benedicto XIV.[1]) saepius declaravit Congreg. C. — Ratio potissima et urgens est, quia Trid. non solum clam contrahentes ad sic contrahendum reddit inhabiles, sed insuper decernit hujusmodi actus absolute irritos et nullos esse; proceditque hoc, etsi adjectum sit iis juramentum.[2])

3) Dictis non obstantibus, hujusmodi matrimonia tamen triplicem habere possunt effectum a) noscitur ex iis impedimentum publicae honestatis; b) si clandestine contrahens copulam habuit, et damnum sic illatum aliter reparare nequeat, tenetur eam ducere, non ratione contractus, sed ratione justitiae; c) si contrahentes in defectum matrimonii expresse se ad sponsalia obligare intenderent, ex eo contractu nasceretur etiam obligatio sponsalitia, quia contractui sponsalitio Tridentinum non resistit, tametsi sequatur vel connexus sit cum matrimonio nullo.[3])

§. 45.

2) De parocho proprio et testibus.

I. Synodus Trid. praecipit, ut matrimonia contrahantur coram parocho *proprio;* quis porro ille intelligendus sit, Concilii Patres non declararunt; hinc super hac re innumerae prope disceptiones excitatae sunt. Ex decreti tamen S. C. C. et declarationibus constat:

1) Non requiritur praesentia utriusque parochi, si contrahentes sint diversarum parochiarum, sed sufficit praesentia solius

---

[1]) Institut. Eccles. 46. n. 3.

[2]) Schmalzg. lib. 4. tit. 3. n. 125.

[3]) Schmier, p. 2. de spons. c. 5. n. 168.

parochi proprii sponsae, quando matrimonium in parochia sponsae contrahitur, similiter praesentia solius parochi sponsi, si modo matrimonium contrahitur in parochia ipsius sponsi.[1])

2) Parochus proprius est, qui in contrahentes jurisdictionem habet ordinariam, quam etiam alteri sacerdoti delegare potest. Qualis pro tota dioecesi est Episcopus ejusque Vicarius generalis aut sede vacante Vicarius capitularis;[2]) pro locis vero particularibus ille solus proprius contrahentium parochus censeri potest, in cujus parochia alter eorum vel uterque habitat, et verum vel quasidomicilium habet; habitatio enim constituit parochianum; et *soli* domicilii parocho jus competit, matrimoniis assistendi et interposita sua auctoritate iisdem vim et robur tribuendi, non autem parocho originis tantum.[3])

3) Jurisdictio parochi constituitur non tantum per *verum* domicilium, sed etiam per *quasidomicilium*, non vero per solam habitationem ad breve tempus.

II. Domicilium habere censetur, qui in loco quodam existens vel eo reipsa perveniens animum habet, perpetuo ibi manendi, donec nimirum alia causa avocet, estque *domicilium verum*; fieri potest, ut unus idemque in duobus locis habeat verum domicilium, v. g. si aequali prope tempore anni et pari animo commoretur in utroque loco.[4]) Hinc ad domicilium duplex conditio requiritur, *factum*, scilicet seu adventus aut reipsa incepta in aliquo loco habitatio, et *animus* in aliqua parochia commorandi, donec alia causa avocet. Illum ergo, qui in aliquo loco habitare intendit, primo decreto et actu incepta habitationis hora parochianum efficit, licet in novi domicilii locum familia vel suppellex et penus domestica nondum translata sint. Econtra,

---

[1]) S. C. C. decretum a. 1573. — Bened. XIV. Inst. Eccl. 33.

[2]) S. C. C. 22. April 1719.

[3]) Benedict. XIV. „*Paucis abhinc*" 19. Mart. 1758. S. C. C. 18. Nov. 1702, in causa *Mutinensi*.

[4]) Benedict. XIV. instit. eccl. 33. „Quod etiam juris Pontificii auctoritate probatur: „Cum ab eo, qui *duo domicilia* habet, se collocans aequaliter in utroque etc."

qui non intendit in loco quodam perpetuo vel saltem ad tempus longius subsistere, licet absque ejusmodi proposito per annum in loco moretur; extraneus et peregrinus manet.[1])

III. *Quasidomicilium* appellatur, si quis, cum in uno loco habeat domicilium, ad alium se locum confert *cum animo* ibi manendi tempore longiore et *aliquatenus* determinato, e. g. pluribus mensibus, aut etiam annis. Difficile tamen est saepe ex externis dijudicare, an *animum* alicubi per notabile tempus habitandi quis habeat; certum est, si eo accessit, solum recreationis causa, ad paucos dies, aut etiam rei familiaris causa, habitationem illam seu moram non sufficere, ut matrimonium coram parocho loci valide contrahere possit.[2]) Ex auctoritate probatorum DD. et declarationibus S. C. C. quasi-domicilium haberi censetur ab iis

1) qui studiorum causa in aliquem locum proficiscuntur;
2) qui in civitatibus, oppidis, pagis etc. famulatus causa versantur, vel aliquo alio munere detineantur, aut periculi causa ex bello, lue epidemica in loco domicilii grassante;[3])
3) a militibus, qui alicubi degunt in castris; hinc illi, nisi habeant sacerdotem proprium Apostolica auctoritate seu speciali Episcopi Dioeceseos provisum, coram loci parocho contrahere debent matrimonium;[4])

---

1) Inst. past. Eyst. p. 342.

2) Benedict. XIV. inst. eccl. 33. Schmalzgr. tit. 3. n. 148. Ex decisione Rotae in Mutinens. 27. Febr. 1637. Idem dicendum, si quis se in villam vel pagum transferat ruris colendi, aut fructuum colligendorum causa, ut teste Riccio saepius declaratum est a Rota; addita ratione, quia non dicitur, ibi proprie commorari et habitare.

3) Benedict. XIV. l. c. ubi refert duo responsa S. C. C. 1) an valeat matrimonium contractum coram parocho loci illius, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium constituendi, sed recreationis causa; 2) et quid, si contrahens ibi moretur tanquam praetor, judex vel medicus *temporalis?* Ad primum respondit S. C. C. *non valere*, ad secundum: *valere*. — Sanchez, lib. 3. d. 23. Gonzal. in c. fin. huj. tit. Reiffenstuel, Schmier.

4) S. C. C. 6. Mart. 1694; 28. Junii 1704. Benedict. XIV. Quaest. can. 182. Instr. Past. Eyst. p. 347.

4) ab iis, qui in Xenodochiis in gravi periculo vitae versantur, ac forte matrimonium inire desiderant, ut aeternae saluti prospiciant;[1])

5) ab iis, qui in hospitio aliquo publico degunt educationis, vel etiam sustentationis causa;[2])

6) ab incarceratis, si inclusi sunt ad certum tempus, non vero, si loco custodiae tantum carceribus detinentur.[3])

Insuper animadvertendum est, in casu *quasi* domicilii tempus saltem *unius mensis* requiri ad constituendum quasidomicilium, ut patet ex decis. S. C. C.[4])

IV. Ex dictis patet, plerumque fieri, ut coram pluribus tanquam propriis parochis matrimonium valide contrahi possit; ex jure communi nihil statuitur, cui ex illis prae aliis competat, matrimonio assistere, sed partim hoc relinquitur libero arbitrio contrahentium, partim statutis particularibus dioecesanis; in multis locis quoad *liceitatem* parochus *sponsae* proprius habetur, in aliis parochus loci, ubi sponsorum alter vel uterque jam ante matrimonium habitare incepit, eoque contracto in posterum habitare intendit[5]). Sacerdotes autem, qui matrimonio assistunt sine aliquo titulo parochi proprii, ipso jure praeter excommunicationem incurrunt suspensionem duraturam, quoadusque ab Ordinario parochi proprii absolvantur[6]).

V. Facultas assistendi matrimonio ab Ordinario vel parocho proprio alteri sacerdoti non parocho delegari potest[7]); omnis

---

[1]) Benedict. XIV. Inst. Eccl. 33. 4.

[2]) Benedict. XIV. l. c. Knopp. 290.

[3]) S. C. l. 26. Maji. a. 1707. apud Benedict. XIV. l. c.

[4]) Apud Fagnani in lib. III. decret. c. 5. Signif. n. 39. — Potest dici, quod, si duo per unum alterumve mensem ibi commorati sint, et tunc matrimonium contrahant, praesumi debeat, illos habuisse animum ibi per notabile tempus habitandi; praecipue si non statim post contractum matrimonium ad pristinum suum domicilium revertantur. *Dens* de matr. n. 108.

[5]) Inst. past. Eyst. p. 314. — Dens. de matr. n. 107.

[6]) Conc. Trid. sess. 24. de rif. matr.

[7]) S. C. l. 15. Junii 1586.

autem delegatio debet esse expressa et intimata[1]), aliter enim esset nulla; Capellani tamen et vicarii parochiae temporanei, qui commissionem generalem ad omnium sacramentorum administrationem in parochia a parocho habent, non indigent expressa licentia ad valide assistendum, nisi expresse parochus contradixerit[2]); delegatus, ad particularem casum non potest subdelegare, nisi expressa contineatur in delegatione[3]); delegatus autem ad universitatem causarum potest et alium subdelegare, nisi haec facultas expresse vel ex consuetudine deleganti reservetur. Exspirat delegatio aut per revocationem, aut per mortem delegantis, quam primum delegatus de revocatione vel de morte certam accepit notitiam, si res adhuc sit integra[4]).

VI. Cum parochus per praesentiam non exerceat actum jurisdictionis, sed duntaxat sit testis authorisabilis, quo matrimonia contracta esse certo constare possit, hinc ad validitatem matrimonii nil requiritur, nisi parochi proprii praesentia moralis, qui consensum contrahentium vere intelligat et percipiat[5]), nec obesset, etsi foret invitus vel coactus, modo sciat, quid agatur.[6]) Nec obstat, si parochus nondum sit sacerdos[7]), vel titulum habeat nonnisi coloratum, modone sit aperte intrusus; nec, si irregularitate, suspensione, interdicto vel excommunicatione innodatus, modo actualiter nondum sit depositus[8]).

VII. In testibus adhibendis nulla requiritur peculiaris qualitas praeter usum rationis, cum Trident. nullam determinet. Unde possunt esse testes impuberes, consanguinei, domestici, religiosi, feminae, excommunicati, infames, haeretici, et alii qualescunque sunt, dummodo de hoc actu testari queant[9]).

---

[1]) S. C. l. 15. April. 1628.

[2]) S. C. l. 22. Julii 1581.

[3]) S. C. l. apud Fagnan. in lib. IV. Decret. de cland. despons. c. *Quod nobis* n. 32.

[4]) Inst. past. Eyst. 345.

[5]) S. C. l. 28. Julii 1678; 6. Mart. 1700.

[6]) S. C. l. 6. August. 1706: 15. Dec. 1714.

[7]) S. C. l. 29. Martii 1653.

[8]) S. C. l. 12. Mart. 1593; 31. Julii 1627.

[9]) S. C. l. 19. Decemb. 1648.

Praesentia vero eorum una cum parocho debet esse simultanea, non successiva, et tali modo, ut consensum contrahentium vere intelligere et percipere possint[1]).

Quaesita.

Quaeritur 1°) quo in loco parochus matrimonio assistere possit?

℟. 1). Ubique *valide* assistere potest, etiam extra parochiam. Ratio, quia Synod. Trid. praesentiam parochi proprii sponsi vel sponsae exigit sine mentione loci, in quo matrimonium initur.

2). Non potest *licite* assistere, seclusa gravi causa, nisi 1) in ecclesia sua parochiali, 2) in alia ecclesia parochiali de consensu parochi loci illius, 3) in capellis vel oratoriis privatis de licentia Episcopi, in cujus ditione situs est locus[2]).

Quaeritur 2°). Quomodo sit procedendum cum vagis?

℟. Vagi sunt 1) illi, qui verum vel quasi domicilium nusquam habent, sed hinc inde vagantur, 2) qui domicilio relicto quod habuerunt, aliud quaerunt, aut ad certum locum cum animo ibi constituendi domicilium in itinere versantur; de his autem certum est 1) matrimoniis istorum nullum parochorum posse assistere licite, nisi facta prius diligenti inquisitione de ipsorum statu, et habilitate ad contrahendum matrimonium, et obtenta Ordinarii Dioecesani sui licentia eis assistendi, prout praecipit Conc. Trid.[3]) propter periculum, ne uxoribus, quas forte alibi habent, temere relictis in loco ubi sunt, aliam ducant, vel etiam plures, priore vivente. Quae ratio etiam militat in peregrinis et alienigenis, qui alibi domicilium fixum habent, et contrahere volunt in loco, ubi ignoti sunt. Hinc ad cautelam ab eisdem exigi solet juramentum, quod nullo impedimento canonico laborent, nec alio matrimonio ligati sint[4]).

---

1) Inst. past. Eyst. p. 345. etc.
2) Schmalzg. tit. 3. n. 158. Gury. 1539.
3) Sess. 24. c. 7. de reform. matr.
4) Engl. Reiffenstuel, Schmalzgruber etc.

2). Certum est, etsi parochus hoc decretum Concilii non observet, sed absque praevia investigatione vagos conjungat matrimonio, quamvis *graviter* peccet, (quia violat Tridentini praeceptum in re gravissima, et valde necessaria) matrimonium tamen ipso jure subsistere, nisi aliud obstet impedimentum, quia praeceptum Concilii de instituenda inquisitione mere prohibitivum, non irritans est.

3). Dubium est, an vagorum matrimoniis assistere possit tantum parochus loci, in quo versantur, an vero quivis alius parochus, quem ipsi elegerint. Secundum affirmat Sanchez probabiliter; probabilius tamen est, eorum matrimoniis interesse debet eum parochum, in cujus parochia pro tempore versantur[1]). Non autem refert, an uterque sponsorum sit vagus, an alter duntaxat; quia parochus unius est etiam parochus alterius in ordine ad matrimonium, ob individuam matrimonialis contractus naturam[2]).

§. 46.

XVI. De impedimento Vetiti Summi Pontificis, cum clausula irritante.

Matrimonium celebratum contra interdictum Episcopi vel alterius praelati Papa inferioris subsistit; sed dubium est, an etiam validum sit contra interdictum summi Pontificis. Optime sentiunt, qui distinquunt: an hoc interdictum Papae sit simplex solum, an vero munitum clausula irritante; si *primum*, matrimonia contra hujusmodi interdictum celebrata, illicita quidem, sed valida sunt; si *secundum*, ea sunt omnino invalida; parum

---

[1]) Benedict. XIV. Instit. eccles. 33. Inst. past. Eyst. p. 346.

[2]) Sanchez, Schmalzg. Schmier. — Hinc, si sponsa relinquens vetus domicilium, sponsum sequitur ad domicilium sponsi, in itinere, priusquam sponsa ad novum domicilium pervenerit, illi coram parocho loci, quem transeunt, valide matrimonium contrahere possunt. — Schmalzgr. tit. 3. n. 164. Ex supradictis per se patet, in hoc casu, si transeunt locum, ubi decretum Trid. de clandestinitate non est receptum, matrimonium etiam clandestine contractum subsistere, et ex copula ab iis ibi habita matrimonium oriri praesumptum.

autem refert, an interdictum hoc sit latum constitutione generali, an vero praecepto personali, quia interdictum, constitutione generali latum, ab interdicto personali solum differt extensione, non autem vi obligandi aut irritandi. Ratio est, quia Papa, cum possit per suam universalem legem novum impedimentum dirimens apponere matrimonio, potest etiam in aliquo speciali eventu prohibere, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam voluntatem contractum sit irritum. Sed in speciali casu vix unquam hujusmodi vetitum fuit positum contra matrimonium [1]).

---

[1]) Schmalzg. tit. 16. n. 9. Benedict. XIV. Synod. Dioec. lib. 12. c. 5.

Tractatus IV.

De Causis matrimonialibus.

Hucusque egimus de legibus universalibus, per quas Ecclesia ex potestate a Christo Domino sibi tradita inter diversa temporum et locorum adjuncta a primis saeculis usque ad hodiernum diem, id potissimum obtinere nitebatur, ut conjugia inter fideles in omnibus essent honesta. Quemadmodum tamen in caeteris rebus, sic etiam in re matrimoniali singula quaeque non possunt ad normam recti ordinis dirigi et intra justos limites contineri per leges universales, sed, ne affectus illarum legum evacuetur, neve minus salutaris fiat in singularibus casibus ob circumstantias peculiares, non raro obvenit, ut res graves, quas generatim causas judiciales vocamus, per specialem judicis sententiam et dispositionem in foro, tum gratioso, tum contentioso, dijudicandae et ordinandae remaneant; quarum praecipuae in materia matrimonii[1]), de qua agimus, quatuor enumerantur, videlicet: 1) Dispensatio impedimentorum. 2) Revalidatio matrimonii invalide contracti. 3) Divortium seu separatio conjugum quoad thorum et cohabitationem. 4) Annulatio seu dissolutio matrimonii invalide contracti et insanabilis ob impedimentum aliquod indispensabile.

---

[1]) *Quaeritur*, quae causae hic nomine matrimonialium veniant? ℞. Proprie hoc nomine veniunt illae, quibus controversia et quaestio est de matrimonii et sponsalium natura, de conjugum et sponsorum juribus et obligationibus, de sponsalium et matrimonii valore, de ipsorum impedimentis, dispensationibus in hujusmodi impedimentis, ipsius matrimonii dissolutione, aut redintegratione etc. nam de his et similibus, sicut leges condere, ita et controversias super illis exortas decidere ecclesiasticae est potestatis. – Schmalzgr. tit. XVIII. n. 6.

I. De Dispensatione impedimentorum.

§. 47.

De Dispensatione in genere.

I. Dispensatio est legis relaxatio facta ad tempus seu in casu particulari ab auctoritate legitima in gratiam alicujus, qui aliter lege illa obligaretur [1]). Talis relaxatio legis hodierno tempore saepenumero inevitabilis evadit praesertim in legibus, quae spectant matrimonium, ne, quod statutum est saluberrime, in detrimentum animarum cedat; ut enim matrimonialis conjunctio sanctior firmiorque ac reipublicae et christianae et politicae utilior foret, Ecclesia eam non temere, sed cum delectu et circumspectione maxima iniri voluit, positis eum in finem non paucis impedimentis, quae tamen, si necessitas vel major utilitas ad salutem animarum suadeat, sicuti pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque vel omittantur, vel intermittantur vel in aliud forte commodius demutentur [2]). Patet autem per se, legislatori, cum leges generales ita scribi non possint, ut singularia quaecunque comprehendant et definiant, tributam esse facultatem, legis vinculum relaxandi, quoties casus emergat, qui circumstantiis consideratis, aliam videtur postulare providentiam [3]).

II. Potestas igitur dispensandi ex natura rei necessario penes legislatorem residet; unde, inquantum Ecclesiae competit, impedimenta statuere, in tantum etiam potestatem habet, desuper

---

1) In his, quae juris humani sunt, nonnunquam auctoritate eorum, qui legem tulerunt, dispensari posse, nemo unquam dubitavit; atque de hac dispensatione recte scripsit ad s. Anselmum Cantuariensem Paschalis II. ep. 42. „Dispensationis modus, sicut beatus Cyrillus in epistola Ephesinae synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit, novimus enim sanctos patres nostros et ipsos Apostolos pro temporum articulis et qualitatibus personarum dispensationibus usos.. ." Plura in hunc locum videri possunt ap. Gratian. caus. 1. quaest. 7. Van-Espen. de dispens. c. 1, n. 1.

2) S. Bernard. de praecept. et discipl. cap. 2.

3) *Berardi* de matrim. 144.

dispensandi[1]); et sicut a *solo* summo Pontifice, qui jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, leges universales, cujusmodi sunt cuncta impedimenta matrimonii, condi possunt, ita ab eodem, ipsoque *solo* de iis potest dispensari[2]); nisi forte eadem facultas dispensandi ex quadam particulari juris dispositione vel ex delegatione speciali summo Pontifice inferioribus concessa sit. — Justa tamen causa, ne dispensatio fiat dissipatio, semper requiritur ad dispensandum, et quidem in ipso summo legislatore, ut *licite*, in delegatis autem, ut *valide* dispensetur.

III. In prioribus saeculis dispensatio de matrimonii impedimentis rarissime fuisse concessa traditur. Primus Pontifex Romanus, qui in casu particulari aliquid rigoris de legibus matrimonialibus relaxasse legitur, erat s. Gregorius M., qui s. Augustino, Anglorum gentis episcopo scripsit, ut nuper conversi, quarta progenie conjuncti, non separarentur; quod tamen indultum, quamvis sapientissime datis rerum circumstantiis concessum fuerit, tam graviter offendit cotemperaneos, ut in illius vindicationem necessarium habuerit, ad Felicem, Episcopum Messinensem, causas motivas, ob quas ita egerit, exponere, scribens, „se ita egisse, ne gens, quae nuper ad fidem venerat, (videlicet gens Anglorum) a bono, quod coeperat, metuendo austeriora recederet.“ *Specialiter*, ait, et non *generaliter* ceteris me scripsisse cognoscas; nam juxta Apostolum, qui ait: „Lac vobis potum dedi, non escam,“ ista *illis modo*, non *posteris* temporibus tenenda indulsimus, ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, erueretur, sed coeptum firmaretur et usque ad

---

[1]) „Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum et dirimere contractum nec *posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare*, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, a. s. Conc. Trid. sess. 24. de ref. matr. can. 3.

[2]) „Quare, ut summi Pontifices jus illud exerceant, quod semper exercuerunt, laxandi dirimentia matrimonium impedimenta, nihil sibi praecipue *reservare* debuerunt, neque aliquid de *juribus episcopalibus diminuere ac detrahere* oportuit; res ipsa vetat, inferiorem abrogare legem, quae superioris imperio sancita est.“ Devoti. lib. 2. de matr. §. 117.

perfectionem custodiretur"[1]). Hujus simile exemplum suppeditat Gregorius II. initio saeculi VIII., qui sic scripsit ad s. Bonifacium: Quia temporantia magis et praesertim in tam barbara gente plus placet, quam districtio censurae, concedendum est, ut post quartam generationem jungantur[2])". Post haec indulta sapientissime ab illis s. Pontificibus concessa in favorem fidei pro neo-conversis, per tria succedentia saecula nihil simile invenitur in monumentis historicis[3]): de Paschali II. tandem legimus, ab ipso fuisse dispensationem in sensu stricto concessam Philippo I. Franciae regi, qui Bertrardam sibi consanguineam, (in quo gradu, incertum est) duxerat, atque ab illa non potuit divelli, anno 1114, non, ut patet, ad ineundum, sed revalidandum matrimonium jam contractum; denique prima, quae *ad ineundum* matrimonium concessa est dispensatio, attribuitur a scriptoribus ecclesiasticis Innocentio III., de quo scribit Christianus Lupus: „Ottonis IV. et Philippi pro imperio germanico horrenda bella quis ignoret? post Philippi caedem lucidum erat Ottonis jus, verum Philippi filia obviabat. Hinc omnibus pacificandis Ottonis cum ista filia conjugium convenire censuerunt imperii proceres ac episcopi, quin et ipsi apostolicae Sedis cardinales legati, sed obstabat quartus consanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius imperialis cleri et populi preces dispensavit laudatus pontifex, ea tamen lege, ut duo amplissima monasteria Otto fundaret, omneque imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istud ecclesiasticae disciplinae vulnus compensaret[4]).

---

[1]) S. Greg. M. epist. lib. 14. ep. 17.

[2]) Gregor. II. epist. et can. 14. apud Knopp. p. 429.

[3]) „Et quidem, si Christiano Lupo credimus, etiam saeculo X nulla tunc etiam regia vel augusta, licet in sexto duntaxat, aut septimo sanguinis vel affinitatis gradu, vel ignoranter contracta, longe minus contrahenda matrimonia dispensabantur, sed cuncta dirimebantur juxta rigorem sacrorum canonum". Van-Espen. de matrim. tit. 14. n. 4.

[4]) Christ. Lupus, Synod. general. ac prov. decret. et can. p. III. p. 401. „Otho de S. Blasio addit, ait idem Lupus, quod Cluniacensis et Cisterciensis Ordinis Abbates eandem compensationem per varia suorum monachorum pia opera complere promiserint; istudque canonis vulnus acceperint in suas conscientias, et quod spondere Otto debuerit singularem

IV. Rima vero facta, ait Lupus, facile dilatatur, tandemque crescit in grande foramen, imo et in apertam portam; mox post tempus Innocentii III. nimis facile et frequenter dispensatum est, unde denique Synodus Tridentina, perpendens, quod frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud sit, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire, reformatione matrimonii intenta, avitam patrum disciplinam in concedenda dispensatione super impedimentis reducere, quantum temporum conditio patiebatur reducere conata est ideoque statuit: 1) si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, *separetur*, et de fortiori, qui matrimonium etiam consummaverit, sine spe dispensationis. 2) Idem dicendum de eo, qui quidem ignoranter, sed sine requisita solemnitate contraxerit. 3) Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et *gratis* dispensari poterit. 4) In *contrahendis* matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro; idque ex causa, et *gratis* concedatur; 5) In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam[1]). Sed iniquitas temporum impediebat, quominus disciplina salutaris, quam hoc decreto Patres Concilii Tridentini religiosissime restaurare conati sunt, per subsequentia saecula usque ad hodiernum diem incolumis posset praeservari. Jam Pius IV., idem Pontifex, qui Apostolica approbatione acta Concilii Tridentini confirmavit, hoc praevidisse videtur, declarans quidem in oratione habita ad Cardinales in Consistorio post terminatum Concilium Trid. „se nunquam passurum esse decretis Concilii ullo tempore derogari", additis tamen simul his verbis: „Quodsi vel temporum ratio, vel causarum locorumque conditio, aut publica utilitas atque evidens *suaserit aliquando a Concilio recedi*, id sine consilio vestro,

omnium ecclesiarum defensionem ac resumptionem sacri belli". Van-Espen. de dispens. c. 1. §. 7.

1) Conc. Trid. sess. 24. c. 5, sess. 25. c. 8.

venerabiles fratres, facturi nunquam sumus [1]). Grassante enim haeresi per multas regiones ac labefactata tandem fide, praesertim sub finem saeculi decimi octavi, etiam inter Catholicos ratio temporum suasit ex variis causis, ut rigor disciplinae in causis matrimonialibus mitigaretur, ne, dum in ea, quae magis sunt honesta, intenderetur, iis non obtentis, mala graviora emergerent in animarum ruinam.

§. 48.

De dispensatione impedimentorum impedientium.

I. Cum impedimenta etiam impedientia sint, leges Ecclesiae *universales*, certum est ex dictis, potestatem de iis dispensandi originarie et per se residere penes Summum Pontificem *solum*; sed partim ex speciali juris dispositione, partim ex consuetudine Episcopis permissa est facultas laxandi haec impedimenta, exceptis impedimentis mixtae religionis, et sponsalium (in quibus non licet fidem fallere, invito eo, cui data est, ac proinde in sensu proprio dispensatio non datur), et voto simplici castitatis perpetuae, et ingrediendi religionem [2]). Speciatim de dispensatione in singulis hisce impedimentis animadvertenda sunt sequentia:

II. 1). De *sponsalibus* nunquam in sensu stricto dispensatur; si enim causa quaedam gravis illis obstet, unde obligatio ex iis oriens vergeret in malum grave, ea dissolvuntur, nec opus est dispensatione; quamdiu autem ea valida permanent, obligatio ad fidem servandam nititur in justitia commutativa, ac proinde invito eo, cui fides data est, relaxari non potest [3]).

2). De impedimento *temporis feriati* dispensatio non est necessaria, si cuncta, quae pertinent ad solemnitatem prohibitam, ut supra statuimus, ommittantur; excipe tamen, si in aliqua Dioecesi juxta jus antiquum etiam minus solemnis traductio

---

[1]) Thomassin. P. II. lib. III. c. 28. n. 14.

[2]) Devoti. de matrim. §. 120. Benedict. XIV. de synod. dioec. l. 9. c. 2.

[3]) Knopp. p. 379. Gury n. 1486.

sponsae in domum prohibeatur; tunc dispensatio impetretur ab Episcopo [1]).

3). De impedimento impediente *clandestinitatis*, ubi non viget Decretum Conc. Trid. vix unquam data est dispensatio; sed ex causis supra relatis obligatio hujus impedimenti potest per se cessare.

4) De impedimento *mixtae religionis* dispensatur, cautelis adhibitis, et urgente causa omnino gravi; sufficit referre verba Gregorii XVI. in Brevi ad Episcopos Hungariae, de 30. April. 1814, in quo scribit, „quod, si aliquid de canonum severitate remittens .... Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id *gravibus duntaxat de causis aegreque admodum* fecerit". Quin etiam, ante saeculum nostrum dispensare Pontifices fere non solebant, nisi ex causa publica, vel saltem in publicam redundante testibus Clemente XI. et Benedicto XIV., et Pius VII. requirebat causam urgentissimam et fere publicam [2]). — Hinc, cum haec dispensatio tam aegre concedatur, requiritur *positiva* Pontificia dispensatio, ut scribit Benedict. XIV. [3]), et Gregorius XVI. in Brevi de 27. Maji 1832 ad episcopos Bavariae declarat, quod haec dispensatio juxta notas regulas in singulis casibus ab hac Apostolica Sede imploranda est. Qua propter, cum in decreto I. Synodi Baltimorensis provincialis IV. anno 1840 habitae, haec scripsissent Patres: „Quodsi rerum adjuncta aliquando suadeant, ea (sc. matrimonia mixta) esse permittenda, inprimis curandum erit etc. etc...., rescripsit S. Cong. de Prop. Fide, 19. Dec. 1840, sequentia: „In I. decreto, §. 2. ubi agitur de matrimoniis mixtis, post

---

1) Conc. Trid. sess. 24. c. 10.

2) Clemens XI. in ep. 25. Juni 1706 ad Ernest. comitem de Hohenlohe; Benedict. XIV. in Const. „Magnae nobis" ad Episcop. Poloniae, Pius VII. in Brevi de 8. Oct. ad Archiep. Mogunt. 1803. apud Feye, de matr. mixtis p. 222.

3) De synod. dioeces. lib. 9. c. 3. n. 2. „Neque est, ut, hac in re, contraria ulla consuetudo opponatur, quoties non adsit positiva Pontificia dispensatio, quae sane ex sola Pontificum Romanorum scientia ac tolerantia deduci nullo pacto potest".

verba". Quod si rerum adjuncta aliquando suadeant „addenda esse censuit ex auctoritate Apostolica". Etenim constare etiam ex decreti contextu debet, *dispensationem Apostolicam* super eo impedimento quoque requiri"[1]. Unde omnino certum est, omnes Summo Pontifice inferiores facultatem de hoc impedimento dispensandi non habere nisi ex speciali delegatione, neque, etiam adhibitis cautelis, posse sine peccato dispensare, nisi ex *causa omnino gravi*.

III. 5). De impedimento *publicationis bonorum* Concilium Tridentinum prudentiae et judicio Ordinarii reliquit, ut, si ipse expedire judicaverit, denuntiationes remittantur; hinc de hoc impedimento Episcopus dispensat jure ordinario; gravior tamen causa, ut per se patet, requiritur, ut remittantur tres denuntiationes, quam una vel altera tantum. Ad dispensationem de tribus promulgationibus procul dubio sufficit

1) Evitatio infamiae et scandali, ut si matrimonium jam semel fuit in facie Ecclesiae contractum, sed invalide; vel si communiter habiti tanquam conjuges jam diutius cohabitassent[2]).

2) Articulus mortis, in quo constitutus concubinarius vult ducere concubinam, praesertim, ut hoc modo proles ex ea suscepta legitimetur[3]).

De una vel altera denuntiatione, aliquando etiam de tribus juxta probatos auctores dispensari potest

1) Quando adest probabilis suspicio et timor, ne, si tot praecesserint denuntiationes matrimonium malitiose impediatur[4]);

2) Si per denuntiationes sponsi exponerentur pudori et ludibrio hominum; quod plerumque contingit, si senex cum juvencula sit contracturus.

3) Si sponsus statim sit in longinquas regiones profecturus;

4) si concubinarius cum concubina inire velit matrimonium et

---

[1]) Concil. Baltim. p. 186.

[2]) Knopp. 393. Pichler tit. 3. n. 7. Schmalzgr. tit. 3. n. 35.

[3]) Schmalzg. tit. 3. n. 34., qui dicit, nullam urgentiorem rationem posse assignari.

[4]) Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. c. 1.

periculum sit, ne, dum tres denuntiationes praemittuntur, iterum commisceantur.

5) Si instet tempus Adventus vel Quadragesimae, et simul periculum sit fornicationis inter sponsos, si nuptiae differantur diutius; tunc enim, praevia tamen unica denuntiatione, dispensari poterit in caeteris[1]).

6) Denique generaliter, si quodcunque notabile incommodum aut periculum animae, corporis aut fortunae timeatur. Antequam vero Ordinarius dispenset ex his et similibus causis, necesse est, ut diligenter investigetur, an causa, quae praetenditur, revera subsit, et absit omnis latentis impedimenti suspicio; hinc usus obtinuit, ut, quando ex hujusmodi causis dispensatur, juramentum a contrahentibus praestetur, quod in nullius praejudicium, et sine omni impedimento canonico contracturi sint[2]). Insuper monet Benedictus XIV. in bulla „*Satis vobis*": „Quam caute sollerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis a Conc. Trident. exhibentur argumenta;.. licet Episcopo relictum sit omnimodo super denuntiationibus dispensare, haec tamen facultas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus, quod idem est, ac *legitimam causam dispensationis requirere*[3])".

IV. Quoad votum simplex certum est, Episcopum posse dispensare potestate ordinaria in votis non nubendi, non petendi debitum, ss. ordines suscipiendi, et etiam *castitatis*, si hoc non fuerit in perpetuum aut sub conditione emissum; 2) votum autem perpetuae castitatis absolutum, et votum ingrediendi religionem esse reversatum summo Pontifici, sive agitur de matrimonio contrahendo, sive non[4]). Ad validitatem hujus dispensationis semper justa causa requiritur, quia, cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare, nisi tanquam delegatus; sed delegatus

---

[1]) Schmalzgr. tit. 3. n. 36.
[2]) Schmalzgr. tit. 3. n. 38. Schmier. p. 3. c. 5. n. 197.
[3]) Knopp. p. 394. (Augustia temporis).
[4]) Gury n. 329. S. Liguor. n. 250.

nequit dispensare valide sine ratione sufficienti[1]); causae autem sufficientes habentur sequentes:

1) Periculum valde magnum incontinentiae seu frequentis lapsus carnis, et quidem non tantum praesertim in feminis, quando periculum ab intrinseco ex propria infirmitate, sed etiam quando ab extrinseco provenit.

2) Difficultas valde notabilis exequendi votum, si agitur de voto ingrediendi religionem.

3) Majus bonum, quod speratur ex nuptiis v. g. rixarum sedatio, praeservatio familiae etc.

4) Quando cessat causa impulsiva ad vovendum; ut si vovisti castitatem, quia sperabas ingredi religionem certam, quam tamen modo non potes amplius ingredi.

5) Quando supervenit dubium, an materia voti non sit interea facta majoris boni impeditiva.

6) Quando supervenit dubium, an votum sit deliberate emissum; praesertim quando a pueris et puellis nondum puberibus fieri solet.

7) Si metu etiam levi, injuste incusso, vel dolo votum est extortum.

V. Modus petendi et exequendi dispensationem in impedimentis impedientibus similis est illi, quem infra exponemus de dispensatione in impedimentis dirimentibus; distinguendum etiam erit, num impedimentum sit occultum an publicum. Impedimentum voti simplicis ex natura rei plerumque inter occulta censetur. Hinc dispensatio in hoc casu sub ficto nomine obtinetur, et executioni datur in confessione et durante judicio sacramentali. Quare auditis peccatis, praemisso examine veritatis

---

[1]) De perpetuo voto castitatis elicito ante contractum matrimonium, si postea matrimonium de facto jam contractum fuerit, Episcopo videtur competere potestas dispensandi, ex privilegio dispensandi in omnibus impedimentis supervenientibus ad debitum petendum (Gury. 11. 954.) Idem dicendum de voto castitatis perpetuae emisso post matrimonium contractum, et de affinitate contracta ex copula incestuosa cum sui conjugis consanguinea in primo et secundo gradu. Reiffenst. append. §. 11. (n. 559 — 563.)

causae, monitis et commulatione[1]) et injuncta poenitentia sacramentali pro peccatis poenitens absolvatur prius a peccatis, et tunc dispensetur hoc modo: Item auctoritate apostolica specialiter mihi delegata votum castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut matrimonium contrahere (seu in contracto matrimonio permanere) ac debitum conjugale reddere et exigere licite valeas, in opera tibi praescripta dispensando commuto, in nomine Patris etc. Passio Domini nostri Jesu Christi etc.[2])

§. 49.

De dispensatione impedimentorum dirimentium.

1) De potestate dispensandi.

I. Sequitur ex notione legis ecclesiasticae universalis, ut Papa et solus Papa[3]) possit *jure proprio* dispensare de omnibus impedimentis ex jure ecclesiastico dirimentibus, et quidem *valide* in omni casu, quia primarius superior est, et *licite*, si de justa causa dispenset; hoc enim recta gubernatio requirit. Episcopi autem in hisce impedimentis neque *de jure proprio* neque *ordinarie* possunt dispensare. Ratio prioris per se patet, quia inferior non potest dispensare de lege superioris; ratio posterioris autem est, quia neque ex concessione Concilii Oecumenici vel Papae, neque ex consuetudine tolerata Episcopi jus dispensandi

---

[1]) Communiter de hoc voto non simpliciter dispensatur, sed id dispensando in alia opera pia commutatur; hujusmodi opera sunt v. g. confessionem peragere singulis mensibus per totam vitam, Rosarium medium vel totum singulis hebdomadis recitare, vel respectu divitis eleemosynas dare ad pias causas, *quotidie* unum Pater noster vel Ave Maria dicere mane et nocte, ut sic quotidie recordetur obligationis, quam habebat ob votum. — *Insuper poenitens monendus est*, ut dispensatio tantum se extendat ad actus matrimoniales et quidem unice hujus praesentis matrimonii. Pichler. tit. 16. n. 27.

[2]) Pichler. tit. 96. n. 27.

[3]) Per se patet, idem competere Concilio Oecumenico, quia hujusmodi Concilium constituitur cum et sub auctoritate Summi Pontificis. Benedict XIV. de synod. dioec. lib. 9. c. 2. §. 1.

in talibus impedimentis sibi vindicare possunt. Hinc auctores communi fere calculo, si excipias fautores obsoleti Gallicanismi, hanc potestatem denegant Episcopis; quin imo sacrae Urbis Congregationes, Concilii videlicet ac supremae Inquisitionis, non semel proscripserunt, tanquam falsam, et temerariam propositionem asserentem Episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente *publico*, quod obstat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas.[1]) Idem declaravit Pius VI. in epist. 2. Febr. 1782 ad Archiepiscopum Trevirensem[2]) et Pius VII. in rescripto ad Episcopos Galliae. a. 1809.[3]) Unde, reclamantibus summis Pontificibus nec consuetudo ulla modo praevalere potuit, eo minus, quod, cum talis consuetudo non solum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda et minuenda jura uni competentia Romano Pontifici, praeter caeteras conditiones necesse est, ut *centum ad minus annorum* spatio, sine ulla interruptione, perseveravit;[4]) ac deinde considerandum est, an per eam consuetudinem, si qua inoleverit, dirrumpatur nervus Ecclesiasticae disciplinae; in quo eventu nunquam per eam adversus legem praescribi, declaravit Innocentius III. in *Cap. Cum inter de consuet.*[5]) Unde hodie inter omnes, qui sanae sunt mentis et doctrinae, omnino constat, Episcopos non nisi potestate specialiter a S. Pontifice delegata posse dispensare in impedimentis dirimentibus, *saltem, si sint publica.*

II. Dixi, *saltem, si sint publica* impedimenta; nam *pro foro interno* tantum, episcopus potest in casibus extraordinariis, dispensare ex licentia praesumpta in omnibus impedimentis oc-

---

[1]) Benedict. XIV. l. c. §. 3. S. C. C. 13. Mart. 1660. 19. Januar 1661.

[2]) Devoti. de matr. §. 117. not. 2.

[3]) Gury. n. 1546.

[4]) Benedict. XIV. l. c. n. 6.

[5]) Benedict. XIV. synod. dioec. l. 9. c. 2. Inst. past. Eyst. 306. Schmalzgr. tit. 16. n. 80, 81. „Pro foro externo *in prorsus nullo casu* dispensare potest Episcopus super aliquo impedimento *dirimente*, nisi speciale habeat privilegium a Papa concessum.“ — Reiffenst. app. §. 2. n. 19.

cultis, in quibus dispensatio a Papa in foro interno concedi solet. Hujusmodi casus sunt:

A. *In matrimonio jam contracto* cum impedimento *occulto*, si tamen sequentes *simul* concurrant circumstantiae et conditiones:

1) ut matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiae;

2) ut contractum fuerit bona fide, ex juris vel facti ignorantia, saltem ex alterutra parte.

3) Ut matrimonium jam fuerit consummatum.

4) Ut adsit gravis causa et magna necessitas, scilicet scandalum, ex separatione oriturum, grave periculum incontinentiae, jactura famae, praejudicium prolis etc.

5) Ut summa Sedes non possit facile adiri propter periculum in mora, et distantiam locorum, ob hostiles incursus etc.

B. *Ante matrimonium contractum*, 1) si urgeat summa necessitas, qualis ex. g. foret casu, quo aliquis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre vellet contrahere matrimonium, vel quando ante contractum nuptialem et omnibus ad hunc paratis sponsorum alter in confessione sacramentali detegit impedimentum dirimens occultum et proveniens ex delicto, v. g. copula illicita cum consanguinea sponsae, cujus detectio notabilem infamiam inferret, neque a nuptiis abstineri, neque illae differri diu possent sine verisimili suspicione occulti criminis in confessione detecti; neque omnibus tentatis mediis, ulla aperiatur evadendi via; nam si qua reperiatur via evadendi suspicionem, dispensare nullo modo potest Episcopus[1]). Sed quamvis haec opinio, teste *Bunacinia*, hodie sit fere communis, eam tamen acriter reprehendit et exagitat Fagnanus, fortasse quia est moraliter impossibile, eas omnes concurrere circumstantias, in quibus nullo modo possit matrimonium differri sine scandalo.[2])

---

[1]) Fortassis haec esse posset via, si femina voveret castitatem ad tempus v. g. per mensem, et dicat consanguineis, se voto castitatis allegatam esse, jussamque a Confessario, ut a nuptiis abstineret, donec voti dispensatio impetretur. *Schmalzg.* tit. 16. n. 84. S. Liguor. de matrim. n. 1122, 1123.

[2]) Benedict. XIV. synod. dioec. lib. 9. c. 2. §. 2.

2) In casu impotentiae universalis S. Pontificem adeundi in aliqua provincia v. g. durante perturbatione aliqua politica et religiosa. Excipe tamen, si haec impotentia directe causata esset a saeculari potestate in hunc finem, ut hoc modo derogaretur juri Sedis Apostolicae[1]).

3) In casu dubii impedimenti dirimentis juxta plures; at si agatur de dubio, seu de probabilitate juris, inutilis videtur dispensatio, cum in hoc casu Ecclesia censeatur id, quod desideratur ad valorem Sacramenti[2]) supplere; in dubio autem facti, si postea impedimentum certum fiat, nova requiritur dispensatio juxta plures[3]). — Ratio hujus praesumptae licentiae in cunctis his casibus per se patet; ad praecavenda enim gravia mala, si alias non suppetat modus illis occurrendi, praesumendum est, summum Pontificem delegare Episcopo potestatem dispensandi, quam certe, requisitus, non esset ei denegaturus[4]).

III. Qui habet potestatem delegatam, non potest eam subdelegare alteri, cum diversa sit potestas utendi jurisdictione, et eam delegandi. Excipitur: 1) nisi *hoc ipsum* concessum sit. 2) Nisi sit delegatus ad universitatem causarum. Duobus autem modis demandatur alicui jurisdictio ad universitatem causarum, ut eam quasi ex officio exercere, et interdum alteri subdelegare possit 1) si alicui delegetur jurisdictio, ut sit in privilegium *perpetuum* ratione dignitatis aut officii sui; tunc enim talis po-

---

[1]) Knopp. p. 440.

[2]) Gury, n. 1458.

[3]) Sanchez. Corrai. lib. VII. c. 5. n. b. Schmalzgr.

[4]) Benedict. XIV. l. c. Reiffenst. append. §. 2. n. 15. „Ratio est, quia id requirere videtur pastorale officium Episcopi, ut possit animabus concreditis urgente gravi necessitate in hujusmodi casibus extraordinariis subvenire, cum alias oves subjectae essent destitutae necessariis mediis, et expositae manerent gravissimis periculis scandalorum, peccatorum etc. Quod suavi gubernationi Ecclesiae repugnat, utpote quae potestatem suam non in destructionem, sed in aedificationem animarum gerit. . . . Etsi non expresse, tamen tacite concessa censetur dicta potestas a Summo Pontifice, hoc ipso quod sciat, Episcopos illa passim uti, et non contradicat.“

testas jurisdictionis censetur *quasi* ordinaria. 2) Si alicui committatur vicarium officium, cui jurisdictio annexa est, v. g. officium parochi absentis; tales unam vel alteram causam particularem alteri subdelegare possunt[1]). Hinc episcopus potest delegare potestatem dispensandi in illis impedimentis, in quibus dispensat ex privilegio dignitati episcopali perpetuo annexo, sc. 1) In impedimentis impedientibus, exceptis voto castitatis et religionis, sponsalibus, et impedimento mixtae religionis, 2) in omnibus impedimentis supervenientibus ad debitum petendum, 3) In impedimentis dubiis, modo exposito, 4) in dirimentibus occultis, tum ante, tum post matrimonium contractum, in casu necessitatis supra expositae. Insuper, cum potestas in dictis impedimentis non sit privilegium personale, sed *reale*, utpote concessum respectu dignitatis, et privilegium *reale* transmittatur, ad haeredem[2]), hinc Capituli Vicarius, defuncto Episcopo, (vel administrator dioeceseos), qui est quasi haeres defuncti episcopi, in hisce habet potestatem dispensandi[3]), unacum facultate, eam delegandi aliis. — Sed aliter dicendum est de facultate speciali episcopo concessa, vel ex *quasi* privilegio; in hoc casu 1) episcopus proprie non potest subdelegare, nisi expressum sit,[4]) 2) ipso episcopo moriente illa facultas extinguitur, nec transmittitur ad administratorem vel capituli Vicarium. Facultates igitur quinquennales, quae communiter cunctis Episcopis a Roma magis remotis conceduntur, et aliae speciales facultates neque aliis possunt subdelegare, nisi expressum sit, neque transeunt ad administratorem dioeceseos, defuncto Episcopo.[5])

---

[1]) Laymann. lib. 4. tr. 5. c. 10. n. 12, 13. S. Liguor. lib. 6. n. 566.

[2]) Laym. lib. 1. tr. 4. c. 23.

[3]) Schmalzgr. tit. 16. n. 88.

[4]) Excipe Vicarium Generalem, cui tamen non proprie haec specialis facultas delegatur, sed potius communicatur, assumendo illum in cooperationem; hinc, cum morte, vel depositione aut resignatione Episcopi, potestas Vicarii Generalis extinguitur.

[5]) Potestas delegata a S. Sede non expirat per mortem S. Pontificis. Ratio patet ex dictis. — Reiffenst. append. §. 2. n. 33. Illae autem facultates, de quibus expressum est, ut aliis communicari possint, cum morte Epis-

Quaeritur, an, si sponsi sint diversae dioecesis, dispensatio obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque ex indulto speciali facultate dispensandi gaudeat?

℟. Sententia sat probabilis negat. Ratio est, quia, cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito; unus enim fieri nequit habilis ad contrahendum cum altero, quin hic etiam fiat habilis ad contrahendum cum illo, si quidem haec relativa sunt. Aliunde Papa delegando Episcopum ipsi totum jus suum tribuit; ergo valet dispensatio Episcopi perinde ac si a Papa ipso concederetur.[1]) Sed ad disciplinam praeservandam decet, ut alteri episcopo communicatio fiat in concessa dispensatione.[2])

§. 50.

De dispensabilitate impedimentorum dirimentium.

I. Indispensabilia sunt

1) ea, quae dirimunt matrimonium jure divino vel naturali, videlicet
   a) impedimentum impotentiae.
   b) impedimentum consanguinitatis in linea recta,
   c) impedimentum ligaminis ex matrimonio consummato,
2) ea, quae dispensationem vel ex natura rei vel ex dispositione juris non admittunt, tolli tamen possunt solo consensu debite posito, scilicet

---

copi, si quando ipse eas communicavit neque postea revocavit, non extinquuntur, quia talis facultatum communicatio est quasi delegatio a Sede Apostolica facta mediante tantum Episcopo. - Hinc in facultatibus quinquennalibus Episcopis Germaniae datis inter alias recensetur facultas, *communicandi facultates* has in totum vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et *praesertim tempore sui obitus*, *ut Sede vacante sit*, *qui possit supplere*, donec Sedes Apostolica certior facta (quod quam primum fieri debebit per delegatos, aut per unum ex eis) alio modo provideat." — Reiffenst. append. §. 2. n. 22.

[1]) Gury, n. 1547. S. Liguor. n. 1142.

[2]) Knopp. p. 443.

a) impedimentum erroris,
b) impedimentum conditionis in duplici sensu,
c) impedimentum vis et metus;
d) impedimentum raptus,
e) impedimentum clandestinitatis.

II. In aliis, quamvis Ecclesia dispensare absolute quidem posset, nunquam tamen dispensat, videlicet:

a) Impedimentum affinitatis in primo gradu lineae rectae, ex matrimonio ortum jure tantum ecclesiastico introductum esse, et consequenter super eo impedimento gravissimis urgentibus causis Pontifices Romanos posse dispensare, probatissimi auctores affirmant; sed a simili dispensatione, etsi plures rogati, abstinuerunt [1]).
b) in primo gradu cognationis naturalis in linea transversa, i. e. inter fratrem et sororem similiter nunquam dispensatur,
c) in impedimento criminis *publico* cum effectu secuto, sive utroque sive uno mortem machinante.

III. In aliis, quamvis Ecclesia nonnunquam dispenset, dispensatio tamen non est exspectanda, nisi urgeat causa publica vel extraordinaria, nempe

a) in voto solemni castitatis in aliqua religione approbata edito.
b) in impedimento ordinis sacri.
c) in matrimonio rato.
d) in impedimento criminis *occulto*, utroque vel altero mortem machinante cum effectu secuto.

IV. Neque facile speranda est dispensatio, quamvis neque publica, neque plerumque extra-ordinaria requiratur causa, in sequentibus:

a) in disparitate cultus,
b) in cognatione spirituali inter levantem et levatem,
c) in impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae, ex copula illicita orto.

---

[1]) Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 9. c. 13.

d) in impedimento affinitatis in primo gradu lineae transversae, praesertim publico, et ex matrimonio orto[1]).

e) in impedimento consanguinitatis in secundo gradu simplici et mixto, praesertim ante matrimonium contractum.

In ceteris impedimentis pro ratione causarum communius dispensari solet[2])

§. 51.

De causis ad dispensandum super impedimenta dirimentia requisitis;

1) in genere.

I. Ex natura rei sequitur, ut dispensatio, a quocunque concessa, sine justa causa sit contra rectum ordinem, ac proinde semper illicita. Hinc inter omnes convenit etiam, superiorem primarium in propriis vel inferioris legibus *valide* quidem dispensare sine justa causa, quia legis obligatio pendet a voluntate legislatoris, sed *illicite*, plerumque tamen *per se* non graviter illicite, etiam in re gravi, praeciso scandalo vel aliorum damno, quia, cum sit independens, non apparet in hoc tanta deordinatio[3]). Si autem inferior in lege superioris sine justa causa dispenset, v. g. Episcopus in lege Pontificia, dispensatio est *invalida* et graviter *illicite* in re gravi. Ratio prioris est, quia delegatus, si excedat limites commissae potestatis, nihil efficit; superior autem non praesumitur dare facultatem, sine justa causa, i. e. temere et inique dispensandi; ratio posterioris est, quia taliter dispensans causat violationem legis superioris in re gravi. Si causa, ex qua inferior delegatus dispensat in lege superioris, *probabiliter* justa esse censeatur, quamvis eum errare contingat, dispensatio tamen valida est, ob praesumptam voluntatem superioris, in cujus jure dispensatur; quia secus onus nimis grave imponeretur.[4])

---

1) Gregor. XVI. in litteris ad Cardinal. Prodatar. 22. Nov. 1836.
2) Instruct. past. Eystett. p. 304 et 305.
3) Laymann, S. Sig. n. 178. Gury, 122.
4) Laymann. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 12. Sanchez lib. 8. disp. 17. n. 8.

II. Sed perdifficile est, praecise statuere, unde cognosci possit, qualis causa sit justa; generatim tamen hoc dicere licet:

1) certum est, justam esse eam causam, ex qua superior ipse dispensare solet;

2) causa, quae *directe* ad bonum commune refertur, quin unicuique ad legum violationem viam aperiat, facilius admittitur, quia in hoc casu dispensatio minus enervat vim legum.[1])

3) Si causa directe refertur ad bonum privatae personae, hoc bonum, quod ex dispensatione provenit, tanti debet esse momenti, ut saltem indirecte redundet in bonum commune, ac hoc modo damnum, quod plerumque relaxatio legis infert communitati, aliquatenus compensetur[2])

III. *Ex parte petentis* ad validitatem dispensationis requiritur, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio *essentialis*, seu quae cadat in causam *motivam*, quia superior non dispensat, nisi sub tacita conditione, scilicet: „Si preces veritati nitantur.“[3]) Licet autem petere dispensationem, quamvis causa sit dubia, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae judicare, sed tantum rem sincere exponere; item licet, dispensatione taliter obtenta uti, donec probetur, dispensantem non tantum erronee, sed mala fide in dispensando egisse.[4])

---

[1]) Sanchez lib. 8. disp. 19. n. 1.

[2]) Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 8. „Sicuti publice expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut *plenius*, evenientibus casibus et necessitatibus, *pro communi utilitate* satis fiat, sic frequentius legem solvere, *exemploque* potius, quam *certo personarum rerumque delectu*, petentibus indulgere nihil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quodsi urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.“

[3]) Gury. 121. S. Lig. n. 185.

[4]) Sanchez lib. 5, disp. 17. et 9.

§. 52.

2) De causis dispensationis matrimonialibus in specie.

I. Cum Papa, uti sat ostendimus, sit supremus legislator quoad impedimenta dirimentia, recte concluditur ex dictis in §. praecedente, eas esse justas causas ad dispensanda illa, ex quibus Sedes Apostolica dispensare solet. Hinc inferiores Summo Pontifice, qui in impedimentis dirimentibus ex speciali facultate seu quasi privilegio possunt dispensare, ut *valida* sit dispensatio, [1]) ob oculos habere debent eas causas, quae a Curia Romana in singulis impedimentis, ratione habita de eorum gravitate diversa, justae et sufficientes ad dispensandum habentur. Illae autem causae optime exponuntur ab auctoribus curialibus, ex praxi quotidiana in iis bene versatis, quorum praecipui sunt Pyrrhus Corradus, Marcus Leo, de Justis, Navarrus, Fagnanus. Diligenter igitur illi sunt de hac materia consulendi.

II. Porro animadvertendum est, juxta sapientissimam et justissimam praxin Curiae Romanae causas dispensationum non esse considerandas in abstracto, sed *in concreto*, inquantum scilicet ex circumstantiis casus particularis dispensatio redundet directe vel indirecte ad bonum communitatis, ac taliter compensatio sufficiens fiat pro injuria legi universali per relaxationem particularem illata; hinc:

1) facilius dispensatur in casu occulto, quia injuria legi inde illata minus gravis est, ac proinde non tantam requirit compensationem.

---

[1]) „In iis casibus, in quibus super impedimento matrimonii dirimente Episcopus dispensare potest ex speciali potestate et privilegio, *requiruntur* et sufficiunt eaedem causae, ob quas potest et solet dispensare Papa.“ Reiffenst. app. n. 144. Ratio est, quia hoc ipso, quod alicui Pontifex per privilegium aut facultatem specialem communicet potestatem dispensandi super certis impedimentis, quam ipse habet, praesumitur, ut is ea potestate utatur ex *omni* et *sola* causa illa, ob quam ipse dispensare potest et solet, nec praesumi potest concedere potestatem dispensandi ex causa, ex qua ipse dispensare non solet, utpote eam insufficientem agnoscens.“ Schmalzg. tit. 16. n. 147.

2) etiam facilius dispensatur cum principibus, nobilibus opulentis, quam cum plebejis et pauperibus idque, absque ulla personarum acceptione iniqua, ob justissimas rationes,[1]) videlicet:
   a) quia dispensatio in ejusmodi casibus plerumque directe redundat in bonum melius communitatis;
   b) quia talis dispensatio minus est injuriosa legum nervo; etenim ea minus frequens est, nec proinde aperiens unicuique aditum ad relaxationem legis, tum per se ex natura rei, tum communiter per taxam, quae juste illis, non autem pauperibus imponi potest, non tantum ad resarciendum aliqua ratione vulnus, quod ex dispensationum matrimonialium concessione disciplinae ecclesiasticae infligitur, sed etiam ad matrimonia, quibus obstant impedimenta, rariora ac difficiliora reddenda;[2])

---

[1]) „Attendenda est qualitas personarum, quae secum dispensari petunt; nam caeteris paribus facilius dispensatur cum Regalibus, Ducalibus et Principibus, quam cum Nobilibus, facilius cum his, quam cum divitibus ac magis honestis; facilius cum his, quam cum plebejis.“ Schmalzg. tit. 16. n. 133. S. Thom.: „Contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus sanctus et minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam vel industriam saecularem; et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus praeferuntur.“ 2. 2. quaest. 63. art. 2. Hanc distinctionem etiam admittit Conc. Trid. 24. sess. c. 5: „In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi *inter magnos principes* et ob publicam causam.“

[2]) Pius VII. in Brevi 28. Febr. 1809. — Corradus in Praxi dispens. haec habet de illis taxis: „Nec de ista receptione et solutione compositionis mirandum est: huic enim admirationi satisfit dicendo, quam multi dispensationes hujusmodi impetrarent, si *gratis* concederentur, et alioquin semper infestarent aures Pontificis, petentes secum dispensari, detaurque materia delinquendi; neque obstant decretum Conc. Trid. sess. 22. c. 5. et D. D. opiniones, volentium, ubi causa justa dispensandi subest, debere dispensari *gratis;* nam id locum tantum habet in compositionibus, non autem in aliis juribus; et super hoc S. C. C. T. ita declaravit: „Decretum Concilii Trid., quod ait, „dispensationes gratis concedantur“, habet locum in compositionibus, non in mercede, quae propter bullarum expeditionem solvitur ex Congregationis sententia. — Quamvis, ut ait

c) quia ratio legis in iis impedimentis, in quibus saepius dispensatio petitur, quam in aliis, nempe in gradibus consanguinitatis et affinitatis plerumque ex peculiaribus nobilium et divitum circumstantiis non tam gravis est momenti, quam pro plebejis et pauperibus, nempe inquantum per haec impedimenta honestas morum inter consanguineos et affines intenditur;

d) quia plures causae, quae sunt magni momenti si non pauperibus, nullius sunt in plebejis et pauperibus ex natura rei.

3) Cum ratio, in qua nituntur varia impedimenta, pro singulis sit majoris vel minoris momenti, ac proinde illorum relaxatione plus vel minus periculi oriatur bono communi, non pro omnibus eadem requiritur gravitas causae ad dispensandum. Hinc, ut bene cognoscatur, an qualia causa sit justa, perpendendum est 1) quanti momenti sit in se impedimentum, de quo agitur; 2) num sit publicum, aut occultum, et 3) cujus conditionis sint illi, qui petunt dispensationem.

III. Ex ratione *conditionis* petentium Curia Romana distinguit triplicem formam dispensandi in foro externo, scilicet, 1) formam pro nobilibus, 2) formam ordinariam seu communem, 2) formam pauperum.

Gracina, etiam respectu compositionum non servatur propter necessitates et onera Papae et Sedis Apostolicae (cujus auctoritas salva est in decretis ejusdem Concilii sess. 25. c. ult.) praesertim vero pro propaganda tuendaque fide catholica, pro qua quanta qualiaque sint ejusdem Sedis onera, vix exprimi possunt, etiam ab iis, qui ea ex professo experiuntur.“ lib. 8. c. 5. n. 33. 34. — Pallavicini Card. in hist. Conc. Trid. commemorat, quod ipsius ab ore acceperat Alexandri VII. Papae nempe percunctatum hunc Pontificem, quos in usus effunderetur pecunia, quae ex dispensationibus conjugiorum affluebat; a ministris ejus rei didicisse, in eo diligentissime servari, quae ab Innoc. X. mandata fuissent, ne ea pecunia caeteris proventibus permisceretur, sed seponeretur in Monte pietatis, unde non extraheretur, nisi jussa Pontificis, ad pia quaedam opera. Si ubique mulctarum et dispensationum pecunia tam sancte expenderetur, nemo non congratularetur succurri miseris, pauperes sublevari.“ Thomass. Vet. h. Disc. Eccl. III. l. 1. c. 74.

In forma pauperum est dispensatio, quando pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus. Ut in hac forma dispensetur, ex dictis jam patet, graviores causas requiri; hinc in hac forma ad dispensationem in secundo gradu consanguinitatis et primo et secundo mixto, et consequenter in illis, quae huic aequiparantur, in Curia Romana non aliae causae admittuntur, nisi sequentes:

1) Copula carnis perpetrata cum consanguinea, affine vel alio impedimento ligata, si propalata sit,[1]) ut famae mulieris consulatur, quae alias innupta maneret, et ut scandala inde secutura evitentur. Si tamen peccarunt data opera, et sub spe, facilius dispensationem impetrandi pars utraque vel altera copulam exercuisset, hoc sub poena nullitatis exprimendum foret.

2) Infamia mulieris ex singulari familiaritate orta, quae inter virum et feminam intercessit, ut sponsalium vel commercii carnalis inter eos intercedentis publica, licet falsa, suspicio sit nota, et ideo femina statui suo conveniens matrimonium non assequitur; haec enim opinio eadem, quae ipsa copula, incommoda inducit.

3) Bona fides, seu matrimonium cum ignorantia impedimenti, saltem alterius partis contractum, praecipue si fuerit consummatum, et exinde proles suscepta; imo etiam si ex tali conjugio proles nata non sit; in litteris tamen supplicationis addendum, an cognito impedimento a copula abstinuerint, an vero post cognitionem matrimonio usi sint. Quodsi matrimonium ab utroque mala fide vel sine denuntiationibus initum, et proles progenita fuisset, tunc aegre impetrabitur dispensatio; cum nec incestus parentum, nec proles incestuosa

---

[1]) Praesertim, si proles ex consanguinea per incestum concepta sit. — *Corrad.* monet, in gradu simplici et in primo et secundo mixto ad *contrahendum* matrimonii non dispensari, nisi raro, et ubi gravia scandala et periculum mortis ex copula carnali forsan subsecuta vel illius suspicione Oratoribus immineat." Praxis Disp. lib. 7. c. 3. n. 17.

gratiam Apostolicam mereatur, item multiplicitas crimen exaggeret.[1])

4) Periculum perversionis seu haeresis, quod adest, cum Oratores sunt catholici, locus vero mixtae religionis est, adeoque non leve periculum imminet, ne impedimento prohibiti in fide pervertantur, et ab ea deficiant; hoc tamen periculum in positivis rationibus niti debet, non in inani timore.[2])

In remotioribus tamen gradibus, scilicet in secundo et tertio mixtis et quarto gradu, et in aliis impedimentis, quae hisce remotioribus gradibus aequiparantur, etiam in forma pauperum, praeter nominatas causas difamantes, aliae quoque, infra exponendae, plerumque ad dispensandum sufficientes habentur, ut animadvertit Schmalzgr. cum probatissimis auctoribus.[3])

IV. In forma communi solvenda est *taxa* Cancellariae et *compositio* major vel minor pro diversitate gradus, in quo dispensatur, aut opum, quibus pollet persona honestae familiae; et in hoc casu praeter causas modo relatas aliae admittuntur ad dispensandum in secundo gradu consanguinitatis et consequenter in aliis huic impedimento aequiparatis, videlicet:

1) *Aetas feminae superadulta,* quae annum 24 excedens virum sibi parem hactenus non invenit, *si alia adhuc causa concurrat;* haec tamen causa non habet locum in viduis.

2) *Extinctio inimicitiae gravis,* si scilicet per hujusmodi conjugium inter personas consanguineas vel aliter impeditas initum pax atque concordia stabiliri, odia sopiri, discordiae extingui, removeri periculum animae et alia scandala evitari possint. Ratio est, quia pax, praesertim inter opulentos, plurimum conducit pro bono publico. Quae autem sint inimicitiae graves, relinquitur judicis arbitrio.

3) *Defectus dotis,* quando scilicet vel omnino nullum vel non competentem *sponsa* habet dotem ad nubendum alicui aequali;

---

1) Cap. *Cum haberet.* 5. X. de eo, qui cognovit (4. 7.) Trident. sess. 24. de reform. matrim. c. 5.

2) Knopp. p. 463.

3) *Schmalzg.* tit. 16. n. 138. *Corrad.* lib. 7. c. 3. n. 17. *Justis.* de disp. lib. 3. c. 1. n. 115. *Reiffenst.* append. n. 123.

ratio est, quia aliter vel innupta manere cogeretur, aut nubere inaequali cum discrimine infausti conjugii, quorum neutrum publice expedit.

4) Si *plures causae* ex levioribus, quae singillatim in remotioribus gradibus sufficiunt, concurrant; tales sunt:

a) *Angustia loci*, si scilicet locus, in quo habitant contrahere volentes, valde angustus sit, aut feminae cognatio in eo loco valde sit propagata, ita ut necesse sit, ut vel contrahat cum persona sibi inaequali, aut ad aequalem habendam se alio transferat, vel si hoc nolit, perpetuo innupta maneat, nisi dispensetur ad contrahendum matrimonium cum persona conjuncta, vel aliter impedita.

b) *Angustia locorum*, quando scilicet sponsa domicilium a loco originis diversum habet, in neutro autem ob angustiam eorum personam sibi aequalem sine dispensatione cum persona impedimento irretita invenire potest.

c) *Extinctio litis*, si speretur, ejusmodi conjugio componendam et tollendam esse litem, quae inter duas familias agitatur super bonorum successione, et aliis magni momenti rebus et juribus.

d) *Si oratrix liberis sit gravata*, dum viduam, saltem quinque liberis in priori matrimonio susceptis gravatam, orator ducere, proles alere, ac more catholico educare paratus est.

e) *Periculum seductionis*, in locis, ubi Catholici vivunt inter haereticos et infideles, unde, nisi cum illis dispensetur, cogerentur vel innuptae manere, vel in periculo versarentur, cum haereticis matrimonio contrahendi.[1])

Ex his singulis tum in forma communi, tum in forma pauperum dispensatur in remotioribus gradibus, sed si plures concurrant, tunc in forma communi, (non autem in forma pauperum) etiam dispensatur in secundo gradu et similibus.

V. *In forma nobilium*, in qua etiam, ut in forma communi taxa est solvenda et compositio major vel minor pro diversitate

---

[1]) Corrad. lib. 7. cap. 2. n. 96.

rerum, praeter causas in forma pauperum et communi sufficientes paucae aliae admittuntur ad dispensandum in secundo et primo mixto gradu, et aliis aequivalentibus, scilicet

1) *Conservatio familiae*, ne deficiat.
2) *Conservatio bonorum* intra eandem familiam.
3) *Excellentia insignium meritorum* in Ecclesiam.
4) *Causa generalis*, dicta ex certis et rationabilibus causis, ubi tamen solvenda est magna et extra-ordinaria taxa pecuniaria.
5) Si ex levioribus supra datis plures concurrant simul.
6) Evitatio scandalorum gravium.
7) Praerogativa personae cum regiis, ducalibus et vere principibus, non autem cum personis nobilibus minoris gradus. Ratio est, quia deficiente quacunque causa, sola praerogativa personae principis constituit publicam causam.[1])

VI. In foro *interno*, de *occultis* impedimentis, facilius dispensatur, si quidem talis relaxatio legis non tantam infert injuriam nervo disciplinae ecclesiasticae; hinc in hoc foro non est distinctio formarum dispensationis, nec ulla taxa aut compositio solvitur, ac proinde causae quaeque leviores, si plures simul concurrant, etiam pro pauperibus admittuntur. Sed bene animadvertendum est, a s. poenitentiaria, h. e. in foro interno, non dispensari de impedimento consanguinitatis (et affinitatis ex copula licita) in ullo gradu ad contrahendum matrimonium, post contractum conjugium duntaxat in tertio et quarto gradu, et in secundo solum tunc, quando impedimentum saltem per decennium duravit occultum et matrimonium cum bona fide fuerit protractum. Si autem gradus affinitatis (ex copula licita) vel consanguinitatis sint mixti cum primo, poenitentiaria dispensare non solet.[2])

Quaesita.

Quaeritur 1°) num Episcopi, quibus ex privilegio concessum est dispensare, in triplici forma Curiae Romanae possint dispensationem impertire?

---

[1]) Causas et stylum depromsimus e Pyrrho Corrado, lib. VII. c. 3—6., Schmalzg. tit. 16. n. 102—140. — Instruct. past. Eyst. p. 308—316. et p. 232. Knopp, Haringer, Reiffenstuel. app. §. 3. n. 67—116.

[2]) Instruct. past. Eyst. p. 324. Pichler tit. 16. n. 11. *vide infra* §. 55.

℟. Illi auctores, qui hanc quaestionem tangunt, negant; *Pichler* dicit: „Episcopi autem, quibus ex privilegio concessum est dispensare, sive cum pauperibus, sive cum aliis semper in forma pauperum, h. e. sine ulla mercede et omnino *gratis* tenentur dispensare, et ob alias etiam causas, quam sit copula, vel ejus suspicio." [1]) *Pignatelli:* „Ordinariis vero, et eorum Vicariis Gregorius XIII. ex sententia S. Congreg. decrevit, non licere aliquid accipere ratione taxae, neque ratione consuetudinis etiam ex immemorabili tempore, neque ratione sigilli, vel cujuslibet alterius rei pro cognitione hujuscemodi dispensationum." [2]) *Corradus:* „Per hanc clausulam prohibetur sub poena excommunicationis latae sententiae, ne delegatus, cui praedicta dispensatio committitur exequenda, aliquod munus recipiat ab Oratoribus, seu eorum altero;" [3]) etiam, num poenitentia salutaris illis, cum quibus in forma pauperum dispensatum est, imposita praestari possit per eleemosynas, negandum esse videtur." [4]) Ratio est, quia facultas dispensandi ex justis causis aliud est, quam facultas obligationem legis in aliquod opus pietatis mutandi; [5]) fortasse etiam, quia haec facultas nimis obnoxia esset abusui.

Quaeritur 2°) an episcopi, qui ex quasi privilegio dispensant sine distinctione formarum, cum omnibus absque discrimine ex iis causis, ob quas in forma communi et nobilium dispensatur, dispensare valeant in gradu secundo et mixto primo?

℟. Negandum esse videtur; quia, sublato taxae et compositionis fraeno absque ulla conditionis personarum distinctione,

---

[1]) Pichler, tit. 16. n. 12.

[2]) Pignatelli *Consult.* tom. 6. n. 97.

[3]) Corrad. lib. VII. c. 6. n. 8. Sanchez, lib. 8. disp. 35. n. 52.

[4]) Corrad. lib. VIII. c. 5. 46—79.

[5]) Sanchez: „In lege superioris non potest inferior dispensare *admixta commutatione*, quando constat non adesse causam (aliter) justam ad plene dispensandum, quod tunc omnino relaxetur ea lex; non enim eadem lex potest in aliam materiam transferri, nisi per legislatorem." — lib. 8. disp. 14. n. 2. *Reiffenst.:* „*Si Episcopus vi privilegii dispensat, dispensatio cum quovis etiam divite semper gratis, et sic in forma pauperum fieri debet.*" append. n. 370.

unicuique aperiretur aditus ad transgrediendas leges,[1]) ac necessario universa Ecclesiae disciplina corrueret; hinc ab episcopis, sine speciali facultate, ex ordinaria delegatione vix potest valide dispensari cum quocunque in gradu secundo et ceteris illi impedimento aequivalentibus, nisi ex causis, ob quas de illis Curia Romana dispensare solet in forma pauperum, seu ex causis defamantibus.

§. 53.
De dispensationibus in singulis impedimentis dirimentibus earumque causis.

Exposita jam praxi Curiae Romanae de gravitate causarum, quae requiruntur ad dispensandum speciatim in impedimento consanguinitatis, praecisius investigandae sunt causae, ex quibus eadem Curia in ceteris impedimentis dispensare solet.

I. *De impedimento affinitatis.* — Jam supra diximus, Sedem Apostolicam nunquam dispensare in primo gradu affinitatis lineae rectae ex copula *licita;* in ceteris gradibus dispensatio conceditur, et quidem:

1) In tertio et quarto gradu ex causis etiam levioribus, cum juxta communem sententiam pro dispensatione in hoc impedimento minus urgens ac gravis causa requiratur, quam in impedimento consanguinitatis.
2) In secundo gradu affinitatis lineae transversae ex copula *licita* eaedem fere causae desiderantur, atque ad dispensandum in secundo gradu consanguinitatis.[2]) In eodem gradu ex copula *illicita,* Pontifex dispensat cum quovis ex quavis rationabili causa, quia hic casus respectu hujus impedimenti est ultimus et remotissimus.
3) In primo gradu affinitatis iterum plurimum differt, num affinitas provenerit ex matrimonio an ex copula *illicita;* in casu posteriori Pontifex dispensare solet ante et post matrimonium contractum *pro foro interno* etiam de primo, lineae *transversae* et *rectae,* cum quovis ex quavis rationabili causa;

[1]) Conc. Trid. sess. 25. c. 18.
[2]) Schmalzg. Reiffenst. app. n. 125.

sed in *foro externo*, ut dispensatio obtineatur super primo gradu affinitatis ex copula *illicita* ortae, non sufficit allegare infamiam mulieris, ex copula propabata exurgentem, et gravia scandala, nisi dispensetur, sed addi debet, utrique Oratori alias vitae periculum imminere.[1])

Excipit Reiffenstuel, si pro vere Nobilibus sollicitetur dispensatio; nam pro his absque hoc addito obtineri potest dispensatio ex iis causis, ob quas dispensari potest et solet super secundo gradu consanguinitatis. — Corradus tamen addit, bene esse animadvertendum, quod super affinitate ex actu fornicario non sine maxima difficultate datur dispensatio, si mulier primo cognita vivat.[2])

4) In primo gradu affinitatis lineae transversae ex matrimonio ortae, ut quis ducere possit sororem uxoris defunctae, juxta auctores cum personis Principibus *saepius*, cum Nobilibus et Illustribus nonnisi *raro*, cum reliquis *rarissime* dispensatur in foro externo.

Certum est, in perpaucis tantum casibus hujusmodi dispensationem concessam esse ante dimidium saeculi decimi octavi quamquam enim longius ambigi non potest, affinitatis impedimentum in primo gradu affinitatis lineae transversae non esse ortum ex lege naturali, ut plures antiquiores asseruerunt, sed ex mera lege ecclesiastica, ac proinde Summo Pontifici competere potestatem desuper dispensandi, negari tamen non potest, de hoc impedimento nunquam fuisse dispensatum ante saeculum decimum quintum; primus enim omnium Martinus V. anno 1418 hanc dispensationem concessit Comiti Fuxio pro ducenda vidua sui fratris, filiae ducis Navarrae;[3]) similem postea legimus dis-

---

[1]) Vinc. de Justis, lib 3. c. 1. n. 116. ap. Schmalzg. tit. 16. n. 142.

[2]) Reiffenstuel append. §. 3. n. 128. -- Corrad. lib. 7. c. 3. n. 25.

[3]) Ab hoc primum Pontifice (Martino V.) concessa est licentia ducendae sororis prioris conjugis. Id Fuxio indulgebatur tum Comiti, ut ejus stirpi regnum Navarrae assereretur, utque obviam iretur dissidiis et calamitatibus, quae tum ingruunt, cum de regno in incertum pendente certatur. Narrat ipse Pontifex ventilatam excussamque jusso suo fuisse eam rem ab omnibus viris toto orbe consultissimis, eosque sicut et illos, qui in

pensationem Regi Lusitaniae fuisse concessam ab Alexandro VI., et tertiam Henrico VIII., Regi Angliae, ad ducendam Catharinam, fratris sui defuncti uxorem a Julio II. Quam aegre tamen priscis temporibus hujusmodi dispensationes a summo Pontifice concessae fuerint, ex hoc ostenditur, quod talis gratia, ne scandalum oriretur in populo, fuit a Clemente VIII. denegata *Regi Poloniae* ad contrahendum matrimonium cum defunctae uxoris sorore, Archiducissa Austriae, licet illam postea concesserit Paul. V. 2. Sept. 1605; enumerantur quidem alii similes casus ab auctoribus usque ad saeculum decimum octavum, sed non super decem vel duodecim, et omnes cum principibus et nobilibus ex causa publica, vel quasi publica; quin etiam saeculi decimi octavi parte posteriori in multis casibus, quamvis graves causae adductae erant, tales dispensationes denegatas esse legimus.[1]) Hinc Pius VII., admonitus de nimia talium dispensationum frequentia, jam moribundus Cardinalem Prodatarium dicitur ad se arcessivisse, mandans, ut in hisce dispensationibus se difficiliorem praeberet, et Gregorius XVI. in Chirographo 22. Novembr. 1836 ad Prodatarium C. Pacca magno cum dolore conquestus est de crebrioribus dispensationibus in proximis consanguinitatis gradibus et *inprimis in primo affinitatis gradu*, ac timens ne relaxatio ex nimia benignitate oriens destrueret sanctam disciplinam, quae necessaria est *ad sanctitatem Sacramenti et ad servandam honestatem et pacem familiae et publicam salutem*, declaravit, in hac materia, inquantum fieri potest, restauranda esse principia a S. Conc. Trid. inculcata, neque alias, quam *canonicas causas*

Concilium Constantiense confluxerant, in id omnes consensisse, ejusmodi rem eam esse, in quam caderet dispensatio. Denique ab Episcopis regionis ipsius affirmatum constantissime sibi fuisse, non utilem tantum, sed et pernecessariam fore eam Canonum relaxationem, bellis innumerisque malis aliis praevertendis. Thomassin. Discipl. Eccl. Vet. et Nov. Discipl. p. II. l. III. c. 28. n. 10. — cf. Thesaur. resol. S. C. C. tom. 26. p. 268.

[1]) S. C. C. similem dispensationem denegandam esse censuit in Leod. dispens. 10. Maji 1755, in Pinnen. 29. Maji 1756, et in altera Leod. 22. Maji 1761. — Thesaur. resol. S. C. C. tom. 26. p. 158, 268, 275.

in posterum esse admittendas;[1]) propter quod plures Ordinarii nullam supplicationem dispensationis de hoc impedimento admittere decreverunt, nisi praeter illas causas, quae sufficiunt ad dispensationem in secundo gradu affinitatis, aliae extraordinariae allegari possunt, v. g. periculum *evidens* perversionis a fide, praesertim dum oratores in regionibus acatholicis vel mixtim cum acatholicis commorantur, vel periculum vitae aut mortis, ita quidem, ut periculum non ab ipsis oratoribus, sed, nisi matrimonium subsequatur, a cognatis unius alteriusve partis *cum certitudine* timeatur.[2])

II. In impedimento *Ordinis sacri* et *Voti solemnis* ad contrahendum matrimonium dispensatio a Pontifice dari non solet sine causa utilitatis publicae.[3]) Causa hujusmodi adesse censetur, si matrimonium hujusmodi impedimento ligati necessarium sit 1) pro conservatione alicujus regni, quia scilicet dispensandus est unicus illius haeres, 2) pro conversione regni aut provinciae, vel conservatione illius in fide, 3) pro extinguendo vel avertendo gravi bello, seu pro acquirenda, vel conservanda pace regni vel provinciae, 4) pro conservatione familiae valde nobilis, ne absque haerede deficiat.[4]) Post matrimonium contractum pro

---

[1]) Knopp. p. 228. Haringer. p. 257. Stapf. 349.

[2]) Stapf l. c. Ordinar. Mogunt. Litterae Circul. 22. Novembr. 1839. Nobilis Cameracensis. petens dispensari ad matrimonium cum sorore germana uxoris suae defunctae, adducens copulam carnalem et prolem ex ea susceptam, periculum inimicitiarum inter consanguineos utriusque partis, laesionem existimationis ipsius feminae, periculum, ne ipsa ad haereticos diverteret, haereticoque nuberet. Quo casu, si frater ipsius in bello contra regem Daniae obierit, diversa feuda ad haereticos devolverentur. His omnibus coram Nuntio Poloniae probatis, Sanctissimus mandavit, committi nuntio Coloniae, qui cum Oratoribus dispenset, ut matrimonium inter se contrahere possent, non obstante impedimento primi gradus affinitatis, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaret, mandavitque expediri Breve, in quo dictae causae exprimantur 20. Junii 1628. Pignat. tom. 8. cons. 106.

[3]) Sanchez lib. 8. n. 2 et 8. Corrad. lib. 8. c. 10. n. 29.

[4]) Reiffenstuel, Schmalzgr. Fagnani referunt paucos casus, in quibus Summi Pontifices etiam cum episcopis dispensasse dicuntur; sed omnes valde

reconciliatione sacerdotum, qui tempore politicae vel ecclesiasticae perturbationis in aliquo regno matrimonia contraxerunt, ut in iis revalidatis permanere possent nonnunquam dispensatum est, ex. g. in Anglia tempore Mariae, reginae post Henricum VIII. a Julio III.[1]) et in Gallia a Pio VII. perturbatione ingenti ad initium hujus saeculi iterum sedata.[2])

III. De *v.nculo matrimonii rati* similiter dispensari non solet, nisi ex causa publica, vel talis, quae in publicum bonum proxime redundat. Insuper plerumque difficillimum est, satis evidenter probare, matrimonium non esse consummatum. Benedict XIV. in Bulla „Dei miseratione“ a. 1741. statuit, quomodo de hac re sit procedendum.

IV. In impedimento *Criminis* considerandum est, an illud ortum sit ex eo, quod alteruter machinatus sit in mortem conjugis defuncti, an vero solum ex adulterio sine machinatione mortis. *Si primum,* et crimen illud sit publicum, pro foro externo nunquam dispensat Pontifex, ne aliis detur ansa machinandi in mortem; si vero sit occultum, dispensatur quidem super eo in s. Poenitentiaria, neque tamen nisi difficillime et urgentissima de causa.[3]) *Si secundum,* in eo pro foro externo dispensat Pontifex ex causa rationabili, v. g. si oratrix diffamata et innupta maneret, si scandala orirentur, et maxime, si matrimonium jam sit contractum. Pro foro interno, si crimen sit occultum, recurrendum est ad s. Poenitentiariam, quae dispensationem ordinarie committit confessario ab oratoribus eligendo.[4])

V. *In cognatione spirituali* distinctio est adhibenda; nam si orta illa sit ex compaternitate, h. e. inter levantem levatique parentes, facile dispensatio impetratur, modo subsit justa causa; si vero proveniat ex paternitate, olim dispensatio vel nunquam

---

dubii sunt, excepto casu Ramiri ex familia regia Arragoniae, quocum a Coelestino III. dispensatum esse traditur. Haringer 253.

[1]) Schmalzgr. t. 16. n. 146.

[2]) Haringer, p. 252. 253.

[3]) Corrad. lib. 8. c. 9.

[4]) Schmalzgr. l. c. n. 145.

vel difficillime obtinebatur,[1]) hodie autem facilius dispensatur.[2])

VI. In *disparitate cultus* difficillime vel nunquam dispensatur, nisi in regionibus, ubi Catholici vivunt inter Non-baptizatos, et etiam in his locis gravibus tantum causis in singulis casibus, in quibus dispensandum erit,[3]) h. e ex illis causis, quae sufficiunt ad dispensandum in secundo gradu consanguinitatis, cautelis insuper debite adhibitis.

VII. In impedimento *publicae honestatis ex sponsalibus de futuro* Pontifex dispensare solet pro foro utroque ex quavis rationabili causa; difficilior esse videtur dispensatio super hoc impedimento ex matrimonio rato; quod tamen raro obvenit.[4])

§. 54.

De cessatione dispensationis matrimonialis.

I. Jam innuimus dispensationem cessare vel invalidam fieri non tantum deficiente justa causa, ex parte dispensantis, sed etiam ex parte dispensationem *petentis*, falsam causam allegantis (obreptitie) vel id, quod exponendum fuisset, omittentis (subreptitie.) Sed reliquum est, ut speciatim de cessatione dispensationis in impedimentis matrimonii agamus. Hinc dicendum est:

1) Si causa aliqua in supplicatione expressa sit falsa, distinquendum est, num ea *impulsiva* tantum fuerit an vero *motiva* et *finalis*. *Si primum*, dispensatio valida est; *si secundum*, ex communi et certa sententia, ejus falsitate, quamvis per simplicitatem vel ignorantiam commissa sit, dispensatio redditur nulla; intelligendum autem hoc est, quando una duntaxat causa motiva seu finalis expressa sit; nam

---

[1]) Corrad. lib. 8. c. 8. n. 15.

[2]) Episcopis Americae facultas est dispensandi inter levantem et levatum. Kenrick theol. mor. t. 3. tr. 22. n. 214.

[3]) Kenrck l. c vide dicta de impedimento mixtae religionis.

[4]) Caute inquirendum est in tali casu, num forsitan praeter impedimentum publicae honestatis etiam obstet affinitas ex copula illicita.

plures allegatae sint, et una falsa, altera vera sit, dispensatio valet, si quaelibet seorsim sumpta sufficiens fuerit ad dispensationem impetrandam; secus autem, si nonnisi simul sumptae. Porro an causa allegata sit impulsiva tantum, an vero motiva, colligitur ex sequentibus regulis: a) si una tantum allegata sit, illa *motiva* censeri debet, b) si plures allegatae sint, in consilium adducendae sunt circumstantiae Rescripti, et maxime stylus et consuetudo Curiae Romanae, c) si, omnibus consideratis, remaneat dubium ex utraque parte aequale, ex principio, quod in dubio praesumendum sit pro valore actus, falso allegatam pro impulsiva tantum haberi plerique volunt.[1])

2) Veritas autem causarum finalium sive earum, quae principaliter movent Pontificem ad dispensationem, non modo tempore *executionis*, quo Ordinarius vel confessarius exequitur literas Romanas et gratiam dispensationis impertitur, perseverare aut existere oportet, sed etiam tempore *transmissionis* et *expeditionis libelli* supplicis; alias irrita erit dispensatio.[2]) Non autem requiritur, ut causa finalis perseveret tempore, quo Oratores post factam sibi gratiam dispensationis ea utuntur contrahendo matrimonium; nam impedimentum minime reviviscit jam relaxatum, etsi causa posthac cessaverit.[3])

II. Si *error* de aliis praeter causam irrepserit in libellum supplicem, distinguendum est, utrum sit de nomine et cognomine Oratorum, an de loco Oratorum, an de impedimento vel gradu illius. 1) Error *nominis* de stylo et praxi Curiae Romanae vitiat dispensationem, ut scilicet evitentur fraudes, quae ob mutationem nominis intervenire possent;[4]) sed si dispensatio

---

[1]) Schmalzgr. tit. 16. n. 152. S. Liguori. Theol. mor. lib. VI. n. 1131—1135.
[2]) Benedict. XIV. „*Ad apostolicae*“ 25. Febr. 1742. §. 5. Instruct. past. Eystett. p. 317.
[3]) Schmalzgr. cum plurimis. tit. 16. n. 164.
[4]) Corrad. lib. 7. c. 5. n. 4.

non obtineatur in Curia Romana, probabiliter dispensatio valida est. 2) Idem dicendum est in casu erroris de *loco* oratorum. 3) In casu erroris de impedimento interest, an error contingat in genere impedimenti, an tantum in numero graduum. Si in genere impedimentorum, ponendo affinitatem pro consanguinitate, et vicissim, dispensatio vitiatur; quia haec est strictae interpretationis et non extenditur ultra expressa; si in numero graduum, distinguendum est, an remotior ponatur pro propinquiore, an vice versa; si primum, iterum vitiatur dispensatio; quia in remotiore facilius dispensatur; si secundum, dispensatio valet, quia dispensatio in majori continet dispensationem in minori ejusdem speciei. (*Ita communiter* contra *paucos.*) — In gradu mixto remotior trahit ad se propinquiorem, nihilominus propinquior exprimendus est, et quidem sub poena nullitatis dispensationis, quando gradus remotior primum gradum attingit.[1])

III. Ex copula ab Oratoribus habita multipliciter dispensatio vitiari potest, scilicet

1) Si copula habita sit ex malitiosa intentione ad facilius obtinendam dispensationem, haec intentio sub poena nullitatis impetratae dispensationis annotetur.[2])
2) Si copula habita, sive sit publica, sive occulta, omnino reticeatur, *qualecunque* etiam impedimentum fuerit, de quo dispensatio petitur,[3]) dispensatio est nulla.
3) Si falso allegetur copula inter Oratores habita dispensatio pariter vitiatur.[4])
4) Si qui vero oratores post petitam dispensationem sive post illius expeditionem et ante respectivam executionem dispensationis carnalem inter se habuerint copulam, licet antea

---

[1]) Pius V. „*Sanctissimus*" 20. Aug. 1566. S. C. C. 18. Mart. 1722. Benedict. XIV. „*Etsi matrimonialis*" 30. Sept. 1755.

[2]) Benedict. XIV. „*Pastor bonus*" 13. Apr. 1755. §. 42.

[3]) Sententia, quae tenet, copulam habitam duntaxat esse exprimendam, si agatur de impedimento consanguinitatis vel affinitatis, non stat contra decl. S. C. C. apud Corrad. lib. 8. c. 1. Bened. XIV. l. c. §. 41.

[4]) Bened. XIV. Instit. 87.

non habuerint, dispensatio irrita et denuo in forma illarum, quas vocant litteras „*Perinde valere*“[1]) petenda est.[2]) — 5) Sicut autem oratores copulam inter se habitam fideliter notaverint, irrita tamen dispensatio est, (sive a Dataria, sive a Poenitentiaria, sive ab Ordinario vi quasi-privilegii concessa) *nisi sit in forma communi vel nobilium*, quando copula ante dispensationem executioni mandatam, *reiterata* fuerit.[3])

§. 55.

De duplici tribunali dispensationum.

I. Duo tribunalia Romae sunt constituta ad concedendas dispensationes nomine Apostolicae Sedis pro varia impedimentorum qualitate, scilicet *Dataria*[4]) et *Poenitentiaria.*[5]) Ad *Datariam* recurrendum est pro omnibus impedimentis notoriis aut quae in notitiam aliorum ventura praevidentur, aut quae sine infamia scandalo aliisque incommodis manifestari possunt. Ad S. Poenitentiariam recurrendum est pro dispensationibus et facultatibus,

---

[1]) J. e. nova gratia petenda est, ut Pontifex decernat, priores litteras ob copulam habitam irritas *valere, perinde* ac si copula secuta non fuisset.

[2]) S. C. C. 12. Jan. 1606 apud Corrad. lib. VIII. c. 1. et 5.

[3]) Corrad. l. c.

[4]) *Dataria,* ad quam etiam revocatur cancellaria et praefectura brevium. Nomen ducit probabiliter a *Datum* addendo ad litteras Apostolicas, et instituta est ceu peculiare tribunal sub finem saeculi XIII. A Bonifacio VIII. aucta est ejus jurisdictio, et ab Jnnocentio VIII. 1484, et ultimo a Benedicto XIV. distinctius definita et circumscripta, in Bulla „Gravissimum“ a. 1745. VI. Cal. Decemb.

[5]) *Poenitentiaria.* Jam medio saeculo III. presbyteri poenitentiarii ab Episcopis, ut ipsis assisterent in reconciliatione poenitentium, habiti esse traduntur, praesertim Romae, ad tres praecipuas basilicas. (Poenitentiarii minores). Poenitentiarii majoris origo ad ann. 684 reducitur, qui etiam mox jurisdictionem extensam exercuit in foro externo; sed per s. Pium V., Urbanum VIII. Jnnocentium XII. (1692 et tandem Benedictum XIV. in bulla „*Pastor bonus*“ ejus jurisdictio magis ad forum internum restricta et in singulis magis ordinata est. *Bangen* Curia Romana. Monast. 1854. p. 39.7 419

quae forum internum solum spectant sc. pro impedimentis occultis. — Rarissime quidem evenit, ut recursus ad haec Tribunalia ex hisce regionibus immediate sit habendus, cum Episcopis largae dispensandi facultates ob speciales rationes concessae sint a Sede Apostolica;[1]) sed cum stylus seu formae, quas haec tribunalia in petendo et exequendo dispensationes praescribunt, non sint vanae et superfluae, sed pertineant ad Ecclesiasticae disciplinae vigorem et canonicarum et apostolicarum constitutionum voluntatem servandam, minime superfluum erit, modum in Curia Romana requisitum dispensationem petendi et exequendi fusius exponere; namque vix dubitandum est, quin Episcopi ex delegatione dispensantes, ne periculum incurrant limites facultatis concessae excedendi, pariter ac curia Romana hoc munere perfungi debeant.[2])

[1]) In impedimentis impedientibus dispensant Episcopi ex consuetudine, exceptis votis castitatis perpetuae et ingrediendi religionem, in quibus etiam episcopi harum regionum ex speciali indulto dispensare valent. In haereticorum cum catholicis nuptiis etiam nostrates ex eadem venia dispensant, conditionibus tamen appositis, nec enim aliter licet. Datur facultas eodem indulto dispensandi super tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in secundo, tertio et quarto mixtis, et in secundo solo quoad praeterita matrimonia cum conversis ad fidem, et etiam pro sexaginta casibus super secundo, dummodo nullo modo attingat primum; sicut etiam pro totidem casibus super primo affinitatis gradu ex copula *illicita* per lineam collateralem sive rectam resultantis, dummodo nullam dubium subsit, quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita; insuper super impedimento cognationis spiritualis etiam inter levantem et levatum; et super disparitate cultus, gravibus tamen de causis in singulis causis, in quibus dispensandum erit et super impedimento publicae honestatis, justis ex sponsalibus proveniente et super impedimento criminis neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum. Plerasque has facultates communicant (ex speciali indulto Sedis Apost.) episcopi missionariis... Kenrick Theol. mor. III. p. 364. Insuper plerisque Episcopis Americanis, saltem in paucis casibus, facultas concessa est dispensandi in primo gradu affinitatis lineae transversae ex matrimonio orientis, et in secundo gradu consanguinitatis, tangente primum.

[2]) „*Libellus supplex* ad Nos dirigatur et pro casus diversitate plane eodem stylo concipiatur, quo ad Datariam aut ad Poenitentiariam scribendum esse diximus; et sicut in supplicatione... ita in *expediendis* quoque

II. *Dataria*, ut innuimus, dispensat regulariter in foro externo, Poenitentiaria in foro interno, hac tamen limitatione, ut Dataria nonnunquam dispenset etiam de occultis impedimentis, nunquam autem Poenitentiaria de notoriis. Benedictus XIV. in Bulla „Bonus pastor" haec habet: „At a dispensationibus concedendis super quocunque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro Conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis (Poenitentiaria) abstineat; in contractis vero matrimoniis, a dispensatione seu matrimonii revalidatione in gradibus primo et secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat; praeterquam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publici contraxerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint; in tertio et quarto gradibus occultis in contractis possit dispensare[1]). — Unde patet, dispensationes de consanguinitatis et affinitatis, (ex copula licita) et cognationis spiritualis impedimento semper etiam occulto, ante matrimonium contrahendum, et post contractum saltem in primo et secundo gradu petendas esse a Dataria. Porro Pontifex non *immediate* per Datariam dispensare solet, sed communiter dispensandi facultatem Ordinario vel Vicario Generali delegat, qui praevia cognitione, an preces veritate nitantur, auctoritate summi Pontificis gratiam dispensationis oratoribus, observatis observandis, cum effectu impertitur.

---

dispensationis Nostrae litteris, quantam fieri potest, in Curia Nostra modum et stylum Curiae Romanae observandum praescripsimus; unde in *executione* quoque tum Nostrarum, tum Sedis Apostolicae dispensationum una eademque forma locum habere debet." Instr. past. Eystet p. 334. conf. infra §. 60. annot.

[1]) Bulla „*Pastor bonus*" 13. Apr. 1744. §. 39, 40. Hinc dispensatio de hoc impedimento etiam ab Episcopo, qui ex delegatione dispensat, in foro externo peragenda esse videtur, quamvis impedimentum sit occultum.

III. Dispensatio a S. Poenitentiaria concessa, quamvis in foro interno valida, non valet in foro externo; hinc rescriptis s. Poenitentiariae, haec clausula additur: „Ita, quod hujusmodi dispensatio et absolutio in foro judiciario nullatenus suffragetur.“ Si igitur ab hoc tribunali de aliquo impedimento occulto dispensatum fuerit, postea autem, illud evulgetur, nova dispensatio a Dataria seu ab Episcopo in foro externo obtineri oportet. Econtra dispensatio a Dataria concessa, si in se valida, valet pro utroque foro; si autem ea invalida fuerit ex occulto defectu, ea revalidari potest a. s. Poenitentiaria. Hinc, quando petita, prius dispensatio a Dataria laboret defectu obreptionis vel subreptionis, vel in causa non expressae copulae, aut intentionis facilius impetrandi dispensationem, recurritur ad s. Poenitentiariam; excipe tamen, si dispensatio defectuosa fuerit ex falsa allegatione copulae, quae antea revera non intercesserat [1]). — Porro, si oratores pluribus impedimentis sint irretiti, uno notorio, altero occulto, in supplicatione ad Datariam occultum, si sine infamia revalari non potest, non est exponendum, in supplicatione autem ad s. Poenitentiariam, ut valide dispensetur de occulto, etiam notorium, de quo dispensat Dataria, proponi debet. —

§. 56.

De modo petendi dispensationem a Dataria seu in foro externo.

I. Modus scribendi ad Datariam et petendi dispensationem pro foro externo juxta stylum Curiae exacte observari debet, ne rescriptum ex defectu eorum, quae exprimenda erant, quamvis ex ignorantia omissa fuissent, vitietur. Generatim dicendum est:

---

[1]) Benedict. XIV. Inst. eccles. 87. „Quare si quis ob hanc falsitatem impetravit dispensationem in quocunque gradu consanguinitatis vel affinitatis, ad Datariam se convertere debet, novamque ex ipsa dispensationem exposcere“; vide etiam Bullam „Pastor bonus“. §. 41, 42.

1) Litterae supplices immediate ad summum Pontificem dirigantur.
2) Exprimenda sunt nomina et cognomina oratorum; item dioecesis, et quidem utriusque, si sint ex diversis dioecesibus, et locus habitationis, praesertim, si ob angustiam loci dispensatio petatur[1]).
3) Exprimi debet genus et species impedimenti, super quo dispensatio petitur; quando impedimentum ex copula provenit, juxta stylum Curiae impedimentum ante causam, in reliquis motivum ante impedimentum referatur.
4) Si oratores pluribus impedimentis sint irretiti, singula, etiam occulta, quae sine infamia exponi possunt, et non modo dirimentia, sed etiam impedientia, perspicue proponi debent; etiam id, in quo Episcopus dispensat, nisi ab Episcopo dispensatum fuerit, antequam litterae Romam mittantur[2]).
5) Causa vera et legitima dilucide exponenda est, neque alligando falsum neque reticendo verum.
6) Praecipua ad copulam inter oratores habitam ratio est habenda juxta supra dicta.

II. Ubi dispensatio in *matrimoniis de facto jam junctis* a. S. Apostolica imploratur, praeter impedimentum, quo laborant, insuper addendum erit:

1) Utrum orator uterque vel alter tantummodo bona fide matrimonium contraxerit, necne.
2) Num uterque vel alter eo consilio matrimonium contraxerint, ut facilius dispensetur, annon.
3) Num matrimonium clandestine, et sine proclamationibus, absque dispensatione Episcopi, celebratum fuerit; dein an consummatum sit necne.
4) Num illi, qui bona fide contraxerunt, ab ejusdem usu abstinuerint, cognito impedimento.

III. Si dispensatio petitur de impedimento consanguinitatis,

---

[1]) Corrad. prax. disp. lib. 7. c. 5. Inst. Past. Eyst. p. 318.
[2]) Sanchez. lib. 8. disp. 23. n. 2.

affinitatis, publicae honestatis et cognationis spiritualis, sequentia de singulis speciatim sunt animadvertenda, videlicet

1) In supplicatione dispensationis de consanguinitate

a) gradus et linea consanguinitatis [1]), addito consanguinitatis schemate, (vide supra) praecise exprimatur.

b) Si consanguinitas *multiplex* sit, hoc notandum est, scilicet si ex patre in secundo, ex matre in tertio gradu oratores invicem juncti sint.

c) In gradu mixto, etiam propinquior distantia explicari debet, si remotior primum gradum attingit, sub poena nullitatis: secus nova quidem dispensatio non requiritur, ut valide matrimonium ineatur, sed ut licite contrahatur, *litterae declaratoriae* a Dataria petendae sunt.

d) Non sufficit, exponere numeros, sed ratio cognationis specialiter exprimi debet; v. g. quia conjuncti sunt in primo et tertio consanguinitatis gradibus ex communi stipite, exinde quod orator sit patruus magnus seu avunculus magnus oratricis vel quod oratrix sit amita seu matertera magna oratoris.

2) Si agitur de impedimento affinitatis notari debet

a) gradus et linea, num recta, vel transvera, aequalis, an inaequalis, an tangens primum gradum;

b) num sit affinitas simplex vel multiplex v. g. si sponsus copulam habuerit cum duabus sororibus sponsae,

c) an affinitas provenerit ex copula licita an illicita, saltem in primo et secundo gradu.

3) In exponendo impedimentum cognationis spiritualis necessario exprimendum est

a) an ea sit paternitas (inter levantem et levatum) an compaternitas (inter levantem levatique parentes),

b) an sit duplex, necne, v. g. si quis alicujus prolem unam

---

[1]) Phrasin stylo Curiae propriam adhibendo, qua consanguinei in suo gradu dicuntur *invicem conjuncti*, affines vero se invicem attinere. Inst. past. Eyst. l. c.

levavit ex sacro fonte, et eandem in confirmatione tenuit; aut si unus alterius liberos vicissim levat.

4) In petendo dispensationem de impedimento publicae honestatis exprimi debet
   a) utrum ortum sit ex sponsalibus de futuro, an vero ex matrimonio rato;
   b) si ex matrimonio rato, exponendus est gradus,
   c) si de sponsalibus de futuro, exprimi debet, quomodo sponsalia dissoluta fuerint v. g. ex mutuo consensu, per mortem alterius partis, per ingressum in religionem etc.[1])

§. 57.

De executione dispensationum Datariae seu in foro externo.

I. Bulla vel Breve dispensationis ordinarie mittitur exequenda ad Oratorum Episcopum vel ejus Vicarium generalem, et Ordinarium quidem vel Vicarium oratricis, si oratores ex diversa dioecesi sint oriundi. Si litterae committuntur Episcopo, Vicarius eas exequi non potest,[2]) nec econtra, quia est specialis delegatio. Si in commissione exprimatur sola dignitas executoris, sine ejus nomine, ea transit ad ejus successorem; secus, si nomen exprimatur. Executor, obtentis litteris Apostolicis in Originali, debet

1) diligenter se informare, super causa dispensationis, et sub poena quidem nullitatis[3]), sufficit autem cognitio causae extrajudicialis;

---

[1]) Corrad. lib. 8. c. 7. n. 25.

[2]) Benedict. XIV. lib. 2. c. 9. n. 3. Schmalzg. tit. 16. 217. etc. Corrad. l. 7. c. 4. n. 11, 12. Inst. past. Eyst. p. 326. „Vicarius Generalis sede Episcopi vacante non potest exequi dispensationes petitas ante obitum Episcopi, nequidem si ipse Vicarius generalis electus fuerit in Vicarium capitularem" S. C. C. 24. Maji. 1621. Sede vacante plerumque dispensatio committitur ordinario aut Vic. Gen. vicinae dioeceseos.

[3]) Benedict. XIV. *Apostolicae servitutis* 10. Mart. 1742. in Inst. p. Eyst. p. 326. Alii distinguunt inter Clausulam: „Si ita est", et aliam. „Si

2) debet oratores absolvere a censuris, praesertim si dispensetur super impedimento Consanguinitatis et Affinitatis primi et secundi gradus, copula antea habita, quia illi incurrunt excommunicationem per Constit. Gregor. XIV. „*Sicut antiquus*“, Cal. Mart. 1590. editam; ab aliis absolvitur tantummodo ad effectum obtinendae dispensationis [1]).
3) Dispensans intuitu dispensationis non potest quidquam, etiam sponte oblatum accipere, sub excommunicatione latae sententiae. Notarius tamen pro examinandis testibus et aliis informationibus accipere potest quartam partem aurei [2]).
4) Si examinatis litteris, et veritate precum, nullum appareat dispensationis impertiendae obstaculum, Executor pronuntiabit suam sententiam, qua declaret in scriptis, preces esse verificatas, et dispensabit juxta formam rescripti [3]); dispensatio illa accurate describatur, ac conservetur ad probandam canonicitatem matrimonii.

II. Si vero dispensatio concedatur in forma pauperum, praeter dicta insuper haec particularia sunt a delegato sub poena nullitatis observanda:

1) Parocho oratorum ante omnia mandabit, ut oratores separentur, ne ipsi in peccato perseverent; de qua quidem separatione parochi in actis fidem exhibere tenentur; si durante hac separatione, vel ante obtentum decretum hujus dispensationis oratores denuo se carnaliter cognoverint, opus est, ut diximus, nova dispensatione seu „*Perinde valere*“ [4]).

---

preces veritate niti repereris“; in primo casu dispensationem validam habent, dummodo res ita sit, sine investigatione; secus, in secundo. Schmalzg. l. c. n. 22. Knopp. 499.

[1]) Schmalzg. l. c. n. 221.

[2]) Corrad. lib. 7. c. 6. n. 14. 15. Ratio est, ne judex muneribus excoecatus inique dispenset. Sanch. l. 8. d. 35. n. 13.

[3]) Commissa dispensationis executio subdelegari non potest; Corrad. lib. 7. c. 6. n. 40. Intelligendum autem hoc est de ipso ministerio dispensationis: nam pro capienda informatione necessaria Executor alios subdelegare potest. Corrad. l. c. n. 41.

[4]) In hoc differt dispensatio in forma communi a dispensatione in forma

2) Arbitrio delegati oratoribus imponatur publica poenitentia, quae communitati palam innotescat, absque tamen ulla solemnitate. Poenitentia peracta juramentum ab oratoribus exigitur, quod incestus reatum non perpetraverint sub spe facilius impetrandae dispensationis [1]).

3) *Gratis omnino dispensetur;* secus non tantum incurritur excommunicatio, sed insuper *dispensatio irritatur* [2]).

4) Hisce peractis et fide per parochi testimonium desuper facta, devenitur ad decretum dispensationis per litteras publicas concedendum; hoc decretum, ut supra, ad acta parochialia reponendum et in libro matrimoniali annotandum est [3]).

§. 58.

De dispensationibus S. Poenitentiariae seu in foro interno.

I. S. Poenitentiaria nunquam dispensat, nisi apposita clausula. „Dummodo impedimentum sit *occultum*, vel *omnino occultum.*" Hinc, ne quis erret, an casus, de quo agitur, sit occultus an publicus, debet advertere, *omnino* occultum ex stylo Poenitentiariae dici illud, quod a nemine scitur, (praeter oratores et confessarium), *occultum* vero, quod a tam paucis scitur, ut neque sit *famosum* neque *manifestum,* neque *notorium* facti vel juris.

Adest autem

1) *notorietas facti,* quod per testes, omni exceptione majores, et juxta quantitatem loci [4]) per plures aut pauciores

---

pauperum, quod, si in priore oratores copulam ante habitam in libro supplici aperuerint, dispensatio non irrita est, copula de novo subsequente; si autem ante petitionem non habuerint copulam, sed postea, antequam dispensetur, tunc etiam in forma communi dispensatio vitiatur.

1) Inst. p. Eyst. l. c. Haringer p. 296. Oratores insuper si ex propria causa cognoverint, ob copulam habitam dispensatum fuisse cum ipsis, *sub juramento* sunt obligandi, ne aliis hoc unquam aperiant, aut tale consilium dent.

2) Schmalzg. l. c. n. 241.

3) Inst. p. Eyst. l. c. Corrad. lib. VIII. c. 6.

4) Res adhuc est occulta, si res nota sit duobus vel tribus alicujus loci; item si quinque vel sex personis in aliquo *oppido* vel septem aut octo in *civitate* nota sit. Benedict. XIV. Inst. 87. Strictior igitur in stylo S. Poenit. vox „occultum" sumenda est, quam communiter sumitur.

probari queat. *Notorietas juris* per sententiam judicis habetur.

2) Manifestum est, quod non tam facile per testes immediatos probari potest; hinc, ut aliquid sit manifestum, pauciores testes in communitate viventes requiruntur; *manifestum* igitur regulatur, quoad loci quantitatem a *notorio*; si enim *notorium* requirit in aliquo loco scientiam v. g. decem hominum, manifestum expetet quinque; si *notorium* quindecim exigit, *manifestum* admittit septem [1]).

3) *Famosa* autem dicitur res, in conjecturis quidem posita, sed adeo divulgata, ut ejusmodi publica opinione neglecta magnum inde in jungendis nuptiis scandalum oriatur.

4) Si impedimentum *formaliter* sit occultum, materialiter tamen manifestum, h. e. si publicum sit ut delictum, occultum tamen in ratione impedimenti inde provenientis, s. Poenitentiaria in eo non dispensat, quia haec est ignorantia juris, quae non excusat ad hunc effectum [2]).

5) Impedimentum, quod quidem cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, occultum tamen est, ubi contrahentes degunt, et ubi dispensatio ipsa conceditur, nonnunquam [3]) occultum censendum est; item impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri potest; in dispensationibus matrimonii decennium ad hoc sufficit [4]).

II. In libello supplici ad impetrandam a s. Poenitentiaria dispensationem non quidem omnia, potiora tamen exprimi necesse est, quae in supplicatione ad Datariam pro foro externo exponenda sunt; videlicet:

---

1) Knopp. p. 467. Inst. past. Eyst. p. 323.

2) Benedict. XIV. instit. 87.

3) Benedict. XIV. l. c. 87. §. *secundo inquirunt.* — Si timor haud levis aderit, ne impedimentum, pro tempore occultum, postea publicum coram foro externo probandum evadat, jam ab initio ad Datariam recurrendum est, utpote quae de occultis etiam impedimentis dispensare valeat pro utroque foro, praesertim, si impedimentum ex delicto infamante non oriatur. Inst. past. Eyst. p. 330.

4) Alii negant omnino.

1) Litterae supplices non immediate ad Pontificem, sed ad summum Poenitentiarium, qui semper est S. R. E. Cardinalis, diriguntur.
2) Non exprimuntur vera nomina et cognomina, sed ficta, ex. g. Titius, Caja etc. nec nomen dioecesis, aut domicilii eorum, sed tantummodo domicilii illius, qui procurat dispensationem.
3) Non est necessarium, exprimere gradum propinquiorem, nisi sit primus, si oratores inaequaliter distent.
4) Necessario fit mentio copulae, et an exercita cum spe, facilius obtinendi dispensationem, in tantum, in quantum supra de Dataria diximus.
5) Ipsum autem impedimentum in specie est exponendum, et si plura adsint, omnia sunt explicanda, etiam publica, de quibus tamen dispensatio in Dataria petenda est, debent exprimi, quia, si duplex obstet impedimentum, difficilius concedit s. Poenitentiaria etiam dispensationem super occulto solo.
6) Necessario alleganda est justa causa. Plerumque etiam scandala secutura, si timenda sint, ob copulam praecedentem vel etiam ob matrimonium jam contractum, nisi dispensetur, adduci solent.
7) Declarandum, utrum matrimonium sit contrahendum, an jam contractum, et si ita, num contractum fuerit juxta formam Conc. Trident., bona vel mala fide, etc.
8) Si unus tantum conjugum fuerit impedimenti conscius, non ambo, sed *solus* reus supplicet.
9) Addendum, an impedimentum modo utrique conjugi sit notum.
10) An proles suscepta, et a quo tempore sint in matrimonio.
11) De singulis impedimentis particularia sunt exponenda, sicut supra in supplicatione ad Datariam.
12) Locus, ad quem responsum dirigendum, clare indicandus est[1]).

[1]) Si petitur dispensatio in foro interno ab Episcopo, *non* indicandum est, an oratores *parochiani* sint, necne; praesertim, si impedimentum omnino sit occultum.

§. 59.

De executione dispensationum s. Poenitentiariae seu in foro interno.

I. S. Poenitentiaria solet dispensationes pro foro interno dirigere ad Vicarium Generalem illius dioecesis, ubi degit procurator dispensationis; ad ipsum igitur litterae dispensationis a Vic. Generali mittuntur, ut oratores de facultate sibi allata certiores redderet, quaerendo, quem confessarium pro ea expedienda elegerint; electo dein huic confessario, qui et ipse procurator esse potest, litterae sunt tradendae, ut eas aperiat, et munus sibi commissum debito modo adimpleat, in dispensatione rite examinans clausulas appositas, ex quibus praecipuae sunt:

1) „*Si ita est, si preces veritate nitantur.*“ Vi hujus clausulae indagandum est sedulo, an matrimonium in facie Ecclesiae sit contractum, an impedimentum sit occultum, an ex separatione scandalum sequatur, demum an causa finalis subsistat. Si examen hoc omittatur, et preces veritate nitantur, dispensatio adhuc valida erit, nisi clausula sequens litteris inserta legatur: „*Quatenus si ita esse per diligentem oratoris examinationem inveneris*“! nam haec clausula irritat dispensationem, si examen praetermittatur, quia tanquam conditio requiritur.[1])

2) „*Audita prius sacramentali confessione.*“ Hinc certum est, quod hodie *ad valorem dispensationis* ante executionem confessio sacramentalis electo executori facienda requiratur tanquam conditio, tametsi poenitens a peccatis suis jam fuerit absolutus nec peccati gravis de facto sibi conscius sit.[2]) Dispensatio tamen valida erit, etiamsi contingat, poenitentem sacrilege confessum esse et absolutionem recepisse; quodsi confessarius advertat poenitentem ex sua dispositione a peccatis absolvi non posse, curare debet, eundem rite disponere, vel si disponi nequeat in praesenti, una cum ab-

---

[1]) Instr. past. Eyst. p. 328.

[2]) Benedict. XIV, instit. 87. §. „*Disceptabant olim.*“

solutione a peccatis differenda est etiam dispensatio, nisi urgens causa aliter suadeat.[1])

3) „*Sublata occasione peccandi.*“ Intelligitur occasio *voluntaria* et *proxima*; si vero occasio sit necessaria, auferri debet saltem ex animo, atque ex proxima fieri remota.

4) „*Injuncta gravi poenitentia salutari.*“ Per sententiam *salutarem* ex stylo Curiae intelliguntur opera personae, aetati, conditioni et sexui convenientia; per poenitentiam *gravem* et *longam* orationes, eleemosynae, jejunia aliaeque corporis afflictiones ac spiritualia exercitia per hebdomadem saltem repetita juxta gravitatem delicti et ad spatium unius anni protracta; per poenitentiam *gravem* et *diuturnam* poenitentia trium saltem annorum; per *gravissimam* et *perpetuam*, quae per totam vitam poenitentis perseverat, communiter intelligitur. Hinc rosarium genibus flexis qualibet hebdomade semel recitandum poenitentia gravis judicatur; si vero corolla Mariana ter intra hebdomadem sit persolvenda, gravissima censetur. — Si adjungitur „*sacramentali confessione singulis mensibus semel vel quoties tibi videbitur*“, haec conditio nunquam praetermittenda est a Confessario;[2])

5) „*Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur.*“ Unde, si impedimentum fiat publicum, ad scandalum vitandum conjuges sunt separandi, donec pro ipso foro externo obtineatur dispensatio. Secrete tamen illi ut conjuges haberi possunt.

6) „*Praesentibus laceratis sub poena excommunicationis latae sententiae.*“ Haec laceratio saltem intra triduum ab executione vel a matrimonio celebrato facienda est; sed conjugio nondum inito ipsa dispensatio vel ejus transsumptum erit occultissime servandum, ubi fuerit opus.

II. Clausulae speciales, quae omnino specificari debent ad dispensandum in jam *contracto* matrimonio, hae sunt:

---

[1]) Inst. past. Eystett. l. c. Declaratio S. Poenitent. ap. Compans l. 1. n. 274.

[2]) Benedict. XIV. Instit. 87. §. „Si dispensatio.“

1) „*Si separatio fieri non possit absque scandalo.*“ Haec clausula agitare non debet confessarium, cum vix in praxi aliter res esse possit.

2) „*Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii*, „*sed ita caute, ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.*“ Quodsi Confessarius videat, hanc conditionem difficillime esse implendam, id ab initio exprimat, vel postea scribat, ut obtineat dispensationem in radice.

3) „*Uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala contrahere valeat,*“ h. e. sine praesentia parochi et testium, si antecedenter coram parocho et testibus matrimonium inierunt [1]).

4) Saepius apponitur „*Ab incestu usque ad praesentium executionem forsan iterati reatibus auctoritate Apostolica absolvas*“; vi hujus clausulae confessarius etiam iteratum incestus peccatum remittere potest, quod alias sine hac clausula dispensationem irritam redderet [2]).

III. Convessarius vero, cui commissa est dispensationis executio, in dispensando, absolutione sacramentali impertita, hac formula uti poterit: „Et insuper auctoritate apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento *primi* (seu *secundi*, seu secundi et primi) gradus affinitatis, proveniente ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contraxisti (aut contrahere intendis) ut matrimonium cum illa (rursus) contrahere possis, (renovato consensu) et prolem, si quam suscipies (vel suscepisti) legitimam declaro, in nomine Patris etc. — Passio Domini etc.[3]) „Aut brevius“ Auctoritate apostolica dispenso tecum super impedimentum, quod incurristi, ut matrimonium inire (vel initum perficere) valeas, et legitimam reddo prolem susceptam (vel suscipiendam) in nomine Patris etc. Passio Domini nostri Jesu Christi etc.“ [4]).

---

1) Inst. Past. Eyst. p. 331.
2) Inst. past. Eyst. p. 332.
3) S. Lig. Homo Apost. de matr. c. 2. 7. n. 89.
4) Gury, n. 1561.

§. 60.

De modo dispensationes procurandi, concedendi et exequendi in his Provinciis Americanis.[1])

I. Hactenus modum dispensationes petendi et exequendi juxta stylum et normam Curiae Romanae exposuimus; quia autem Episcopi in hisce provinciis amplas habent facultates dispensandi facultates ex delegatione speciali, rarissime eveniet, ut appli-

[1]) Ex clausula, sub qua potestas dispensandi a Papa Episcopis concedi solet, infertur, non sufficere, si *oretenus* tantum dispensaret Episcopus, sed necesse est, ut in scriptis expediatur, scriptaeque dispensationi inseratur 1) Potestas, seu facultas delegata, 2) tenor hujus facultatis, 3) tempus quousque se extendat haec facultas; alias enim dispensatio non tantum illicita, sed etiam invalida foret, juxta clausulae verba: „alias nullae sint." — Reiffenst. append. §. 2. n. 23. 24. „Quaenam in supplicatione ad Episcopum debeant exprimi ad obtinendam dispensationem *pro foro externo?* R. 1). Debent in illa exprimi, quae necessario exprimenda diximus in supplicatione ad Curiam Romanam, videlicet nomen et cognomen Oratorum, nomen dioecesis, et etiam parochiae; et reliqua compendiose relata supra... 2) debet etiam specialiter attendi, ne committatur falsitas circa causam finalem, seu motivum et principalem; item ne fiat error circa impedimentum, aut gradum, vel nomina Oratorum. Sicut enim litterae dispensationis Pontificiae vitiantur et nullae sunt ob dictam falsitatem et errorem, ita etiam dispensatio per Episcopum facta...

Quamvis ad concipiendam supplicationem pro obtinenda dispensatione apud Episcopum in ordine ad forum internum, nullus certus necessarius sit modus, sed suscipi et attendi soleat in quacunque forma offeratur, dummodo necessario exprimenda rite, veridice et reverentialiter proponantur, teste Curiarum Episcopalium praxi, tamen optimum ac securissimum est, in supplicationibus eum adhibere modum et formam, qui adhibetur, dum supplicatur Papae, quia non potest non esse bonus et securus modus, quem Romana Curia continuo approbat. — Reiffenst. append. §. 9. n. 493, 494, 495.

Omnino suadetur, ut dispensatio etiam pro foro interno non nisi *scriptis*, in debito curiae conformi stylo, clausulis debitis munita forma idque ad praecedentem supplicationem in scriptis debite formatam, et oblatam ab Episcopo fiat, praesertim quia agitur de valore Sacramenti, qui a valore dispensationis dependet... Ratio est, quia periculosum est, dispensationem concedere, nisi casus et preces prius bene perpendantur,

catio facienda sit immediate ad Datariam vel s. Poenitentiariam, sed potius ad Episcopum Dioeceseos, qui tam de publicis, quam de occultis impedimentis fere cunctis, in quibus Dataria et Poenitentiaria dispensare potest et solet, dispensandi habet facultatem. Sed, ut jam supra diximus, Episcopi, qui dispensant ex facultate delegata, ne excedant limites delegatae potestatis, quoad fieri potest, stylum et formas Curiae Romanae observare debent et solent; unde ad sequentia attentio dirigenda esse nobis videtur:

1) Praeprimis etiam in hisce regionibus distinguendum semper erit inter impedimenta publica seu notoria, et occulta; sicuti exposuimus §. 58. n. I.
2) In litteris supplicibus pro dispensatione super impedimentis publicis idem observandum erit, quod diximus de dispensationibus a Dataria petendis, §. 56.
3) Si agatur de impedimentis occultis, modus dispensationem petendi a s. Poenitentiaria, quem dedimus §. 58, II. et seq., sequendus est.
4) Idem dicendum erit de modo executioni dandi dispensationem; i. e. executio dispensationis peragi debet, uti exposuimus §. 57. in publicis, et §. 59. in occultis impedimentis.
5) Litterae supplices ad Episcopum immediate dirigantur, sive agitur de publicis, sive de occultis impedimentis; quia Episcopus habet ex Apostolica delegatione facultatem dispensandi in utroque foro[1]).
6) Quae annotavimus in §. 54. de cessatione dispensationis, praesertim ob copulam inter Oratores (ante et post petitionem) habitam, valde perpendenda sunt; conf. etiam §. 57. II.

---

iisque justis repertis, dispensationi clausulae debitae apponantur; atqui neutrum horum commode fieri potest, si oretenus tantum, et non in scriptis supplicatur et dispensatur. Reiffenst. app. §. 10. n. 511, 524.

[1]) Sed valde desiderandum esse videtur, ut in amplis praesertim dioecesibus Episcopus alios adhibeat officiales in dispensationibus de publicis, et alios de occultis impedimentis, quia aliter secretum in occultis impedimentis aliquando vix servari potest.

7) Ut cognoscatur, causae ad obtinendam dispensationem allegatae *justitia*, ea, quae diximus §. 51, §. 52, et §. 53. attente consulenda sunt.

II. Praeterea parochus vel sacerdos missionarius caute et prudenter procedere debet, quando ipsum adierint nupturientes aliquo impedimento ligati; prae cunctis ipsi attendendum erit:

1) utrum spes adsit impetrandae dispensationis tum propter naturam impedimenti, tum propter conditionem causarum, quas afferre solent.

2) Quodsi causas insufficientes invenerit, jam hoc aperte declarabit, quin tamen ullo modo indicet, praesertim quoad causas inhonestas, quae sint causae sufficientes; atque illos pro officii sui obligatione admoneat, ut potius se submittant Ecclesiae, impedimenta hujusmodi statuenti, quam sola naturali inclinatione aut saeva libidine victi, dispensationem pro ineundo inter se matrimonio expetant, cum experientia doceat, ejusmodi matrimonia ad eventus haud prosperrimos esse deducta, ubi causae dispensationis allatae pura et recta intentione fuerunt destitutae.[1])

3) Si sufficientes causae ipsi videantur, oratores admoneat, spem quidem impetrandae dispensationis adesse, nullam tamen fore gratiam impetratam, nisi preces veritati nitantur.

4) Denique, si salva conscientia, sine respectu ad lucrum vel favorem supplicantium, omnibus bene perpensis legitime dispensari posse censeat, tunc in libello supplici facti speciem nitide ac sincere exponat, caveatque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alteret ac immutet, sed stricte adhaereat illis, quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineat, ne quid falsi aut ficti ex proprio ingenio inventum ad gratiam facilius obtinendam obtrudat cum animae suae detrimento.

5) Insuper caute moneat oratores de iis, quae diximus supra de copula inter illos ante vel post petitionem habita.

---

1) Instruct. past. Eyst. 332.

II. De revalidatione matrimonii invalide contracti.

§. 61.

1) Ob defectum naturalem consensus.

I. Matrimonium invalidum esse potest 1) ob defectum naturalem consensus, 2) ob defectum formae praescriptae, 3) ob inhabilitatem partium. — In casu primo certum est: 1) matrimonium invalidum ob solum defectum naturalem consensus, scilicet si matrimonium ex errore, aut per vim et metum aut per simulationem initum fuerit, revalidari posse per simplicem consensus veri positionem; 2) requiri renovationem consensus utriusque partis, si utraque non vere consensit; et saltem illius, qui non consensit, si unicus sit.

II. Controvertitur, an consensus ab utroque debeat renovari, si unus tantum ficte vel coacte consenserit. — Prima sententia affirmat. Ratio hujus sententiae est 1) quia, cum nullus eo casu contractus fuerit, deficiente consensu metum passi vel ficte consentientis, nullus etiam fuit consensus alterius; 2) Clemens VIII., a quo super hac re consilium petitum fuit, expendens primum illum consensum pertinuisse ad materiam, neque legitimam, neque idoneam, respondit pro matrimonii confirmatione novum consensum ab utroque conjuge esse tribuendum, ab eo nempe, qui matrimonium per vim contraxit, et simul ab altero, qui vim ejusmodi ignorans ultro ac libenter eodem se matrimonio illigavit. Insuper adjecta fuit ea conditio, ut maritus, qui jam libere consenserat, prius moneretur, irritum fuisse matrimonium, eo quod uxor ad assentiendum coacta fuerit, cum primo celebratae sunt nuptiae.[1])

Secunda tamen sententia docet, sufficere, quod tantum ficte consentiens vel metum passus suum ponat consensum, eaque

---

[1]) Hoc Pontificis responsum *Comitalus* (lib. 1. resp. Moral. quaest. 120) ac Pontas (de matrim. lib. 4. c. 24. n. 4.) fuse commemorant. — Benedictus XIV. Instit. eccles. 87. §. *Difficilius se res habet.* Schmalzgr. tit. 16. n. 268. Reiffenstuel. append. n. 607. Instruct. past. Eyst. p. 335. Knopp.

vocatur a S. Liguori communis et verior; eandem expresse tenet S. Thomas.[1]) Ratio est, quia certum est, quod in contractu matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius; ergo, cum jam praecesserit verus consensus alterius et virtualiter perseveret per cohabitationem, satis est, quod accedat consensus istius metum passi vel ficte consentientis, expressus aut per verba, aut per signa, nempe per copulam maritalem aut voluntariam cohabitationem.[2]) Nec valet dicere, quod consensus alterius, qui liber fuit a metu vel fictione, fuit nullus, cum nullus adfuerit contractus; nam respondetur, quod, licet contractus fuerit nullus, et consensus illius non habuerit effectum, tamen fuit verus consensus, et ideo, cum ipse moraliter perseveret, satis est ad revalidandum matrimonium, quando accedit consensus alterius. Neque obstat timor, ne pars, quae liberum consensum praestitit, si rursus esset requisita de novo consensu, forte illum negaret; nam hic interpretativus dissensus non est verus dissensus, sed interim consensus olim impertitus jam perseverat.[3]) Ad objectionem ex declaratione Clem. VIII. respondetur ab auctoribus hujus sententiae 1) quod in illo casu particulari impedimentum, licet occultum, erat obnoxium periculo publicationis; 2) quod Pontifex vel respondit tanquam doctor privatus, vel sententiam tutiorem est secutus; 3) quod de praefata declaratione non satis constat.[4]) — Pro praxi tamen, quia cum agitur de sacramento, non licet, sententia tutiore relicta, probabiliorem minus tutam sequi, primam sententiam uti tutiorem esse tenendam, quod ejus fieri potest sine magno damno, vix potest dubitari.[5])

III. Ad revalidationem hujusmodi matrimoniorum non requiri

---

[1]) supplem. quaest. 47. art. 4. ad 2.

[2]) S. Liguori. n. 1114. Sanchez. lib. 2. disp. 36. n. 3. Laymann. de matr. c. 6. n. 1. Bossius, de matr. c. 2. n. 38. Gury, 1563. Haehnlein. Princ. Th. mor. p. 745.

[3]) S. Lig. l. c.

[4]) S. Lig. n. 1110.

[5]) Benedict. XIV. l. c. Gury, l. c. Haehnlein, l. c.

praesentiam parochi et testium in illis locis, ubi Decretum Conc. Trid. de clandest. non viget, per se patet; sed in locis, ubi illud decretum receptum est, distinguendum erit, videlicet:

1) Si nullitas matrimonii ex defectu consensus orta publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus coram parocho et duobus testibus, omissis tamen proclamationibus, praebeatur, etsi prius conjuges in facie Ecclesiae matrimonium jam inierint.[1])

2) Si matrimonium celebratum fuit coram parocho et duobus testibus, et defectus legitimi consensus *occultus* servatur, tunc novus consensus clam inter contrahentes est praestandus, nec amplius parochus duoque testes requiruntur.[2])

§. 62.

2) De revalidatione matrimonii irriti ob defectum formae praescriptae.

I. Constat, matrimonium clandestinum in locis, ubi Conc. Trident. viget, esse irritum ex defectu formae praescriptae a Concilio Trid.; de hoc defectu S. Pontifex potest quidem dispensare, sed vix unquam talem concedit dispensationem; unde in casu matrimonii ex hoc defectu irriti semper urgendum est, ut conjuges se sistant coram parocho, vel alio ab ipso vel Episcopo delegato sacerdote et duobus testibus ad revalidandum matrimonium vel *publice* vel *occulte*, prout nullitas matrimonii publica aut occulta fuerit. Ratio est, quia in priori casu scandalum est removendum, in posteriori vero praecavendum et fama sponsorum servanda.[3])

II. Si autem una pars renuat contrahere coram parocho, debita cum prudentia et in caritate instruatur; et quatenus adhuc renuat, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more;

---

[1]) S. C. C. 16. Dec. 1634; 30. Sept. 1719.

[2]) S. C. C. 20. Jul. 1609; Benedict. XIV. institut. 87. §. *Magno studio* Inst. past. Eyst. p. 334.

[3]) Ex declarat. Cardinal. *Caprara* legati a latere in Galliis, in instructione de matrimoniorum revalidatione.

aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho matrimonium renovetur; „sed si pars indisposita nec hoc modo consenserit revalidare matrimonium; tunc, etiam in hujusmodi casu, ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad matrimonii sanationem deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quam primum etiam renuentis animae saluti providere possit.“ [1]) Denique si neutra pars denuo matrimonium contrahere consentiat, nihil omnino hic et nunc faciendum est, cum nulla dispensatio ab Ecclesia in tali casu concedatur; restat igitur parocho, ut incumbat ferventi orationi, frequenter Deo miserrimos concubinarios commendando, et ut assiduis curis horum conversionem procurare satagat. [2])

§. 63.

3) De revalidatione matrimonii irriti ob inhabilitatem partium.

a) modo ordinario.

I. Certum est, si matrimonium irritum fuerit ob impedimentum aliquod dirimens, quod tamen dispensabile est, impetrata simplici dispensatione, utramque partem, certioratam de prioris matrimonii nullitate, novum consensum debere praestare, utrinque mutuum et signo externo manifestatum, ad revalidationem matrimonii, saltem extra casum urgentis necessitatis. Ratio est, quia impedimentum a principio sustulit efficaciam prius praestiti consensus atque illud per simplicem dispensationem solummodo tollitur quoad ejus effectum in posterum, non in praeteritum. Hinc in rescriptis s. Poenitentiariae haec clausula addi solet: *altera parte de nullitate prioris matrimonii certiorata.*

Dixi, saltem *extra casum urgentis necessitatis.* Nam si ex notitia nullitatis matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiae aut scandali ex separatione secuturi, et ex alia parte conjux impedimenti conscius non posset evitare

---

[1]) Card. Caprara. l. c.

[2]) Gury. n. 1566.

redditionem debiti, tunc S. Lig. cum pluribus auctoribus probatis sentit, licitum esse uti sententia opposita, quae negat, consensum ab utraque parte esse renovandum. Ratio est 1) quia haec renovatio consensus non videtur requiri ex lege naturali, sed potius ex dispositione juris ecclesiastici; prior enim consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a jure positivo appositum, tamen in se spectatus fuit verus et validus; ergo, sublato impedimento, ille prior consensus, virtualiter in effectu per copulam conjugalem, cohabitationem aut per alia signa externa perseverans, sufficit ad revalidationem matrimonii, quia, accedente ex altera parte consensu interno conjugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia signa externo, utriusque consensus unitur, et sic, matrimonium, sublato impedimento, efficitur.[1]) 2) Nec obstat clausula s. Poenitentiariae, quae a pluribus non apponi censetur, uti conditio sine qua non, sed ut simplex instructio.[2]) 3) Quia, etiam supposito, illam clausulam esse praeceptivam, in casu urgentis necessitatis obligatio ex illa oriens cessare videtur. 4) Quia in talibus angustiis non est prohibitum uti opinione probabili etiam cum periculo frustrationis sacramenti, praesertim si Ecclesia, ut in hoc casu, defectum supplere potest.[3]) In praxi tamen omnino suadendum est, ut dispensatio in radice, si fieri potest, obtineatur etiam in casu urgentis necessitatis.[4])

II. Singularem vero prudentiam et cautionem parochus vel confessarius adhibeat, quando ex facto in confessione vel aliunde

---

[1]) Aliter perdifficile esset, vindicare potestatem dispensandi in radice matrimonii.

[2]) Sanchez, Salmanticenses et alii.

[3]) S. Lig. n. 1115—1116. — Gury. 1568.

[4]) „Unde in hisce casibus ad s. Poenitentiariam (seu in his locis ad Episcopum) recurrendum esse diximus, ut aut aliquid de severitate clausulae remittat, aut facultates a Pontifice necessarias expostulet, qui in impedimentis, quae a jure scripto decernuntur, non solum auferre potest de medio incommoda, quae jam secuta sunt, cum in radice matrimonii legitimam prolem declarat, sed etiam ob consensum naturalem, initio praestitum et adhuc durantem, dispensare potest a renovando consensu." — Instruct. past. Eyst. p. 338.

allato, attamen occulto, matrimonium invalidum esse intelligit. Priusquam enim matrimonii nullitatem utrique vel alterutri ex conjugibus manifestat, plura ipsi attendenda sunt, tum relate ad

CANON 913 HEI

n ad impedimenti naturam.
d conjuges dispiciendum erit
ona an mala fide contraxerint, utrumque, postquam
tionem impedimenti devenerint, nihilominus in usu
severaverint an sese abstinuerint;
ιars tantum impedimenti notitiam habeat vel dubium,
arte in bona fide relicta, utrum a petendo debito
'tinuerit;
dum erit, prudenter tamen et circumspecte, utrum
conjuges pacifice cohabitent, an potius inimicitiae
inter eos advertantur.
aturam vero impedimenti ratio habenda est:
x delicto aliquo ortum sit, an ex causa alioquin
nesta;
t impedimentum occultum quidem, sed in foro ex-
san demonstrabile, an plane occultum, ut ex natura
ιro externo probari nequeat.
consideranter et accurate perspectis, sequenti modo
erit:
conjux *uterque* de impedimento quocunque diri-
nullitate sui matrimonii notitiam habeat, ac sepa-
e scandalo fieri nequeat; tunc ante omnia conjuges
sunt, ut ab usu matrimonii sese omnino abstineant,
spensatio obtenta iisque impertita fuerit.
tantum pars impedimenti et nullitatis matrimonii notitiam habeat, impedimentum vero nullatenus cum delicto vel infamia fuerit conjunctum, ac insuper conjuges pacifice cohabitent; poenitens moneatur, ut certiorem reddat alteram partem de nullitate matrimonii cum mandato sese abstinendi ab usu ejus usque ad obtentam dispensationem.

3) Si *una* tantum pars habeat notitiam nullitatis matrimonii, impedimentum autem alteri parti sine summo periculo dissidii et rixarum ac scandali revelari non possit, pars prior

neque petere neque reddere potest debitum conjugale, ac proinde moneatur, ut aliquo modo copulam evitare conetur, donec dispensatio obtineatur. [1])

4) Quando Confessarius ex circumstantia aliqua in confessione allata matrimonium invalidum esse intelligit, quin poenitens ex ignorantia juris id resciat, tunc, si impedimentum alteri parti revelari potest sine imminenti periculo scandali et peccati formalis inde exorientis, poenitenti nullitas matrimonii revelanda est ipsique injungendum, ut, impedimento alteri parti revelato, ab usu matrimonii abstineat usque ad obtentam revalidationem; sed si impedimentum taliter ex delicto proveniat, ut pars innocens nullo modo certiorari possit de nullitate matrimonii absque delicti revelatione et maximo periculo scandali etc., tunc in bona fide poenitens est relinquendus, quia peccatum materiale est minus malum, quam summum periculum formalis peccati, confessarius autem debet quam primum aliquo modo providere, ut matrimonium revalidetur. [2])

§. 64.

b) per dispensationem *in radice.*

I. Dispensatio *in radice* est relaxatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta tum cum remissione obligationis consensum in matrimonium renovandi, tum cum irritatione omnium effectuum, qui etiam antea ex lege subsecuti sunt [3]). Ratio, ex qua ostenditur Ecclesiam

---

[1]) Impedimenti conscius neque petere neque persolvere debitum potest, licet infamia, seu vitae periculum immineat, uti constat ex cap. Inquisitione de sentent. Exc. „In primo casu, quando alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valeat carnale commercium exercere.“ Innoc. III. sic statuit: „Debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.“ Benedict. XIV. Inst. 87.

[2]) Instr. pastor. Eystett. — p. 337. cf. §. 64. quaest. 1.

[3]) Benedict. XIV. Institut. 87. sub finem. Synod. dioeces. l. 13. c. 21. n. 6. *Thesaur. resolut. S. C. l. in una Pragensi. 13. Julii 1720.* Corrad. prax. disp. lib. 8. c. 3. n. 46. Sanch. lib. 8. disp. 7.

seu S. Pontificem taliter posse dispensare quoad omnia impedimenta ecclesiastici juris, est: 1) Obligatio consensum renovandi in ordinaria dispensatione procedit a sola juris ecclesiastici dispositione, nempe ad effectus sacramenti novo consensu certius obtinendi, et ad omnes anxietates postea removendas; hinc haec obligatio penitus potest tolli ab eadem auctoritate ex urgenti et gravissima causa. 2) Dicitur hac dispensatione tolli effectum impedimenti pro tempore praeterito, non in hoc sensu, ut efficiat matrimonium ob impedimentum a principio nulliter contractum non ita contractum fuisse, sed effectus illos de medio tollendo, qui, ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi matrimonii actu producti fuerunt[1]) (v. g. legitimitatem filiis conferendo in ordine ad effectus spirituales et etiam temporales), ita ut coram Ecclesia habeantur, quasi nunquam extiterint. In his autem nihil est, quod potestatem summi legislatoris in Ecclesia excedat[2]). 3) Quia constat ex praxi Ecclesia, quae a pluribus saeculis tales dispensationes concedere consuevit. Primus sic dispensasse legitur Bonifazius VIII. anno 1301; Gregorius XIII. quidem refertur consimilem dispensationem concedere noluisse, et etiam addidisse, se non posse dictam concedere dispensationem; sed Navarrus, Barbosa, Benedict. XIV. dicunt, aut hoc dictum S. Pontificis sic intelligendum esse, se dictas dispensationes concedere non posse, nisi magna urgente

---

[1]) Benedict. XIV. Synod. dioec. l. c. n. 7.

[2]) Corrad. l. c. „Cum S. Pontifex sua dispensatione in radice matrimonii tollat directe firmitatem illius legis ecclesiasticae, eamque prorsus aboleat, perinde est, ac si lex illa nunquam emanasset ac efficiet indirecte, et per quandam consequentiam, ut ea omnia damna cessent, utpote, quae ex legis Ecclesiasticae firmitate pendebant . . .

Sanchez. l. 8. disp. 7. n. 4. Pontifex potest suam legem irritare et revocare quoad effectus jure humano ex ea secutos, et non tantum quoad in posterum incurrendos, efficiendo ut non incurrantur, sed etiam quoad jam incursos, *abolendo* illos, ac si ea lex edita nunquam fuisset, ut constat ex Clem. un. de immunit. Eccl. ubi Clemens V. revocat quasdam praedecessorum constitutiones, etiam quoad effectus antea incursos.“

causa, aut omnino false esse relatum, cum constet, Gregorium XIII. dispensationes dedisse in radice matrimonii, ita, ut Rotae decisiones 455 et 687 prodierint in casu consimilis dispensationis a dicto Pontifice concessae[1]). Simili dispensatione confirmata fuerunt absque renovatione consensus apud Indos quaedam matrimonia, quae Pucueles et Quartarones (sic enim nuncupantur) haud rite iniverant, interposita Clementis XI. auctoritate, qui die 2. Aprilis 1705 ob hanc rem litteras Apostolicas promulgavit[2]). Die 18. Sept. a. 1723 sub Innoc. XIII. causa Pragens. matrimonii resoluta est concessione hujusmodi dispensationis; recentioribus autem temporibus frequentius dispensarunt in radice Pius VI., Pius VII., Leo XII. etc. Cardinalis Caprara, legatus a latere in Galliis, in instructione d. d. 26. Maji 1803 de dispensatione in radice ejusque principio et conditionibus distincte et fuse loquitur, atque facultatem taliter dispensandi Episcopis Galliae ex particulari indulto pro illis temporibus concedit.

II Ex dictis autem patet, sequentes conditiones requiri, ut matrimonium ope dispensationis in radice convalidari queat, scilicet

1) ut impedimentum matrimonium irritans sit juris ecclesiastici,

2) ut conjunctio conjugum habuerit speciem extrinsecam justi matrimonii, ut loquitur Benedict. XIV. l. c. seu figuram matrimonii, ut Corrad. dicit, neque fuerit manifeste fornicaria. Ratio est, quia secus non adesset verus consensus matrimonialis ab initio, ac proinde nullo modo posset adesse matrimonium, seu non adesset radix matrimonii. Hinc juxta communiorem sententiam, si conjuges contrahendo *clare* cognoverint matrimonii nullitatem, matrimonium taliter contractum hac dispensatione sanari non potest; secus autem, si conjuges contrahendo, etiamsi impedimentum cognoverint,

---

[1]) Thesaur. resolut. S. C. C. 13. Julii a. 1720.

[2]) Benedict. XIV. Instit. 87. sub finem Synod. dioec. l. c.

non tamen matrimonium esse nullum putaverint, vel ad ejus invaliditatem non attenderint[1]).

3) Ut consensus *utriusque perseveraverit*, quia non videtur quod Ecclesia possit convalidare consensum *retractatum* etiam ex una parte tantum[2]).

4) Ut adsit urgens et gravissima causa[3]); quae haberi potest in hoc triplici-casu, nempe a) quando una pars ad renovationem consensus adduci non potest, et exhibet tamen de praesenti consensum remanendi in matrimonio; b) quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri manifestari non possit; c) quando urgens adest ratio non monendi conjuges de nullitate eorum matrimonii.

III. Quoad modum vero executionis hujus dispensationis notandum venit 1) quod absque omni speciali applicatione uterque conjux in bona fide relinquendus sit, quando uterque impedimentum ignorat, uti in nullitate allicujus dispensationis ob defectum aliquem fieri solet, vel quando confessarius impedimentum detectum neutri conjugum absque periculo gravissimo

---

[1]) Gury. n. 1575. Inst. past. Eyst. p. 339 requirit: ut saltem una pars bona fide matrimonium contraxerit, et altera pars pro casu consensum renovaverit; nam si uterque conjux matrimonium mala fide contraxisset, matrimonium in radice non est sanabile, quia nullum, ne naturalem quidem, consensum in matrimonium habuerint; insuper „debet constare, conjuges sibi ab initio dedisse consensum matrimonialem et in eo adhuc perseverare.“ Inst. Card. de Caprara pro Galliis d. d. 26. Maji 1803.

[2]) Contradicunt tamen plures, qui dicunt, hac dispensatione matrimonium convalidari *a tempore matrimonii*, seu *ex tunc*, i. e. per fictionem juris, ascendendo ad radicem seu originem matrimonii, ponitur res in eodem statu, ac si impedimentum nunquam extitisset, ita, ut ille consensus actualis tempore matrimonii ob impedimentum obstans irritatus nunc sublato impedimento obtineret effectum tunc impedimentum. Non raro tamen exigit S. Pontifex in rescripto, ut constet de permanente consensu utriusque partis; sic *Caprara* in Inst. ad Episc. Galliae.

[3]) Haec conditio non requiritur ad validitatem dispensationis, si dispensatio concedatur a s. Pontifice; secus, si concedatur ab episcopo ex indulto particulari. Gury. n. 1575. Nota.

revelare potest. Ratio est, quia, impedimento sublato, consensus virtualiter saltem permanens sufficit ad efficiendum matrimonium. Confirmatur ex praxi Ecclesiae; etenim, quoties ex impedimento juris positivi irrita matrimonia confecta fuerant a magna hominum multitudine, ut casus erat Indorum supra relatus, sine ulla notificatione ea universim convalidantur Apostolica interposita potestate[1]). 2) Quando vero una pars impedimentum bene cognoverit, vel etiam quando utraque notitiam impedimenti habet, una tamen recusat renovationem consensus, tunc cum illa, quae conscia est impedimenti, et, quantum in se est, consensum vult renovare, dispensandum est in foro conscientiae hoc vel simili modo: „Ego potestate Apostolica mihi specialiter et expresse demandata matrimonium a te N. N. cum N. N. in consensu adhuc permanente nulliter contractum in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro, in nomine P. F. Sp. s. . . .“ 3) Si vero nullitas matrimonii publica sit, ad publicum scandalum removendum ejusmodi dispensatio seu sanatio notorie perficiatur, aut etiam secreto, si ad aliquam praecavendam perturbationem ita visum fuerit, dummodo tamen locus sit evulgationi peractae matrimonii sanationis seu dispensationis, qua publicum scandalum congrue removeatur[2]).

Quaesita.

Quaeritur 1°) Quomodo procedere debeat confessarius vel parochus, si matrimonium quoddam esse invalidum detexerit ex aliquo impedimento, quod neque per renovationem consensus neque per dispensationem sive modo ordinario sive in radice tolli potest?

℞. 1) Si impedimentum sit publicum in sensu juris canonici, conjugibus praecipiendum est, ut se separent quoad thorum

[1]) Clemens XIII., ut refert. Collet, concessit cuidam Procopo facultatem „ut sanaret in *radice*, non monitis partibus multa matrimonia invalide inita ob nimiam facultatem acceptarum extensionum.“ Simile quid accidit non longo tempore abhinc in hisce provinciis.

[2]) Card. Capr. in c. Inst. §. 14.

et cohabitationem et curent obtinere sententiam a judice ecclesiastico, h. e. episcopo, de nullitate matrimonii.

2) Si autem sit occultum, distinguendum est, num illud uni vel utrique parti' sit incognitum, nec ne; si utrique sit incognitum, et non possint separari absque gravi scandalo, et damno, ac periculo peccati formalis, praesertim si coram foro externo impedimentum sit indemonstrabile, erunt in bona fide relinquendi. Si uni tantum notum sit, debebit alteram partem monere, licet admonitio non sit profutura; si altera pars nolit recedere ab usu matrimonii, ac proinde cum ea cohabitari nequeat absque gravi periculo fornicandi, ad superiorem ecclesiasticum recurrendum erit pro matrimonii dissolutione, ac separatio quoad cohabitationem fieri debet, licet infamia, seu vitae periculum aut aliud grave damnum temporale immineat [1]. Si demum utrique sit notum, parochus vel confessarius usum matrimonii iis interdicat et nullo exstante incontinentiae periculo, eis permittere poterit, ut simul adinstar fratris et sororis cohabitent; secus, si impedimentum ipsi cognitum fuerit extra confessionem, ad forum externum ecclesiasticum rem deducat; si impedimentum in confessione detexerit, absolutionem deneget, donec illi ipsi rem ad forum externum deferant, ac separationem obtinendam procurent [3].

Quaeritur 2°) an matrimonium, quod fuerit irritum ex impedimento juris divini, possit convalidari sine renovato consensu, impedimento, v. g. ligaminis, per eventum rei sublato?

℟. Sententia communis negat: quia dispensatio in radice locum non habet in matrimoniis obstante hujusmodi impedimento invalide contractis, ac proinde locus non est concedendae dispensationi, quae a renovando consensu eximere conjuges possit. [4] Et huic sententiae eo magis adhaerendum est, quia impedimenta juris divini positivi non possunt praecise distingui ab

---

1) Benedict. XIV. Inst. 87.
2) Instruct. past. Eyst. p. 340.
3) Knopp. p. 517. et 518.
4) Benedict. XIV. l. c. Knopp. p. 512.

impedimentis ex lege naturali orientibus, ac proinde valde dubium sit, an consensus cum tali impedimento praestitus etiam naturaliter sit validus. Sed hoc non obstante, si agatur de impedimento ligaminis[1]) in casu urgentis necessitatis probabiliter matrimonium absque renovatione consensus, saltem ex parte impedimentum ignorante, convalidari posse videtur. Ratio est, quia hoc impedimentum multo probabilius non est de jure naturali, sed de lege divina irritante, ac proinde consensus illo obstante naturaliter manet verus consensus; sublato igitur impedimento per mortem prioris conjugis, ille consensus virtualiter permanens sufficere videtur (juxta supra dicta ad sensum S. Lig. [§. 63. I.]) ad efficiendum matrimonium. Hinc 1) si utraque pars matrimonium bona fide contraxerit, una autem postea certiorata, priorem conjugem tempore secundi matrimonii contracti adhuc vixisse, quod tamen alteri parti sine magno scandalo etc. revelari non potest, matrimonium convalidari posse videtur absque renovatione consensus, saltem a parte ignorante. 2) Si una pars bona fide contraxerit, etiam in hoc casu, impedimento per mortem sublato, renovatio consensus ex parte culpabili, quae a principio non potuit habere consensum verum, ad convalidationem matrimonii, absque notitia alteri parti data, sufficere videtur in urgente necessitate[2]).

---

[1]) Communiter negative respondetur etiam in casu hujus impedimenti; Wiestner sic habet: „Si conjugum uni, priorem suum vel alterius conjugem jam quidem mortuum, tempore tamen contracti matrimonii posterioris adhuc superstitem fuisse, certo innotescat, debitum a conjuge matrimonii posterioris exigere et exigenti reddere nequit, antequam posterius hoc matrimonium consensu *per verba de praesenti ab utroque* ratificatum, seu de novo contractum sit, ut Juris omnino certi et ratio clara est; quod cum posterius matrimonium, priore conjuge adhuc superstite initum, propter ligaminis impedimentum necdum sublatum fuerit invalidum, ut, impedimento per prioris conjugis obitum sublato, secundo matrimonio valide copulati veri conjuges evadant, posito novo mutuoque consensu inter eos ante initum ratificari seu de novo contrahi necesse sit, ex mente D. Thom. 4. dist. 40. quaest. unic. art. 4. Wiestner. tit. 21. n. 20. 21. Schmalzgr.

[2]) Benedict. XIV. in l. c. in simili casu consensum renovandum esse censet quidem, sed, verbis ipsius bene perpensis, praecipue idcirco, quia

III. De divortio seu separatione conjugum quoad torum et cohabitationem.

§. 65.

I. Jam supra (§. 32. I. II.) ostendimus, vinculum matrimonii valide contracti et consummati inter fideles nonnisi per mortem dissolvi, vel per professionem solemnem, et per dispensationem Apostolicam, si ratum sit, nondum consummatum; hinc divortium inter fideles non est dissolutio vinculi matrimonialis, sed solummodo separatio aut quoad torum, aut quoad torum et mensam simul seu cohabitationem ex causis legitimis facta. Hoc divortium esse licitum ab Apostolo edocemur: „Praecipio, ait, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari" 1. Cor. 7. 10.; et idem Ecclesia statuit: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum multas ob causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, a. sit[1]).

II. Causae ejusmodi divortium cohonestantes sunt hae:

1) *Mutuus consensus;* scilicet uterque conjux simul possunt juri renuntiare quoad torum, sive ad tempus, sive in perpetuum, dummodo absit incontinentiae periculum; haec causa notatur ab Apostolo, dicente: „Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi." 1. Cor. 5. 7.

---

in casu particulari, de quo agit, nulla subest necessitas urgens renovationem consensus omittendi. Synod. Dioec. I. 13. c. 21. n. 7. sub finem. *Wiestner* tit. 16. n. 191. sic habet: „Quin aliis etiam casibus, quibus conjugi, ut aliquando feminis, ex nullitatis manifestatione periculum vitae immineret, infamia, suive desertio, susceptaeque prolis destitutio et similia gravissima mala timenda forent, sententiae. nullitatis manifestationem ad matrimonium per consensus renovationem ratificandum non exigentis usum licitum esse, cum *Sanchez* (lib. 2. disp. 36. n. 8.) docent *Palao*, Cardenas et alii.

[1]) Trident. sess. 24. can. 8.

2) *Adulterium alterutrius* [1]); scilicet tale, ut sit a) certum [2]), b) voluntarium, non vero ex illata violentia seu per fraudem patratum, c) non condonatum, sive expresse, sive implicite, v. g. per actum conjugalem, d) non mutuum, [3]) quia tunc existeret compensatio. Patet hoc ex verbis Christi Math. 5. 32. „Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari" etc. Quodsi liceat viro, eadem ratione etiam uxori licitum esse debet.

3) *Apostasia vel haeresis alterius partis;* nam propter periculum perversionis [4]) pars innocens separare se debet ab altera, etiam sententia judicis non expectata. Reversam ad fidem innocens recipere tenetur, nisi separatio per judicem in perpetuum facta fuerit.

4) *Periculum animae;* videlicet quando conjux conjugem ad grave peccatum, v. g. latrocinii, vel etiam ad peccata carnalia ipsis conjugibus inter se prohibita incitat; propter alia delicta conjugis, quae in periculum animae alterius conjugis non redundant, divortium minime conceditur [5]).

5) *Periculum corporis;* nimirum quoties conjugi grave damnum corporis imminet ex mutua cohabitatione, quod alio modo averti non potest, nisi facto divortio, fieri illud recte potest, neque enim jusnaturale neque divinum prohibet, quominus aliquis grave malum corporis evitare valeat [6]); hinc mentis insania, et morbi cantagiosi, e. g. lepram aligna, phthisis confirmata, pulmone jam in corruptionem abeunte, morbus gallicus, aliique similes morbi chronici atque ex medicorum

---

1) Divortium tamen etiam ex hac causa nequaquam cadere in vinculum matrimonii, a Christo (Marc. 10. 11. Luc. 16. 18.) et ab ecclesia (Trid. sess. 24. can. 7.) edocemur.

2) Decret. lib. 4. tit. 19. cap. 5.

3) L. c. c. 4.

4) L. c. c. 2.

5) L. c. c. 6.

6) Schmalzg. lib. 4. tit. 19. n. 141.

judicio periculum contagionis habentes sunt causae justae divortii[1]). Non tamen ordinarie febres malignae et alii quivis morbi ad divortium sufficiunt, licet durante morbo graviore conjuges se a toro separare possint[2]).

6) *Molesta cohabitatio* ex frequentia jurgiorum et rixarum, quas conjugum alterius inveterata et indomita improbitas solet excitare; quia in hujusmodi conjugio salus corporis et animae periclitatur[3]).

7) *Saevitia mariti*, si capitali odio ita mulierem vir persequatur, ut de vita sua periclitetur, si mortem vel mutilationem minitetur, necessarium victum deneget, infamiae notam ei imburat, atque eam non ut consortem thalami, sed ut servam habeat[4]). Non tamen sufficit moderata tantum verberatio, maxime, si correctionis causa fiat, nec unica, nisi simul in futurum timeatur asperior[5]). Sed si periculum sit in mora, auctoritate propria separatio fieri potest.

III. Separatio *quoad torum* justa de causa, saltem ad tempus, institui potest *privata auctoritate*, et etiam in perpetuum ex mutuo consensu et praesertim ex adulterio alterutrius, quia jura matrimonii in perpetuum conjugi infideli denegari possunt. Si adulterium sit publice notorium, conjux innocens *auctoritate propria* ab adultero recedere potest etiam *quoad cohabitationem*, si sit occultum, controvertitur; sententia tamen communior etiam in hoc casu permittit innocenti, ut propria auctoritate recedat, saltem pro foro conscientiae et secluso scandalo, dummodo ipsi de adulterio alterius certo constet. Ratio est, quia Christus hac de causa permittendo separationem non distinxit inter adulterium publicum et occultum[6]). Dixi, *saltem pro conscientiae foro*,

---

1) Clericat. de sacram. matrim. decis. 39.
2) Inst. past. Eystett. p. 372.
3) Sanchez. lib. 10. disp. 18. n. 11. Schmier, Schmalzg. Wiestner.
4) Schmalzg. l. c.
5) Inst. past. Eyst. p. 371.
6) S. Lig. de matr. n. 969. Gury 1469. Schmalzg. l. c. n. 112.

quia in foro externo ex causa nec notorii, nec legitime probati uxorem dimittens, eam recipere compellendus est, ne hominum malitiae ansa praebeatur conjugem innocentem ejusmodi dimissione vexandi; dixi 2) *secluso scandalo*; quia ad grave scandali periculum vitandum, quod vergit in damnum publicum, parti innocenti aliquid de jure suo privato cedendum esse videtur. Ad debitum autem reddendum parti adulterae pars innocens non obligatur, licet deficientibus probationibus a judice ecclesiastico compellatur, quia sententia nititur in praesumptione falsa [1]. — Etiam ex ratione periculi animae vel corporis propria auctoritate separatio quoad cohabitationem fieri potest, modo periculum illud valde grave sit et imminens. Sed expedit in praxi, ut consilium viri prudentis, praesertim Confessarii, semper petatur. Confessarius vero in hoc valde caute procedere debet; caveat, ne facilius credat uxoribus de viris querentibus, satagatque, ut eas compescat, et a divortio vel instituenda lite retineat, praesertim quando crimen alterius partis sufficienter probari non potest [2].

IV. Separatio *perpetua* nonnisi ex duabus causis, ut jam innuimus, nempe per mutuum consensum et ob adulterium ab uno commissum fieri potest, idque quoad torum propria auctoritate; quoad autem cohabitationem, ob adulterium certum; ut diximus, discessio in perpetuum innocentis plerumque propria auctoritate admittitur, non vero per mutuum consensum; si enim talis separatio in perpetuum facienda a conjugibus expostulatur, auctoritas ecclesiastica intercedat necesse est, et uterque conjux votum solemne in religione aliqua approbata, vel, si vir s. Ordines suscipit, uxor saltem religionem ingredi tenetur, nisi alterutra pars ob provectam aetatem in mundo remanere voluerit, edito nonnisi simplici voto castitatis, quod tamen erit ad vitam alterius partis duraturum [3]. Ex quacunque alia causa

---

[1]) Sanchez. lib. 10. disp. 12. n. 34.
[2]) Gury. l. c.
[3]) Lib. IV. Decret. tit. 19. c. 4. Benedict. XIV. de synod. dioec. lib. 13. c. 12. n. 11—15. S. C. C. 2. Maji 1722.

separatio tantummodo fit ad tempus, scilicet donec causa duret; nisi forsitan per sententiam judicis in perpetuum facta fuerit.

Quaesita.

Quaeritur 1°) quales probationes requirantur, ut judex ecclesiasticus ratione adulterii sententiam divortii proferre possit?

℟. Sufficiunt conjecturae et praesumptiones violentae, ex quibus, si non physica, saltem moralis certitudo inducatur, ut scilicet quilibet prudenter credere possit, adulterium esse commissum. Desumuntur vero praesumptiones istae ex circumstantia loci, temporis, et personarum, veluti si uxor, alias male diffamata aut suspecta sola cum solo, tempore et loco ad peccandum apto deprehendatur. Oscula, amplexus, tactus, litterae amatoriae, etc. quamvis per se non constituant causam divortii, valde tamen aggravant praesumptionem adulterii, ut aliquando sufficiant, aliis circumstantiis concurrentibus, ad faciendum divortium. Est vero attendendum, quod tales praesumptiones probandae sint per testes, aut confessionem partis adulterae; hinc non sufficiet, si v. g. solus maritus dicat, se actus suspectos uxoris vidisse, quia in causa propria nemo testis idoneus reputatur.[1])

Quaeritur 2°) an vir, cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur?

℟. 1) Certum est, non teneri ratione adulterii, quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non in ejus poenam.[2])

℟. 2) Aliquando potest vir teneri ad dimittendam uxorem adulteram ratione correctionis fraternae aut scandali evitandi, sed rarus est iste casus, cum alia media adhiberi possint ad uxorem corrigendam aut scandalum vitandum. Aliunde ejecta uxor, saltem plerumque majori periculo exponeretur.[3])

Quaeritur 3) an, si conjux innocens velit ultro reconciliari nocenti post factum ab ea divortium, teneatur nocens acceptare et ad cohabitationem redire?

---

[1]) Schmalzgr. tit. 19. n. 115. 116.

[2]) Ita communiter S. Lig. n. 963. Schmalzg. n. 119.

[3]) S. Lig. n. 963. Gury 1468.

℟. 1) *Affirmative*, si agatur de separatione *non juridica.* [1])

℟. 2) Affirmative etiam probabilius in ipso casu *juridicae separationis*. Ratio est, quia divortium, in gratiam innocentis concessum, non debet in ejusdem incommodum detorqueri. Intelligendum autem hoc est, modo neuter conjugum statum mutaverit. Nam si vel conjux innocens, vel adulter statum mutavit, cum consensu expresso vel tacito innocentis profitendo religionem, vel ss. Ordines suscipiendo, nullum jus superest innocenti ad revocandum nocentem. [2]) Neque cogenda esse videtur mulier adultera ad redeundum ad virum, quoties potest rationabiliter timere, ne crudeliter tractetur. [3])

Quaeritur 4°) an, facta juridica separatione ob adulterium, conjux innocens teneatur redire ad compartem eam revocantem, si ipse post latam sententiam, lapsus fuerit?

℟. *Controvertitur*. *Negant* S. Thom., Sanchez, Laymann, Gutier, S. Lig. (n. 968); *affirmant* aeque probabiliter Covar., Petr. Barbosa, Aug. Barbosa, Corink, Fagnan., Engl, Wiestner, Reiffenstuel, Schmier, Schmalzgr. Ratio sententiae *prioris* est, quia primus adulter per judicis sententiam jam omnino spoliatus fuit omni jure super innocentem, — *posterioris*, quia, quando causa sententiae cessat, ob quam lata est, exceptio rei judicatae admittitur; hoc autem fit, quando adulterium etiam ab altero commissum est.

IV. De dissolutione matrimonii ob impedimentum indispensabile invalide contracti.

§. 66.

I. Conjuges *putativi* propria auctoritate matrimonium solvere non debent, sed, nisi periculum adsit in mora, cohabitare compellantur, [4]) *seclusa tamen copula*, [5]) donec per rationes

---

[1]) Ita omnes, Gury 1468.
[2]) Schmalzg. n. 123. 124.
[3]) S. Lig. n. 967.
[4]) Decret. lib. IV. tit. 19. c. 3.
[5]) Decret. lib. II. tit. 13. c. 13.

manifestas et omni exceptione majores impedimentum interveniens probaverint, quod regulariter fieri debet per duos saltem testes; excipe tamen, si notorie constet; tunc etiam nemine accusante judex ecclesiasticus dissolvere matrimonium debet etiam quoad vinculum.[1])

II. Causae matrimoniales unice ad Episcopum et sede vacante ad Vicarium capitularem seu administratorem Dioeceseos spectant.[2]) Hinc ipsi parochi in causas dissolutionis matrimonii sese non immittant, nec absque auctoritate Episcopi divortium inter conjuges fieri permittant.[3]) Episcopus autem ad omnem actionem de dissolutione matrimonii *defensorem matrimonii* designare atque sub juramento obligare debet, ut valorem sacramenti vindicet et a sententia super nullitate prolata remedium appellationis semper interponat,[4]) licet evidentissima jam adsint nullitatis documenta.[5]) Post alteram tamen sententiam priori conformem potestas conjugibus fieri potest matrimonium dissolvendi, salvo semper et firmo remanente jure defensoris matrimonii, appellationem interponendi ad Curiam Romanam, nec non privilegio causarum matrimonialium, *quae ob cujuscunque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam*, sed, si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in judicialem controversiam revocari.[6]) Causae autem matrimoniales, sicut aliae ad forum eccle-

---

[1]) Schmalzgr. n. 95.

[2]) Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 20. Inter has causas etiam sponsalia habenda esse, per se patet.

[3]) Parochi, licet in ipsam matrimonii causam sese intromittere non debeant, non omni tamen modo ab ea excluduntur; ipsorum enim munus est, aut dissidia inter conjuges sedare, aut si agitur de nullitate matrimonii, conjuges vel ad petendam dispensationem exhortari, vel si indispensabile obstat impedimentum, rem ad forum Episcopi deferre. Instr. Eystett. p. 373.

[4]) Benedict. XIV. „*Dei miseratione*" 3. Novemb. 1741.

[5]) S. C. C. 26. August. 1848.

[6]) Benedict. XIV. l. c. et „*Nimiam licentiam*". 18. Maji 1743. „Nolentes omnino, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi

siasticam pertinentes, in *prima* instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur, in *secunda* in foro Metropolitae, vel coram alio Superiore competenti, in *tertia* tandem apud Sedem Apostolicam.[1])

---

duo judicata vel resolutiones, aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint."

[1]) Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 30.

Tractatus V.

De Celebratione Nuptiarum.

§. 67.

De praemittenda inquisitione in impedimenta.

I. Quando agitur de matrimonio contrahendo in casu particulari, sacerdos curatus seu pastor animarum sit memor,[1]) matrimonium inter fideles esse unum ex septem sacramentis novae legis, quibus jam ex jure naturali et divino summa debetur reverentia, seseque fungi ministerio mysteriorum Dei dispensatoris, ad quem spectat summo studio prohibere, ne illud a temere contrahentibus sive per ignorantiam sive per malitiam in gravem Dei offensionem periculo vel nullitatis ob latens aliquod impedimentum dirimens, vel notabilis deformitatis obstante aliquo impedimento impediente exponatur. Unde, si fideles ipsum accedant matrimonium inituri, inprimis inquisitionem debet instituere in impedimenta tum in foro externo, tum postea in foro interno seu in confessione.

II. Haec investigatio, monente Benedicto XIV,[2]) hoc vel simili modo fieri debet. Remotis arbitris sacerdos curatus tum sponsum, tum sponsam seorsim, caute, et ut dicitur ad aurem, circa impedimenta, quae forsan adesse possunt, explorare studeat; atque ex praesertim urgeat, quae juxta suam de sponsis

[1]) Rit. Rom. de sacr. matrim. „Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui et quales sint, qui matrimonium contrahere volunt; an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum; utrum sponte, libere et secundum honestatem Sacramenti velint contrahere.“

[2]) In Bulla „Nimiam licentiam“ 18. Maji 1743. §. 11.

cognitionem adesse prudenter suspicari potest. Inprimis percontatur, an sponsi nullo castitatis voto ligentur, an nupturi fidem alteri jam antea dederint, an exinde impedimentum publicae honestatis non evenerit, an impedimentum aliquod cognationis vel affinitatis non intercedat? Debita quoque cum prudentia et verbis modestis advertat ad impedimentum affinitatis ex copula illicita,[1]) et si una pars fuerit jam nupta, ad impedimentum criminis etc. — Tunc, si commode fieri potest, testes quoque vel cognatos vel alios sponsis bene cognitos advocet et ex iis similiter quaerat, num de aliquo impedimento inter sponsos intercedente notitiam habeant. Si vero aliquod impedimentum deprehenderit, opportune de eo tollendo provideat.

III. Si parochus notitiam certam habuerit de parochiani alicujus intentione, matrimonium cum parte Acatholica ineundi, illum seorsim, vel coram testibus catholicis quam primum adire debet, eique bene inculcare, quibusnam ex causis Ecclesia hujusmodi matrimonia abhorreat, dissuadens omni modo, ne se immittat in tale discrimen salutis aeternae. Si autem ille, omnibus ob oculos debite positis, in proposito permaneat, cautiones ab ecclesia requisitae ipsi exponantur, atque conscientia ejus oneretur, ne quid remittat de retrahendo pro viribus partem acatholicam ab errore ad fidem veram et unice salutiferam, neve de strictissima praeceptorum Ecclesiae observatione, diligentissimaque prolis procreandae institutione in fide catholica, ut sic per fidem partis orthodoxae sanctificetur et pars haeretica. Insuper, in hisce regionibus semper inquirendum erit, an pars acatholica sit baptizata, necne, in hunc finem, ut matrimonium ex hac causa aut etiam magis dissuadeatur, aut, si hoc sit sine fructu, ac sufficientes adsint causae, dispensandi, tempore opportuno dispensatio de impedimento disparitatis cultus ab Episcopo petatur.

---

[1]) Cum plerumque grave causet incommodum, hujusmodi investigationem instituere cum sponsa seorsim sumpta, suadendum est, ut declaratione de ineundo matrimonio coram parocho facta illi moneantur ad confessionem praeparatoriam *mox* faciendam, qua occasione data melius poterit investigari de impedimentis ex aliquo delicto occulto provenientibus. Knopp. p. 402.

§. 68.

De necessaria contrahentium institutione in doctrina christiana.

I. Rituale Romanum, de iis loquens, qui matrimonio sunt jungendi, ait: „*Uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.*" S. Carolus in Conc. Provinciali Mediolanensi V. haec statuit: „Parochus, quos sponsos experiundo viderit doctrinae christianae rudimenta plane ignorare, ne matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognovit didicisse, *quae eo de genere illos plane scire oportet.*" Idem statuerunt quam plurimae aliae synodi. In congregatione habita coram Innocent. XII. a. 1697 decretum est, non esse a parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in Christianae religionis rudimentis sufficienter instructos, quod quidem decretum confirmatum fuit a Clemente XI.[1]) — Ac denique Benedict. XIV. in encyclica epistola ad universos episcopos haec scripsit: „Verum, cum matrimonio jungendi non sint, si parochus, *ut debet*, prius interrogando deprehenderit, marem seu feminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantae, ac tam luctuosae ignorantiae locum relinquet episcopus, qui pastores animarum admoneat officii sui, et, huic si desint, negligentiae repetat poenas."[2]) Episcopus, taliter agens, nullum ponit de novo impedimentum, sed illud explicat, et inculcat, quo contrahentes jam ex jure divino detinentur; enim vero, cum matrimonium inter fideles unum sit ex septem novae legis Sacramentis, atque e numero eorum, quae dicuntur *vivorum;* nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest in statu peccati mortalis, nec parochus licite eidem matrimonio assistit. Qui autem fidei rudimenta ignorat, quae ex gravi praecepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit, cum potest; versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur. Cum autem omnes non solum in Episcopo, sed etiam

---

[1]) Bened. XIV. syn. dioec. lib. 8. c. 14. n. 3.

[2]) Epist. 42. in Bullario Bened. XIV. §. 11.

in parocho facultatem agnoscant impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua rationabili causa; eodem jure in casu nostro matrimonium ad tempus interdicit, donec scilicet contrahentes scitu necessaria addiscant.[1])

II. Deinde serio sponsis inculcet, ut perpendant, an re cum Deo communicata et praemissa matura deliberatione statum conjugalem elegerint; finem matrimonii paucis explicet, ac praecipue in his, quae ad licitum et dignum Sacramentorum usum pertinent, severam rationem exigat, nec non methodum baptizandi exponat. Moneat eos dehinc de evitanda tum inter se, tum cum aliis suspecta conversatione, cohabitationem ante matrimonium ipsis severissime interdicat ac omni modo dissuadeat, ne etiam interdiu extra conspectum aliorum soli conversentur, cum periculum subeant benedictionis loco divinam sibi maledictionem adsciscendi.[2]) Ex sacrarum vero scripturarum fonte hauriri possunt, quae optime et copiosissime hoc in casu dicenda erunt, sc. Tobias c. 3, v. 16. 4, 13; 6, 17. ibidem c. VII—X. — Eccle. c. 25. 26. 36. 1 Cor. c. 7; c. 11. Eph. c. 5. Colo. 3. 1 Thess. c. 4. Tit. c. 2. 1 Timoth. c. 2. Hebr. 13. 1 Petr. c. 3.[3]) — Deni-

---

[1]) Benedict. XIV. de synod. dioec. lib. 8. c. 14. n. 5. 6. „Qui autem hebetis sunt ingenii, ut copiosiorem Catechesin non admittant, doceantur saltem praecipua fidei capita, sc. unum esse Deum omnium rerum auctorem, qui accedentes ad se vita aeterna remuneret, improbos et rebelles aeternis suppliciis in alio saeculo puniat; deinde hunc ipsum Deum esse Patrem, et Filium et Spiritum s., tres quidem personas, sed unum Deum verum; praeterea Filium Dei, propter reparandam salutem hominum, factum hominem ex Virgine Maria, pro nobis passum et mortuum, ac tandem resurrexisse, et regnare in aeternum; hunc esse Jesum Christum, Dominum et Salvatorem nostrum; postremo neminem posse esse salvum, nisi credat in Jesum Christum, et poenitens de peccatis commissis Sacramenta ipsius suscipiat; baptismatis quidem, si infidelis sit: confessionis autem, si lapsus sit post baptismum; ac denique statuat ea servare, quae Deus et Ecclesia s. praecipiunt, quorum summa est, ut Deum diligat super omnia, et proximum sicut seipsum." l. c.

[2]) Rit. Rom., Conc. Trid. sess. 24. de ref. matrim. c. 1. Inst. past. Eyst. p. 352.

[3]) „Quomodo in eo (matrimonio) recte et christiane conversari debeant, diligenter (conjuges) instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et

que magna cum prudentia paternaque cum severitate de iis quae licent conjugibus inter sese, quae non licent, probe instruantur, ne ignoranter abutentes licentia maritali laqueum sibimet ipsis injiciant, eo nonnisi difficillime aut omnino non extricandi, adeoque cum fornicatoribus ejiciendi.[1]) „Extrema illa restat pars, monet Catech. Rom., quae ad matrimonii usum pertinet; de quibus ita agendum est a Pastoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum esse videatur, aut pias mentes laedere, aut risum movere queat; ut enim eloquia Domini, eloquia casta sunt, ita etiam maxime decet, Christiani populi doctorem ejusmodi orationis genere uti, quae singularem quandam gravitatem et mentis integritate praeseferat. Quare duo illa maxime docendi sunt fideles; primum quidem, non voluptatis aut libidinis causa matrimonio operam dandam esse, sed eo utendum intra eos fines, qui a Domino praescripti sunt[2]). Meminisse enim convenit, quod Apostolus hortatur: „Qui habent uxores, tanquam non habentes sint". 1. Cor. 7. 20; tum vero a S. Hieronymo dictum esse: „Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non effectu; reget impetus voluptatis, nec praeceps fertur ad coitum. Nihil est foedius, quam uxorem amare quasi adulteram". Alterum est, quod fideles docere oportet, ut Deum orandi et obsecrandi causa a matrimonii usu interdum abstineant[3])."

§. 69.

De Confessione nuptiis praemittenda.

I. „Sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua

---

Sarae, verbisque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere." Rit. Rom.

[1]) Instr. past. Eyst. p. 350. „Plerumque tamen de hac materia commodius agetur in confessione celebrationi matrimonii praevia; hinc contrahentes sunt monendi, ut, si alium confessarium adire velint, illi indicent, se hanc confessionem facere ad suscipiendum Sacramentum matrimonii." — Vide de hac re S. Franc. Salesii Philothea, lib. 3. c. 38.

[2]) Catech. Rom. c. 13, 14, 26, 27.

[3]) Catech. Rom. de matr. c. 33. c. 34.

peccata diligenter confiteantur et ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pie accedant"[1]). Haec verba Concilii probabilius per se non inferunt strictam obligationem, quia aliud est hortari, aliud praecipere seu mandare; ac proinde parochus praecise vi hujus Decreti, nisi lex seu praeceptum particulare episcopi illud statuat, non potest absolute exigere, ut praemittatur confessio nuptiis, vel ut testimonium peractae confessionis sponsi exhibeant[2]), sed satisfacit obligationi sibi a Concilio injunctae, *monendo* sponsos, ut diligenter confiteantur peccata sua.

II. Bene tamen animadvertendum est, sponsos ad confessionem praemittendam, (et pariter parochum ad eam ab iis exigendam) plerumque multo gravius teneri ex *lege naturali ac divina*, inquantum scilicet matrimonium est unum ex Sacramentis *vivorum*, ad quae licite et fructuose recipienda ex jure superiore praerequiritur status gratiae, qui, quamvis per actum contritionis perfectae absolute loquendo, procurari possit, hoc tamen modo vix unquam ab iis posse recuperari videtur, qui, copiam confessarii habentes necnon admoniti ab Ecclesiae ministro ad confessionem nunc peragendam, temere huic admonitioni resistunt, siquidem contritio perfecta non remittit peccata mortalia seu hominem non justificat *nisi cum voto confessionis*[3]), hoc autem votum in taliter Ecclesiae monito renitentibus ne implicite quidem potest supponi. — Hinc, quidquid est de vi obligationis Decreti Conc. Trident. illi contrahentes, qui ex tempore ultimae confessionis graviter peccasse sibi conscii sunt, vel aliquo modo, uti tales, noscuntur, absque confessione per actum contritionis nec possunt digne disponi nec admitti ad licite sus-

---

[1]) Concil. Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 1.

[2]) Gury, n. 1476. ubi dicit, *multis in locis* talem esse legem particularem.

[3]) Conc. Trid. sess. 14. c. 4. Docet praeterea (S. Synodus) etsi contritionem hanc *aliquando* charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. — In homine post Baptismum lapso ita demum (Contritionis motus) praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et *voti praestandi reliqua*, conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

cipiendum Sacramentum matrimonii, ideoque, saltem in hoc casu, ex lege divina teneri videntur ad confessionem sacramentalem.

III. Si igitur obvenit, ut sponsi recusent, huic monito Ecclesiae audientes esse, parochus, adhibita omni cura illos de necessitate et utilitate confessionis hac occasione peragendae, tandem, si nullatenus possint moveri, distinguere debet, an illi hucusque saltem, inquantum scit, christiane vixerint, necne; in casu *priori*, et potest et debet illorum matrimonio assistere[1]), praesertim si constet, illos non multo tempore ante confessos esse; quod tamen vix unquam obveniet, quia christiane viventes huic salutari monito Ecclesiae paratissimo plerumque animo morem gerere solent. In *casu posteriori*, praesertim si insuper fortasse constet, illos neglexisse hucusque omne exercitium religionis confessionem annualem, et Communionem paschalem praetermisisse, seu versatos esse satis notorie in concubinatu, cum S. Liguori dicimus parochum non teneri nec posse assistere tali matrimonio[2]); „quamvis enim, ait Benedictus XIV., juxta communiorem magisque receptam sententiam parochus non sit minister sacramenti matrimonii, nihilominus in multis comparatur ministro, nec licita sua praesentia et auctoritate firmare potest

---

[1]) (Sacramenta) non sunt deneganda eis qui *catholice* vivunt, nisi constet de indignitate petentis. S. Lig. n. 43.

[2]) Satis convenit inter auctores in hoc, ut parochus non possit assistere matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores, quin resipiscere conentur, scandalum tollendo ac poenitentiam agendo; sed quaeritur, num haec distinctio inter publicos et occultos peccatores sit admittenda in suscipiendo Sacramento matrimonii; juxta omnes non admittitur in suscipiendo sacros Ordines; pariter Benedictus XIV. eam non admittere videtur in hoc Sacramento, dicens, „ne licite sua praesentia et auctoritate firmare potest (parochus) contractum, *quem scit* a contrahentibus sacrilege iniri“, quin distinguat, utrum illi sint publice indigne, an occulte, (dummodo ut per se patet, illa notitia non habeatur ex confessione). Ratio, cur talis distinctio in hoc Sacramento non sit admittenda nobis in hoc sita esse videtur, quod damnum publicum et odium in Sacramenta, quod ex communione peccatori occulto publice petenti denegata sequeretur, in hoc Sacramento saltem plerumque aliter evitari potest.

contractum, *quem scit* a contrahentibus sacrilege iniri"; neque ex eo, quod Decretum Conc. Trident. de matrimoniis clandestinis in aliquo loco non est publicatum, ideoque parochus non est testis authorisabilis et necessarius ad matrimonii validitatem, talis assistentia facilius potest admitti; namque sacerdos, qui *active* assistit matrimonio, i. e. exquirit consensum contrahentium, nuptiis benedicit etc. manet adhuc positivus cooperator ad solemnem ritum matrimonii, ex jure autem naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum etiam interne jam antea consummaverit; praeterea ut docet S. Lig., parochus tenetur ex justitia, ex contractu inito cum Communitate, a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas advertendo a peccatis[1]), inquantum in se est. Potest tamen juxta S. Lig., parochus *excusari*, assistens tali matrimonio, ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta, ne ipsi perseverent in peccato[2]).

IV. Sed si unus ex sponsis esset innocens, aut in meliorem vitam mutatus, vel paratus ad Sacramentum poenitentiae debita dispositione suscipiendum, quid tunc agendum? *Gury* docet, minorem fore difficultatem in hoc casu, quia tunc liceret parocho, matrimonio assistere in favorem innocentis; sed idem auctor censet cum S. Lig., sponsum innocentem ipsum regulariter non posse sine gravi peccato matrimonium inire cum altero publico peccatore, saltem si sponsus alter sit indignus ob aliquod peccatum[3]), quia non licet ministro conferre Sacramentum indigno;

---

[1]) Kenrick. tom. 3. p. 17. S. Lig. n. 54. Homo Ap. tr. 14. n. 4. et seq. Gury 1474. Bened. XIV. De synod. Dioec. lib. 8. c. 14. n. 5.

[2]) „Aut si sponsi jam sint conjuncti civiliter, ut in Gallia evenire solet, cum matrimonium civile debeat ecclesiasticum praecedere. Majus enim malum majusque scandalum ex fornicaria cohabitatione sequeretur. *Gury*, D. D. *Bouvier*, *Gousset*. — D. D. Kenrick. etiam excusat parochi assistentiam, si timendum sit, ne accedant ad magistratus vel praecones haereticos", quod minus probabile esse videtur.

[3]) S. Li. sic distinguit: „Ex duplici capite talis indignitas potest provenire vel ab excommunicatione vel *aliquo mortali peccato*". Haec distinctio, ut sit admittenda, sic est sine dubio intelligenda, ut sit aliquis excommunicatus in foro externo, quin ob peculiares circumstantias peccato gravi sit obnoxius. — Hinc

quod autem non licet agere sponso innocenti, ad hoc parochus licite non potest cooperari, idque eo minus, cum ipse, ut ait S. Lig., teneatur ex justitia impedire peccata ovium suarum. Hinc multo probabilius esse videtur, etiam in hoc casu, nisi urgeat ratio valde gravis et aliquatenus malo proportionata, parochum non posse assistere matrimonio ineundo.

Objices. Puella catholica, quae habet *graves* rationes, non peccat matrimonium contrahendo cum haeretico, observatis observandis, quamvis alterius peccati materiam quodam modo subministret.

℞. 1) Constat, quam *aegre,* etiam cautelis debite adhibitis, Ecclesia hujusmodi matrimonia dispensando admittat, idque inter alias causas etiam ex ratione gravis irreverentiae Sacramento illatae. 2) *Nego paritatem;* plerumque enim supponi potest, sacrilegium ex parte haeretica non esse *formale*, sed ob ignorantiam saltem proxime invincibilem *materiale* tantum, cui cooperari sine dubio malum est multo levius, quam *formali*, quod a catholico sponso ob peccatum grave indigno in contrahendo matrimonio, cum moneri debeat de dignitate Sacramenti, nunquam potest evitari.

V. Monet s. Synod. Trid., ut saltem *triduo* ante solemnitatem nuptiarum Sacramento poenitentiae et s. communionis contrahentes recipiant; ac nemo non videt, quam multa incommoda, quae aliter nonnunquam difficillime possunt tolli, facilius evitentur, si confessio contrahentium fiat *congruo ante nuptias tempore;* videlicet: 1) sic impedimenta occulta ex delicto multo facilius tempore jam opportuno deteguntur. 2) Contrahentes, qui hactenus in statu peccati, non raro quasi-concubinatus vi-

---

non videtur esse probabile, quod dicit D. D. Kenrick de excommunicatione „Liberis Muratoribus" irrogata. In similibus casibus, scilicet, num liceat assistere matrimonii talium, qui ommissa confessione annuali et communione paschali, etiam hac occasione, se disponendi ad Sacramentum matrimonii, renuunt sacramentaliter confiteri, S. C. C., nempe in Causa Mogunt. d. 28. Aug. 1852, et in Causa Trev. d. d. 8. Aug. 1852. S. C. R. et Univ. Inquisit. resp.: „Negative". Knopp. p. 522. — Schmalzg. tit 16. n. 22—25.

vebant, securius ad Sacramenta digne et fructuose recipienda possint disponi. Hinc plures[1]) suadent, ut statim ante vel primam promulgationem bannorum contrahentes inducantur (pro prima vice) ad confessionem, et quidem, si fieri potest, ad confessionem generalem vel in loco contractus, vel alibi; ac deinde iterum pridie celebrationem matrimonii, qua occasione data convenienter de *licito ac debito usu* matrimonii instructio omnino necessaria tradi potest[2]). S. Communio juxta Rubricas Missalis, (sc. in Missa pro sponsis, ubi legitur, „postquam sacerdos sumpserit Sanguinem, communicet sponsos"), fieri debet eodem die nuptiali, idque infra Missam; sed in multis locis ex causis obviis non incongrue praecipitur, ut s. Communio fiat pridie vel biduo antea.

Ex respons. S. R. C. die 23. Junii 1853 in causa Limburg. infra citatis (§. 73.) infertur, s. Communionem a sponsis, si eorum nuptiae solemniter benedicantur, semper faciendam esse infra Missam, et quidem juxta mentem rubricarum per modum sacrificii, nimirum hoc modo, ut duae hostiae parvae in hac missa ipsa pro sponso et sponsa consecrentur.

§. 70.

De proclamationibus faciendis.

I. „Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho continuis diebus festis in Ecclesia intra Missarum solemnia ad Conc. Trid. praescriptum publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum"[3]). Has autem denuntiationes parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet[4]). Denuntiationes autem fiant hoc modo: inter Missarum solemnia parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone:

---

[1]) Knopp. p. 402. Inst. past. Eyst. p. 352.
[2]) Haringer. p. 90.
[3]) Ritual. Rom. tit. matr., vide supra §. 21.
[4]) Rit. Rom. l. c.

„Notum sit omnibus hic praesentibus, quod N. (vir) et N. (mulier), ex tali vel tali familia, et parochia, Deo adjuvante, intendunt inter se contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes et singulos, ut si quis noverit aliquod consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos esse, quod matrimonium contrahendum invicem impediat, illud quam primum nobis denuntiare debeat et hoc admonemus primo, (si fuerit prima) vel secundo, (si fuerit secunda,) vel tertio, (si fuerit tertia denuntiatio)"[1]). Similiter indicandum erit, quando in una vel duabus proclamationibus fuerit dispensatum. In matrimoniis mixtis proclamationes etiam fieri debent, quin tamen ulla de religione contrahentium mentio fiat. Insuper pars catholica, sive sponsus fuerit, sive sponsa, primo semper loco nominetur[2]).

II. Haec admonitio juxta Rubricas Rit. Rom., ut impedimenta parocho denuntiari debeant, si non inqualibet proclamatione, saltem pluries per annum repetenda est, ut satis semper constet inter fideles de hac obligatione; ad denuntiationem enim, si quod noverint impedimentum sive dirimens sive impediens, quamvis secretum, tenentur omnes, etiamsi consanguinei et amici fuerint, ac forte illa nequeant probare; dummodo moraliter ipsis de eorum veritate constet[3]). Ab hac obligatione excipiuntur:

1) confessarii, quorum notitia non est hujus fori;
2) qui revelare non possunt absque gravi detrimento sui vel suorum; ut si impedimentum proveniat ex illicita eorum copula;
3) qui impedimentum sciunt sub secreto, ab aliquo publico ipsorum officio proveniente, ut sunt parochi, medici, obstetrices; minime vero eximit notitia sub secreto confidentiae;
4) qui illud audierunt a persona, nulla fide digna[4]).

---

[1]) Ex Rit. Rom. l. c.

[2]) Instrct. Gregor. XVI. ad Episcopos Bavariae, 12. Septemb. 1841. Instr. past. Eyst. p. 357.

[3]) S. C. C. et S. S. apud Begnudi-Bassi bibl. jur. can. prax. denunt. n. 4.

[4]) Inst. past. Eyst. p. 359.

III. Si impedimentum detegatur et ad parochum deferatur, examinet prius denuntiantis personam, an sit testis omni exceptione major, qualis *unus* jam sufficit ad probandum impedimentum, quamdiu matrimonium nondum est contractum [1]); deinde in ipsam impedimenti delationem inquirat et quando vera esse delata deprehenderit, pro ratione circumstantiarum moneat obnoxium, ut aut a proposito matrimonio desistat, aut dispensationem competenti loco et modo impetret; sed si contrahens nihilominus matrimonium urgeat, res ad Episcopum deferatur. — Quando nullus quidem testis defert, sed rumor duntaxat suboritur de aliquo impedimento, est bene dijudicandum, quibus e fontibus prodierit; et si firmus constiterit, contra eum juramenta tum propinquorum, tum ipsorum contrahentium exigi poterunt, quando veritas ante matrimonium ineundum per testes indagari non potest [2]).

IV. De peractis proclamationibus, si extra locum contrahendi matrimonii fieri debeant, parochus, a quo matrimonium solemnizatur, litteris certiorari debet a proclamante parocho subscriptis sigilloque parochiali munitis, quibus in litteris contineatur tres esse proclamationes factas neminem connubio ineundo contradixisse nullumque aut tale impedimentum esse delatum. Antequam hae litterae testimoniales ad parochum matrimonium so-

---

[1]) Decret. lib. 2. t. 20. c. 22.

[2]) Decret. lib. 4. t. 1. c. 27. Inst. past. Eyst. l. c. — Quid agét parochus, qui pridie vel eodem die, quo matrimonium est contrahendum, ex confessione unius sponsorum detegit impedimentum aliquod dirimens, ex aliquo crimine occulto ortum, et interim omnia sunt parata ad convivium nuptiale etc. *Dens* resp. Parochus debet excogitare praetextus matrimonium differendi, donec dispensatio fuerit obtenta ab Episcopo, v. g. persuadendo sponso, ut voveat castitatem pro tali tempore, etc. Sed si Poenitens desistere non velit a petendo matrimonio, tenetur parochus, si aliunde impedimentum non noverit, eidem assistere. „De *matr.* n. 134. Similiter alii. Sed, nisi omnino fallor, equidem censeo, Episcopos posse praecavere tantum ejusmodi difficultates nimis periculosas delegando parochis facultatem dispensandi in talibus casibus extraordinariis, in quibus ipsi ex consuetudine dispensant potestate *ordinaria* cf. §. 49. II. III. n. 4.

lemnizantem pervenerint, non licet contrahentes in matrimonium conjungere.

§. 71.

De ritu celebrandi matrimonii Sacramentum.

I. Matrimonium non debet celebrari eodem die, quo ultima denuntiatio facta est, nisi postero die sit initium temporis clausi, quo in casu moneatur populus de contrahendo matrimonio eodem die. Ratio patet; secus enim finis denuntiationis non obtineretur[1]). Insuper in multis locis interdicitur celebratio nuptiarum sub vesperas, ac, quamvis non sit praeceptum Ecclesiae universale, dubitari non potest, quin usus nuptias sub vesperas celebrandi, sit saltem contra sensum Ecclesiae, et, si invaluerit, pro viribus tolli debeat. — De loco, ubi matrimonium celebrandum est, sic habet Rit. Rom.: „Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet: sed si domi celebratum fuerit praesente parocho et testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi; et tunc caveat sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat, sed tantum Benedictionem illis conferat", celebrata Missa, ut infra dicetur[2]).

II. „Parochus igitur matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet impedimentum, in Ecclesia[3]) superpelliceo et alba stola indutus,

---

[1]) Inst. past. Eyst. p. 362. Knopp. p. 404. Carriere §. 397. — Litterae testimoniales de peractis denuntiationibus regulariter expedire non licet, nisi 24 horas post ultimam promulgationem.

[2]) S. C. C. 17. April 1649. — In ecclesia celebrandum esse matrimonium antiquum est institutum, cujus meminere permulti. Patres, quibus inhaerens S. Carolus in Concilio provinciali II. statuit: „Ne parochus ullo alio loco quam in Ecclesia, quae Sacramentorum proprius locus est, sponsos matrimonio jungat, nisi ex facultate ab Episcopo permissa." Fornici. p. 3. c. 15. pag. 372.

[3]) „Illud . . . advertere praestat, eam olim apud Christianos obtinuisse consuetudinem, ut non modo Episcopos de ineundis nuptiis consulerent, verum etiam ut nuptiae nonnisi communibus Christianorum precibus sacrorumque ministrorum benedictione consecrarentur. Hunc autem morem ab Apostolis profectum in Ecclesiam manasse, in dubium vocari

adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus aut duobus testibus[1]), virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in matrimonium interroget utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone:

„N. vis accipere N. hic praesentem, in tuam legitimam uxorem, juxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?

Respondeat sponsus: „Volo".

Mox Sacerdos sponsam interroget: N., vis accipere N. hic praesentem, in tuum legitimum maritum, juxta ritum Sanctae Matris Ecclesiae?

Respondeat: Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras[2]), dicens:

---

nequit; cum Ignatius martyr, Apostolorum discipulus, id aperte testetur in Epist. ad Polycarp; postquam enim virgines hortatus est, ne virginitatis laude, qua Christum secutae florebant, supra ceteras se extollerent. „Decet, inquit, ducentium et nubentium conjunctionem fieri cum Episcopi sententia, ut ita nuptiae secundum Dominum sint, non autem secundum concupiscentiam." *Selvaggio* Antiq. christ. institut. lib. III. c. 15. §. 3.

1) *Soter*, Papa, † 172, instituisse traditur, ut sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis afferantur. Concil. Carth. 398. c. 13. — Sponsus habuit paranymphum, et sponsa paranympham, quorum munus erat, per tempus sponsalitium esse consiliarios sponsorum atque castitatis custodes, de officiis matrimonii eos docere, atque in celebratione matrimonii assistere. Apud Graecos inter paranymphos et sponsos cognatio spiritualis, matrimonium dirimens, locum habuit." *Binterim.* p. 6. a. pag. 110, 111, 112. *Fluck.* Liturg. p. I. pag. 346.

2) Sponsa stat coram altari ad sinistram sponsi, sic indicans, se esse subjectam viro. 1. Cor. 11. 3. Eph. 5. 23. Quam antiquus sit ritus, ut sponsi scilicet matrimonium contrahentes mutuas sibi dexteras darent, constat ex s. Scriptura, Tobiae c. 6. ubi de Raguel scriptum legimus, quod apprehendens dexteram filiae suae, dexterae Tobiae tradidit, dicens:

„Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.[1])

Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum. Postea eos aspergat aqua benedicta: mox benedicat annulum.

III. Benedictio annuli[2]).

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic †, Domine, annulum hunc, quem nos in tuo Nomine benedicimus †, ut, quae cum gestaverit, fidelitatem inte-

---

„Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.“ Hunc etiam ritum initio Ecclesiae apud Christianos servatum fuisse, nos docet Tertullianus, in libr. de veland. Virg. et Gregorius Nazianzenus in ep. 57. ad Anysium, et antiqua Ritualia omnia“. *Fornici* l. c. „In Sacramentario Gelasiano et Gallicano hujus ritus nulla mentio fit; hinc in Ecclesia Occidentali non in usu fuisse videtur ante saeculum nonum. — Sponsa dat nudam manum, si sit virgo, coopertam si sit vidua.“ Codex Victor. apud Martene. Fluck. l. c. p. 339.

1) Martene de antiq. eccl. ret. lib. I. c. 9. a. 3. n. 6. dicit: „Inaudita olim erant illa verba parochi: „Ego vos conjungo in matr. etc. — in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam hujus Sacramenti constituant, quae tamen desiderantur in . . . ritualibus paene omnibus, quae a nobis postea exhibebuntur.“ Fluck l. c. 340. Graecis talis confirmationis formula omnino est incognita.

2) Hujusce annuli usus meminit jam Clemens Alex. († c. ann. 220.) Paedagog. lib. 3. c. 11. „Dat ergo (vir) ei annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignet, quae domi digna sunt, quae custodiantur, propterea quod servandae domus ad eum cura pertinet.“ Annullus ergo juxta Clementis sententiam datur in signum curae domus seu familiae, siquidem annulus loco sigilli adhibebatur. — Isidorus Hisp. de eccl. off. lib. II. c. 19. significationem hujus ritus sic exponit: „Quod autem in nuptiis annulus a sponso sponsae datur, id fit vel propter mutuae dilectionis signum, vel propter id magis, ut hoc pignore corda

gram suo sponso tenens, in pace et voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat Sacerdos annulum aqua benedicta in modum crucis, et sponsus acceptum annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae, Sacerdote dicente: In nomine Patris + et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

IV. Mox subjungat:[1])

℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Kyrie eleison, Christe eleison; Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

---

eorum jungantur. Porro scribit idem auctor l. c.: „Quarto digito annulus inseritur, quod in ea vena quaedam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat. — Quam opinionem s. Isidorus ex Aulo Gellio derivasse videtur; hic enim de hac re sic scribat: „Veteres Graecos annulum habuisse in digito accepimus sinistrae manus, qui minimo est proximus; Romanos quoque homines, ajunt, sic plerumque annulis usitatos. Causam hujus rei Appion in libris aegyptiacis hanc dicit, quod in sectis apertisque humanis corporibus, ut mos in Aegypto fuit, quos Graeci anatomos appellant, repertum est, nervum quendam tenuissimum ab eo uno digito, de quo diximus, ad hominis cor pergere et pervenire. Propterea non inscitum visum esse eum potissimum digitum eligere.“ Physiologia tamen hodierna hoc rejicit; nec Clemens Alex. de hac expositione mentionem facit, sed censet, annulum portari in quarto digito propter majorem commoditatem; alii dicunt, haberi annulum in sinistra manu, quia cor situm est in sinistro latere corporis; alii, ut sic annulus pronubus distinguatur ab annulo episcopi, qui eum habet in dextera manu. In pluribus locis duo vel tres annuli in usu fuerunt, et adhuc sunt, sponsa etiam annulum dante sponso. *Fluck.* l. c. Binterim l. c. Bingham censet, primis saeculis ceremoniam annuli tantum inter ritus sponsalium, non inter ritus nuptiarum adhibitam fuisse. Origenes. Eccles. tom. 9. lib. 22. c. 3.

[1]) Sequentia semper dicuntur, etiam in illis nuptiis, quae non sunt benedicendae.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Respice, quaesumus, Domine, super hos famulos tuos, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste, ut, qui Te auctore junguntur, Te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His expletis, si benedicendae sint Nuptiae, parochus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quae ibi praescribuntur. [1])

§. 72.

De benedictione nuptiarum.

I. „Caveat etiam parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Sed viduae nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit. . . .

Postremo meminerint parochi, a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a Feria IV. Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut *nuptias benedicere*, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.“ [2])

II. Per benedictionem hanc nuptiarum, de qua hoc loco Ri-

[1]) Rit. Rom. tit. matrim.
[2]) Rit. Rom. l. c.

tuale loquitur, non intelligitur ipsa celebratio matrimonii cum benedictione annuli et sequentibus precibus, sed illae preces, quae in Missali infra Missam pro sponso et sponsa post celebrationem matrimonii praescribuntur. Benedicuntur autem hoc modo solemni juxta monita Ritualis Romani:

1) Nuptiae primae ex parte viri et mulieris simul, sive mulier sit virgo, sive corrupta.[1]

2) Invaluit consuetudo, nuptias benedicendi, si mulier nunquam antea nupta contrahat cum illo, qui aliam habuit uxorem, ex eo forsan, quod tota benedictio nuptialis mulierem respiciat.[2]

Benedictio autem non est conferenda:

1) nuptiis secundis ex parte viri et mulieris simul;[3]

2) nuptiis secundis ex parte solius mulieris;[4]

3) nuptiis tempore clauso celebratis.

III. Haec benedictio regulariter fieri debet infra Missam eamque Missam votivam pro sponso et sponsa, quando Rubricae eam admittunt.[5] Missale sic habet: Dicto „*Pater Noster*", sacerdos, antequam dicat „*Libera nos, quaesumus, Domine*", stans in cornu Epistolae versus sponsum et sponsam *ante altare genuflexos*, dicit super eos sequentes orationes, (scilicet duas, quibus praesertim pro femina adprecatur, ut nexa fidei mandatisque

---

1) S. C. C. 2. Oct. 1593.

2) Fornici. Inst. Liturg. l. c. c. 16.

3) „Matrimonia pariter a liberis personis legitime inita tanquam vera et indubitata Sacramenta recepit semper probavitque Ecclesia. Ipsius tamen desiderium fuit, ut nonnisi virgo virgini nuberet, secundasque nuptias, ut certa incontinentiae signa, aegre tulit. Fatentur haec passim theologi, sacrorum Canonum interpretes et de veteri Ecclesiae disciplina scriptores, qui fuse docent et probant secundas nuptias nonnisi certis legibus et conditionibus alicubi fuisse permissas. Sed, hisce omissis conditionibus, quibus erant secundo nubentes obnoxii, tam in variis Conciliis, quam in Constitutionibus Summorum Pontificum relatis in titulo XXI. Decret. de secundis nuptiis, statutum est, ut iisdem benedictio nuptialis denegaretur." Fornici Inst. Lit. l. c.

4) S. R. C. 3. Mart. 1761.

5) Vide §. seq.

permaneat; donec optata senectute ad beatorum requiem perveniat;) quibus dictis sacerdos reversus ad medium altaris dicat „*Libera nos, quaesumus*“ et reliqua, more solito; et postquam sumpserit Sanguinem, communicat sponsos, et prosequatur Missam. — Dicto „*Benedicamus Domino*“ vel, si Missae illius diei conveniat „*Ite Missa est*“, sacerdos antequam populo benedicat, conversus ad sponsum et sponsam dicat: „Deus Abraham, Deus Isaac etc.“ (orans nempe, ut Deus impleat super eos suam coelestem benedictionem, ut videant filios filiorum et postea sine fine possideant vitam aeternam.) „Moneat, prosequitur Missale, eos sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem; orationis tempore, et praesertim jejuniorum ac solemnitatum casti maneant, et vir uxorem, atque uxor virum diligat, et in timore Dei permaneant. *Postea eos aspergat aqua benedicta*, et dicto „Placeat tibi“ det benedictionem, et legat, ut solitum est, Evangelium S. Joannis, „*In principio*“.

IV. Benedictio ista infra Missam impertienda jam in veteri Ecclesia usitata erat, ac magni momenti habebatur, ut patet ex verbis Tertulliani, lib. 11. ad Uxor. c. 9., ubi felix appellat connubium, „quod Ecclesia conciliat, et *confirmat oblatio*, et *obsignat benedictio*, Angeli renuntiant, Pater ratum habet; inter quae illud „confirmat oblatio“, et „obsignat benedictio“ inprimis notatu dignum est; innuere enim videtur, infra oblationem, i. e. Missam, benedictionem esse datam nuptiis, ut hoc modo eae quasi sigillo quodam confirmarentur. Similiter Patres antiqui hanc nuptiarum benedictionem, veluti fontem, unde in conjuges coelestium bonorum thesaurus effundebatur, suscipiebant.[1]) Tempore Caroli M.[2]) vetitum fuit, ne sine precibus et *oblationibus sacerdotalibus* conjugia inirentur, et quae iis ritibus essent destituta, non legitima esse sanxit. — Ut solemnior haec benedictio fieret, illi alii ritus adjungebantur; dum enim sacerdos erat benedictionem elargiturus, super sponsum et sponsam velum purpureum expandebatur, quod S. Ambrosius, loquens de Virgin.

[1]) Videre est, quae de hujusmodi benedictione disserit S. Chrysostomus hom. 48. in Genes.

[2]) Capitul. Carol. M. lib. 7. c. 362.

c. 15. *flammeum nuptiale* appellat, quia nimirum purpurei erat coloris ad denotandum fortasse pudorem, quem in conjugio servari oportet. S. Isidorus de hoc ritu dicit: „Sponsus et sponsa candelas ardentes in manibus teneant, et, offertorium Missae audientes, offerant, et antequam „Pax Domini“ dicatur, ante altare sub pallio vel alio quolibet opertorio, sicut mos est, Sacerdos eos benedicat.“ Non minus antiqua quam solemnis erat capitis coronatio, quae sic peragi consuevit: fine jam sacerdotali benedictioni imposito, novis conjugibus jam discessuris Sacerdos ipse coronas imponebat ex olea, aut floribus intextas, quas gerebant in capitibus, dum e templo domum dimittebantur.[1]) Hunc ritum apud Graecos semper viguisse, et vigere adhuc ex eorum Euchologio constat. Eandem in Occidentali Ecclesia consuetudinem obtinuisse datur ex responsione Nicolai I. ad Bulgaros. Verum iste ritus, licet in Oriente adhuc obtineat, in occidentali Ecclesia abiit in desuetudinem.[2]) Horum veterum benedicendi nuptias rituum vestigium tantum retinetur, quod habetur in Missali pro nuptiis benedicendis; sed quantopere Ecclesia etiam hodiedum desideret, ut nuptiae solemniter infra Missam benedicantur, patet imprimis ex hoc, quod Missa pro sponso et sponsa singulari praerogativa sit privilegiata (ut infra videbimus) in favorem hujus benedictionis, quae regulariter fieri non debet, nisi inter Missarum solemnia.[3]) Nec tamen parochis jus est, adigendi sponsos ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam.[4]) In tali casu benedictio solemnis ex Missali extra Missam immediate post celebrationem nuptiarum dari potest;[5]) juxta plures dari debet.[6])

---

[1]) S. Chrysost. hom. 9. in 1. ep. ad Timoth. docet, ab Ecclesia conjuges donari corona, ut victoria, quam ex mundanis illecebris morum integritate reportaverunt, ostenderetur, adeo ut hic honor nuptiis non rite initis, nunquam concessus, perraro secundis, reperiatur.

[2]) Fornici Inst. Lit. p. 3. c. 16.

[3]) S. C. C. 13. Julii 1630. S. C. R. 7. Sept. 1850.

[4]) S. C. R. 1. Sept. 1838 in Eystettensi.

[5]) Instruct. Past. Eyst. p. 363.

[6]) Gury. n. 1540.

§. 73.

De Missa pro sponsis.

I. Cum nihil usitatius fuerit in veteri Ecclesia, quam ut nuptiae non modo virtute sacramenti et benedictione sacerdotali, sed etiam fructibus ss. Missae sacrificii consecrarentur ac quasi confirmarentur, parochus, licet sponsos nequeat adigere, saltem admonere debet, ut post contractum matrimonialem aut Missae intersint, aut pro se Missam Deo offerri procurent, et infra eandem benedictionem recipiant. Quod ut minus difficile habeatur, adnotamus 1) sacerdotem non teneri Missam applicare pro sponsis, infra quam illis benedictio datur, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat; 2) hanc Missam post contractum coram parocho matrimonium de ejus licentia posse ab alio sacerdote celebrari; 3) in eadem Missa plures posse sponsos benedici;[1]) 4) illis diebus, quibus Missa Votiva pro sponso et sponsa juxta infra dicenda dici non potest, infra Missam diei eandem posse dari benedictionem ex Missali cum commemoratione Missae votivae pro sponso et sponsa.

II. Jam in Sacramento Gelasiano invenitur fere eadem Missa votiva pro sponso et sponsa, quae hodiedum in Missali Romano inter Missas votivas habetur, ac potest dici ex speciali privilegio omnibus diebus, etiamsi fiat officium et Missa de festo duplici per annum, sive majori, sive minori, exceptis tamen:

1) omnibus Dominicis et festis in foro observandis, nec non duplicibus primae et secundae classis.[2])
2) Exceptis etiam *tota* Octava Epiphaniae et vigilia octavaque Pentecostes, die octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia secundae classis excludentibus.[3]) Hinc si hisce diebus matrimonium celebrari debet, Missa est dicenda de die, cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa et

[1]) S. C. Inquisit. 1. Sept. 1841. Instruct. past. Eyst. p. 363.
[2]) S. R. C. 20. Decemb. 1783.
[3]) S. R. C. 20. April. 1822.

reliquis Orationibus, quae in eadem Missa pro benedictione nuptiarum habentur.[1])

3) Missa votiva pro sponsis dici non potest, quando ex quacunque causa benedictio solemnis infra Missam omittitur vel omittenda est; privilegia enim huic Missae concessae sunt propter benedictionem infra eam faciendam. Hinc non potest dici, dum mulier est vidua,[2]) vel si contrahitur tempore clauso,[3]) vel si una pars sit acatholica, vel si benedictio solemnis ante Missam detur, et sic a Missa abstrahatur;[4]) in cunctis his casibus, si a sponsis vel ab una parte Missae applicatio petatur, debet dici Missa de die, aut, si per rubricas licet, potest dici alia Missa pro devotione petentis, absque tamen commemoratione nuptiarum.

III. Missa autem pro sponso et sponsa, sive celebretur cum cantu et solemnitate, sive privata tantum, ritum semper retinet Missae votivae privatae, i. e. *sine Gloria et Credo* cum *tribus* Orationibus et omnibus commemorationibus, quae in Missa diei forent faciendae, *prima* videlicet Missae hujus votivae propria, *secunda* officii diei, et *tertia*, si alia commemoratio specialis non occurat, quae *alias* in Missa semiduplicis eodem tempore secundo loco diceretur, cum *Benedicamus Domino* in fine et *ultimo Evangelio S. Joannis.* Idque fieri debet, sive officium diei sit duplex, sive ritus inferioris.[5])

---

[1]) Ex eodem decreto S. R. C. 1783. In Missa tamen pro defunctis (Requiem), ut per se patet, nec sponsos benedicere, nec nuptias commemorare licet, sed potius transferenda est benedictio in aliam diem. S. C. Inquis. 1. Sept. 1841. In die vero commemorationis omnium fidelium defunctorum legi potest Missa pro sponsis, non vero alia votiva. S. C. R. 1850. Cum matrimonii celebratio concurrit cum Missa pro defuncto, corpore praesente, non differenda, unusque tantum adest sacerdos, in hoc casu Missa obitus praefertur Missae pro sponso et sponsa. Resp. S. C. de Propag. Fide. 13. Mart. 1819.

[2]) S. C. R. 3. Mart. 1761.

[3]) Vide supra de tempore clauso.

[4]) S. R. C. in Limburg. 1853.

[5]) S. C. R. 28. Febr. 1818; 28. Julii 1832 et 31. Aug. 1839 in Eystettensi. — Inst. past. Eyst. p. 364. Fornici l. c.

Si autem Missa votiva pro sponso et sponsa non dicitur, sed Missa de die, cum commemoratione nuptiarum, facienda est commemoratio Missae votivae pro sponsis post orationes in Missa diei,[1]) semper vero sub distincta conclusione etiam in festis primae et secundae classis, licet nulla alia commemoratio occurrat.[2])

IV. Quando plures nuptiae simul celebrantur, parochus debet interrogare de *singulorum* consensu mutuo ac *pro singulis* matrimoniis, conjuge conjugi dexteram dante, uti forma „Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris etc." — sed nihil obstat, quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones infra eandem Missam fiant in communi per verba generalia seu in numero plurali.[3]) Rituale Romanum, dictis dicendis de benedictione et Missa pro sponsis, ex Conc. Trid. (sess. 24. de refor. matr. c. 1) addit: „Caeterum, si quae Provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando matrimonii Sacramento utuntur, eas sancta Trident. synodus optat retineri." Cum autem in hisce Provinciis stricte vetitum sit, ne sacerdotes a forma sibi in Rituali Romano praescripta, consuetudinis obtentu vel alio quocunque praetextu, discedant, hujusmodi consuetudines quascunque pro his locis non licet etiam in matrimonii celebratione observare, sed stricte monitis et rubricis Ritualis Romani[4]) est inhaerendum.

In c. Eystett. ad dubium (?) sic expositum: „Quum in nuptiis benedicendis perraro in Bavaria Missa pro sponso et sponsa celebrari valeat, ac proinde benedictio nuptiarum in Missali praescripta intra Missam, extra ipsam Missam ut plurimum impertitur,

---

[1]) Sed ante orationes a superiore forsan indictas vel pro lubitu additas.

[2]) S. C. R. 20. April. 1822.

[3]) S. C. Inquis. 1. Sept. 1841.

[4]) Conc. Baltim. III. Decret. V. „Placuit, ut Rituale edatur *Romano conforme*, adjectis in appendice, quae ad aedificationem fidelium conducere visa fuerint, quod Baltimori edatur, auctoritate Illmi. et Revmi. Archiepiscopi, et ubique per foederatas Provincias servetur. Ne autem peculiares ritus cujusque arbitrio inducantur, districte vetamus, ne sacerdotes a forma sibi in Rituali praescripta, consuetudinis obtentu vel alio quocunque praetextu discedant."

quaeritur: „utrum liceat hunc ritum a Missa abstrahere, et quatenus negative, utrum Episcopis et parochis jus sit adigendi sponsos ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam.“ Responsum fuit (a S. R. C.) ad (2): „*Nihil obstat ad primam partem, negative ad secundam.*“ Atque ita rescripsit die 1. Sept. 1838. (Gardellini collect. authent. n. 4080. Eystelt.) Quod responsum generaliter decretum habens, cum aliis censui, in similibus rerum adjunctis benedictionem solemnem a Missa licite abstrahi et extra Missam dari posse, imo etiam melius esse, ut illa benedictio adderetur ad ritum, qui habetur in Rituali Romano; sed nunc apparet ex recentioribus responsis ejusdem Congregationis, illud in Eystelt. intelligendum fuisse uti specialiter indultum pro illa dioecesi, neque tamen extendi posse ad similia rerum adjuncta in aliis locis; quum enim Rmus. Episcopus Limburgensis Smum. Dnum. nostrum Pium IX. P. M. humillimis precibus adiens sequentium dubiorum declarationem rogavit, nimirum. 1) Quum ex S. R. C. decreto die 1. Septembr. 1838 in Eichstad. benedictio nuptiarum, quod etiam frequentissimum in hoc Limburg. dioecesi est, a Missa abstrahi licite possit, et sponsi ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam adigi non debeant, quaeritur: „utrum, si eandem benedictionem a Missa abstrahi et tardioribus diei horis cum ritu celebrandi matrimonii conjunctam impertiri, de mane tamen petentibus sponsis Missam celebrari contingat, votiva pro sponso et sponsa cum iisdem privilegiis ac alias sumi valeat, an vero et in ipsis etiam votivas admittentibus diebus Missa currens aut alia, exclusa Missa pro sponso et sponsa, cui forte abstracta benedictione locus amplius non sit, dici debeat. 2) Quum Agenda Limburgensis anno 1838 sub praedecessore meo edita benedicendi matrimonii ritum duplicem exhibeat, quem in pagella adnexa videre licet, quaeritur, utrum quoties benedictionem ut supra a Missa abstrahere contingat, hunc Agendae ritum retinere liceat, an vero ritum Missae pro sponso et sponsa insertum etiam extra Missam omnino adhibere oporteat. — 3) Quaeritur, utrum Episcopus tempore clauso etiam in hoc valeat dispensare, ut secluso quidem semper alio quocunque apparatu ac strepitu nuptiarum benedictio tamen so-

lemnis more debito adhibeatur. Responsum fuit die 23. Junii 1853: „Sanctitas Sua super requisitis a Rmo. Episcopo oratore audita a me subscripto S. R. C. pro secretario relatione fideli mandavit, ut dubiis ipsis juxta mentem Suam et alias decreta responsa darentur, nimirum: ad 1) Juxta decretum Urbis et Orbis latum die 20. Decembr. 1783 missa in nuptiis semper debet esse votiva pro sponso et sponsa, ut in Missali, praeterquam in festis de praecepto et duplicibus 1. et 2. cl. in quibus missae occurrenti addenda est commemoratio pro sponso et sponsa. In ea vero adsignata benedictio juxta rubricas non est impertienda nisi in missa. — Ad 2) Provisum in praecedenti, et quando impertienda est benedictio, omnino servetur rubrica Missalis. Quoad specialem benedictionis formulam extra missam: „Relatum". (Responsum juxta stylum Congregationis non multo mitius, quam „negative".) Ad 3) In casu nuptiae celebrentur sine solemnitate, ideoque privatim sine missa et benedictione temporibus prohibitis. Cumque Rmus Ep. Limb, rescripsit, urgens decretum (Gardellini. n. 5190. Limburg. Ed. 1858) latum 1. Sept. 1838, privatim illi declaratum fuit, intentionem esse Smi Patris, ut lex observetur, ne autem indultum extendatur. Ex hisce decretis procul dubio constat 1) benedictionem solemnem saltem absque speciali indulto, nunquam licite abstrahi a missa, neque ullo modo impertiendam esse, nisi cuncta juxta rubricas Missalis stricte observentur, nihil addendo vel detrahendo. 2) Cum communio sponsorum intra Missam mandetur per rubricas, ea necessario fieri debet, si nuptiae benedicantur, post communionem Sacerdotis, et, ut supra monuimus, per modum quidem sacrificii (§. 69). 3) Si sponsi, quorum nuptiae alias possent ac deberent benedici, ex quacunque causa renuant omnia observare juxta rubricas Missalis, non alius ritus potest licite adhiberi, nisi ille, qui habetur in Rituali Romano usque ad illud: „His expletis, si benedicendae sint" etc. exclusive. Addendum ex litt. ad Episc. Limburg. 4) Pium IX. hac occasione data hortari, ut sponsi, quamvis non possint cogi, omni tamen modo quo fieri potest, inducantur ad cuncta observanda, quae requiruntur ad benedictionem solemnem ipsis licite impertiendam. 5) Pro illis

regionibus, ubi forte usus praevaluit abstrahendi benedictionem solemnem a missa, notandum est, hujusmodi consuetudinem, absque speciali indulto, nihil valere contra rubricas Missalis, ac multo minus contra relata decreta S. R. C., quae derogant cuicunque contrariae consuetudini.

§. 74.

De obligatione parochi scribendi conjugatos in libro matrimoniorum parochiali.

I. „Peractis omnibus, parochus manu sua describat in libro matrimoniorum nomina conjugum et testium, et alia juxta formulam praescriptam, idque, licet alia sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus, matrimonium celebraverit“[1]). Forma autem scribendi conjugatos in dicto libro a Rituali Romano haec habetur:

Anno . . . die . . . mensis denuntiationibus praemissis continuis diebus festivis, quarum prima die . . . secunda die . . ., tertia die . . . inter Missae parochialis solemnia habita est, nulloque legitimo impedimento detecto, ego N. N. Rector hujus ecclesiae parochiali N. civitatis vel loci N. filium N. parochiae N. et filiam N. seu relictam N. (si fuerit vidua), hujus seu parochiae N. in Ecclesia N. interrogavi, eorumque mutuo consensu habito solemniter per verba de praesenti, matrimonio conjunxi, praesentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in parochia N. et N. filio N. etc., postea eis ex ritu S. Matris Ecclesiae (si tamen nuptias benedixerit) in Missae celebratione benedixi. —

Si autem denuntiationes omnes vel partim omittendae sint, ita scribatur:

Denuntiationibus omnibus (vel una, vel duabus) omissis ex facultate etc. Ego Rector N., ut supra.

---

[1]) Rituale Rom. juxta Conc. Trident. l. c. Item inculcatur in articulis ab Archiep. Baltim. et Episcopis foederatae Americae a 1810 sancitis, art. 4. et in decreto XIV. Conc. prov. I. Baltim.

Si alteri presbytero facultas facta sit conjungendi aliquos, id in libro proprii parochi sic adnotetur ipsius parochi manu: Anno . . . die . . . mensis . . .

N. Presbyter, de licentia Revm̃s. Episcopi N. *aut* mea, quae penes me extat, N. filium N. et N. etc. . . . in matrimonium conjunxit . . ut supra. Et ego N. parochus N. subscripsi et testor rem ita se habere.

Si dispensatum fuerit de aliquo impedimento, adnotetur gradus consanguinitatis vel affinitatis etc. et compendium decreti super ea relati cum die et anno ac Notarii de illo rogati nomine hoc modo.

A. Domini . . . die . . . mensis . . . praemissis denuntiationibus ac comperto impedimento . . . . inter N. et N. etc. obtentoque per eos Apostolicae Sedis mandato de dispensando, et cum eis per Revm̃um. Episcopum N. auctoritate dispensato die . . . anno . . . ut constat ex actis Notarii officii praedicti Episcopi eos matrimonio conjunxi . . . ut in praedicta formula . . .

II. Ex causis urgentibus nonnunquam fieri potest, ut ad evitanda scandala matrimonium omnino occulte seu secrete iniri expediat, hoc scilicet modo, ut nullis praeviis denuntiationibus, coram solo parocho vel alio sacerdote de ejus licentia, adhibita praesentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, matrimonium celebretur, resque peragatur extra ecclesiam quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo, remota alterius cujusvis praesentia, scientia matrimonii initi praeter parochi, contrahentium testiumque personas alias penitus effugiat. De hisce matrimoniis, quae *conscientiae* vulgo nuncupant, ut gravia mala ex illis timenda quatenus fieri potest, tollantur, Benedict. XIV. in litteris encycl. „Satis vobis“ 17. Novemb. 1741 statuit: 1) ne admittantur sine Episcopi permissu, 2) ut Episcopus sedulo et caute inquirat de personis taliter contrahere intendentibus eorumque conditione; 3) ne haec permissio concedatur absque causa gravi, et urgentissima, v. g. in casu, quo vir et femina, in figura matrimonii publice degen-

tes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent; facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denuntiationibus compelli, etc.; 4) ut ad id munus deputetur ab Episcopo parochus alterius ex contrahentibus, vel, gravi impellente causa, alius sacerdos, qui tamen probitate et doctrina et obeundi muneris peritia commendetur; 5) ut contrahentes moneantur, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere baptismatis lavacro, ac, tanquam legitimos filios, haberi, pietateque bonisque moribus imbui; 6) ut, celebrato matrimonio, indilate a parocho vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt; 7) ut ab Episcopo ad perennem gestae rei memoriam praefatum documentum fideliter transcribi curetur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more annotantur; 8) ut hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus et sigillis obsignatus, in episcopali cancellaria caute custodiatur, et eo tantum casu resignatur et aperiatur, Episcopi accedente licentia, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiae administrandae necessitas; 9) ut attestationes clam celebrati matrimonii a parocho exaratae in secretiori loco serventur; 10) ut simili modo procedatur de annotatione baptismi liberorum ex hujusmodi matrimonio natorum[1]).

§. 75.

De assistentia parochi in matrimoniis mixtis.

I. Ecclesiam matrimonia mixta permittere quidem ut licita, postquam iis, inquantum potest, succum malum per conditiones praescriptas subtraxit, sed ea nunquam approbare, ex superius dictis plane patet. Itaque per se assistentia sua ejusmodi nup-

---

[1]) Encyclicae Benedicti XIV. in tom. 6. S. Liguor. edit. Ratisbon. 1847.

tias, licet cum venia Sedis Apostolicae initas, parochus cohonestare non potest, sed satishabere debet, extra ecclesiam absque stola et cotta, et abstinendo se a benedictione annuli, et a dicenda forma: „Ego vos conjungo etc.“, contrahentium solummodo consensum excipere et tanquam testis qualificatus in librum matrimonialem referre. Nunquam vero benedictio matrimonii dicatur, nec Missa pro sponsis celebretur; sed si pars catholica Missam pro se dicendam exoptaverit, licebit subjungere Missam de die vel aliam votivam juxta rubricas[1]).

II. Haec tamen assistentia a parocho salva conscientia nunquam poterit concedi, *si nuptiae aut antea aut postea ritu protestantico initae vel ineundae essent*,[2]) aut si sponsi absque

---

[1]) Conc. Baltim. pag. 19, 170, 253. Ex epistola S. Cong. de P. F. ad Patres Concil. Provinc. VI. patet, eam esse S. Sedis constantem et firmam voluntatem, ut matrimonia mixta nullo adhibito religioso ritu celebrentur, p. 170. S. C. Inquis. 28. August 1839. Benedict XIV. de Synod. dioec. lib. VI. c. 5. n. 5. Instruct. past. Eystett. p. 365. — In statutis Dioeces. Milwauchiensis haec habentur: Sacerdos, qui adstat matrimoniis catholicorum cum acatholicis, debita cum venia, debet inprimis curare, ut conditiones a S. Sede praescriptae de partis catholicae libero religionis exercitio, et de catholica educatione prolis utriusque sexus acceptentur ab utroque contrahente, et inquirere, utrum adsit impedimentum dirimens, praesertim disparitatis cultus, quod si detegatur, non procedat absque necessaria dispensatione. Deinceps poterit eos ulla qui verbis quae in appendice Ritualis Baltim. reperiuntur, vel aliis, pro arbitrio. Consensus autem partium est exquirendus coram testibus, sermone vernaculo:

N. N. visne ducere in uxorem legitimam N. N. his praesentem. R. Volo.
R. N. visne nubere N. N. hic praesenti R. Volo. Deinceps jungunt manus, et consensum hisce verbis vernaculo sermone plenius exprimunt. Vir dicit: Ego N. N. duco te N. N. in uxorem legitimam ex hoc die, donec morte separati fuerimus. Mulier autem dicit: Ego N. N. nubo tibi N. N. ex hoc die donec morte separati fuerimus.

Annulus tunc imponitur a sponso digito annulari manus sinistrae sponsae.

Post haec brevem hortationem facere poterit sacerdos, eos monens de obligationibus susceptis. „Statut Dioec. Milw. in addit.“

[2]) S. C. Inquis. 21. April. 1847. In nonnullis locis in hoc casu a S. Sede

Ecclesiae venia et dispensatione vel necessariis cautionibus praetermissis contrahere voluerint. Introductio tamen et benedictio post puerperium, *quando proles a sacerdote catholico baptizata est*, fieri omnino potest, et preces pro matre et prole *utraque catholica*, dici poterunt.

III. Ubi catholica pars, quae cum acatholica illicitas nuptias absque Ecclesiae venia contraxerit, ad confessionem sacramentalem accesserit[1]), admoneatur in charitate Dei et patientia Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agat, et si animo vere contrito desuper poeniteat suisque satisfacturam obligationibus, praesertim circa omnium liberorum educationem catholicam pro viribus seduloque curandam appromiserit, absoluta potest dimitti[2]).

Quaeritur, num parochus catholicus assistere possit matrimoniis Acatholicorum cum Acatholicis, si illi ad ipsum in hunc finem accedunt?

Respondeo, esse distinguendum, utrum illi sint haeretici baptizati, an non baptizati seu infideles. *Si sint baptizati*, parochus catholicus non potest assistere contrahendo tali matrimonio, quidquid pauci recentiores contra hoc dicunt[3]). Ratio est 1) quia in divinis et sacris haeretici jure divino et probabiliter etiam ecclesiastico sunt vitandi[4]); matrimonium autem inter haereticos baptizatos pertinet ad res divinas ac sacras; ergo etc. Si autem dicas, illos non credere in Sacramentum

---

assistentia mere passiva parocho indulgetur ad evitanda gravia incommoda. Greg. XVI. P. in litt. ad Episc. Bavariae. 12. Sept. 1834.

1) Sed in his locis inprimis inquirendum est, an pars Acatholica, quacum contraxit, sit baptizata, necne; in casu posteriori confessarius, si poenitens inveniatur, aliter dispositus, praemissis *cautelis* necessariis debet per dispensationem simplicem cum renovatione consensus, vel per dispensationem in radice matrimonium revalidare, antequam potest absolvere.

2) Pius VIII. in litteris ad Episc. Borussiae dd. 25. Martii 1830. Instruct. pastoral. Eystettens. p. 366.

3) Permaneder Kirchenrecht Bd. II. §. 655.

4) Pignatelli tom. 7. consult. 55. n. 2. n. 13.

matrimonii, ideoque parochum posse matrimonium inter eos habere tanquam contractum civilem, hoc omnino esse negandum respondemus, quia sic agendo parochus catholicus saltem implicite hunc fidei articulum negaret. 2) Insuper C. C. T. jam die 22. Junii 1624, declaravit, nullatenus debere parochum haereticorum matrimoniis assistere[1]), et iterum in dubio jurisdictionis Capellanorum exercitas die 6. Martii 1694, cum propositum fuerit: „An Capellani assistere possint matrimoniis Acatholicorum cum Acatholicis etc., eadem Congregatio respondit: „*Negative*"[2]). Pignatelli, agens de hac re, quaestionem proponit, an liceat jungere matrimonio aliquos haereticos sub promissione evadendi Catholicos, et sic respondet: „Videndum prius est, an hujusmodi promissio fiat voce vel scripto, et quatenus scripto, exhibeatur exemplar. Est enim prohibitum parochis catholicis assistere celebrationi matrimoniorum haereticorum, nisi praevia abjuratione, vel fidei professione. Si tamen contrahatur sub *praedicta* conditione, vel cum *certa*, vel *satis probabili* spe reducendi ad fidem catholicam haereticos, poterit concedi facultas assistendi prudenti arbitrio parochorum[3]). Hinc, si *certa* vel *satis probabilis* adsit spes, juxta hujus auctoris sententiam licet jungere matrimonio haereticos; sed cum auctor hoc scripserit[4]), priusquam S. C. C. dedisset responsum negativum de die 6. Martii 1694, supra citatum, decernere non audemus, an haec sententia, obstante hoc responso, longius possit haberi probabilis[5]), necne.

---

[1]) Lib. 12. Decret. p. 183.

[2]) Lib. 44. Decret. p. 80. in Thesauro Resol. S. C. C. tom. V. p. 149.

[3]) Pignat. tom. 7. Consil. 55. n. 13.

[4]) Pignat. edidit Consultationes suas Venetiis, A. 1688.

[5]) Quaeritur, an parochus Catholicus possit licite assistere matrimoniis haereticorum, qui in sua parochia degunt (tanquam parochiani)? Affirmant Laymann, Pirhing, Schamboy et allegant pro se praxin Germaniae . . . Sed contrarium est, quod teste Vincent. Petra tom. 4. fol. 75. n. 8. *pluries* respondit S. C. C. praesertim sub die 22. Junii 1624, . . Quod extendit cit. Petra n. q. etiam ad illas Provincias, in quibus impune grassatur haeresis, pro quo adducit Decretum S. C. C in Gnesens, a. 1590." Schmalzgr. tit. III. n. 242, 243. — Vide etiam text. Cas. XLIII. §. At nihilominus.

Si autem filii Acatholici, qui accedunt ad parochum catholicum ineundi matrimonii causa, sunt non baptizati seu infideles, nihil obstare videtur, quominus parochus assistere possit tali matrimonio; quia inter infideles matrimonium non est Sacramentum, sed contractus mere civilis. — Minime autem licitum esset assistere, si una pars esset baptizata, altera non, quia in hoc casu, propter impedimentum disparitatis cultus, cui pars baptizata obnoxia est, conjunctio inter contrahentes non esset matrimonium naturale et validum, sed concubinatus turpis, quem nefas est assistendo aliquomodo approbare.

Appendix I.

Casus matrimoniales.

Casus I.

De conditione contractui matrimoniali apposita.

Die 7. Maji anno 1718 contractum fuit in Civitate Ulisebonens. Occidentali juxta formam Concilii Trident. matrimonium de praesenti inter Senatorem Ludov. Guiffel Barberinum, et Joannam Agnetem de Almada Carnide, cum hac tamen mutua inter contrahentes intelligentia, ut contracto matrimonio mulier intra quindecim dies monasterium monialium ingrederetur, et elapso novitiatus anno, regularem emitteret professionem, una cum promissione non utendi matrimonio, nec illud consummandi, pro quo effectu renuntiavit *omni juri*, quod sibi competere posset super persona Ludovici, et cum expressione, quod in hypothesi, in qua aliqua ex hisce conditionibus non adimpleretur, matrimonium perinde se haberet, ac si nunquam contractum fuisset, et haec mutua intelligentia fuit in scriptis redacta, et parocho et testibus communicata, et paulo post ad celebrationem matrimonii deventum est. Ratio, cur matrimonium sub tali conditione contractum fuerit, in hoc sita erat, quod ex Senatoris Barberini frequentibus visitationibus in domo Joannae Agnetis suspicio de hujus virtute et honore exorta erat, quae hoc modo tolleretur, quin Barberinus vinculo matrimonii ligaretur.

Contracto autem matrimonio, et septem diebus vix elapsis Joanna in jus vocavit Ludovicum coram Vicario Generali Patriarchatus Ulisebon. Occidentalis, idemque sententiam protulit pro validitate matrimonii, sub eo potissimum fundamento, quod voluntarie et sine ulla coactione fuerat contractum, et quod non

repetitis in ipso actu matrimonii conditionibus praecedenter initis, ab eis in foro saltem externo recessisse dicendum sit. Habito tamen adversus hanc sententiam a Ludovico recursu primo ad Nuntiaturam, et deinde ad Sedem apostolicam, exhibitoque S. C. C. supplici libello, scriptum fuit Nuntio Apostolico pro informatione eademque ad Urbem transmissa, ipsoque tantum informante, proposita causa in Congregatione habita die 16. Martii 1720 nulla fuit capta resolutio, sed responsum *„dilata et examinentur formiter parochus, uterque conjux et testes, quatenus non fuerint formiter examinati"*. Urgente tamen Ludovico, qui ipse Romam venerat, in congregatione habita die 8. Julii 1724 dubium, an matrimonium sit nullum in casu etc. iterum disputandum propositum est. Card. Lambertini, (postea Benedict. XIV.), tunc munere Secretarii S. C. fungens, ex relatis in expositione coram Congregatione habita ad conclusionem devenit, matrimonium in casu esse nullum, cum conditio apposita, licet non sit turpis, multa tamen contineat contra fidem, prolem et Sacramentum, quae sunt tria bona nuptiarum, ac proinde substantiae matrimonii adversetur; conditio enim in casu apposita non solum actui, sed potestati contrariatur carnalis copulae, et ideo est contraria matrimonio [1]).

Quod autem conditiones saepe memoratae non fuerunt in actu matrimonii expositae, sed quod consensus fuit liber et absolutus, ita ut a praecedentibus conditionibus videatur esse recessum, nihil in casu facit ad validitatem matrimonii; Ludovicus enim paulo ante matrimonium et parocho et testibus aperuit, se matrimonium contrahere relative ad Apocham de conditionibus conceptam, et juxta tenorem ipsius, unde clare constat, quod in actu matrimonii ab his conditionibus non recessum sit. — Hinc matrimonium in casu contractum habendum est pro matrimonio ficto, ex honesta tamen causa reparandi honorem mulieris, in quo rerum themate de ejus nullitate non est dubitandum.

---

[1]) S. Thom. in 4 Sent. dist. 28. quaest. unica art. 4. ad. 3. Dominic. Sot. in 4 sentent. dist. 29. quaest. 2. art. 3. et permulti alii recentiores. — Vide dicta §. 2. II.

His et aliis bene perpensis S. Congregatio ad dubium, an matrimonium sit nullum in casu etc. respondit: „Ex hactenus deductis matrimonium esse nullum in casu“ [1]) etc.

Casus II.

De conditione.

I. Felicianus, juvenis bonis non fortunae, sed naturae dives contraxit matrimonium cum Febronia verbis absolute et sine adjecta conditione prolatis; sed quoniam paulo ante celebrationem dicti matrimonii coram testibus iterato asseveraverat, se in uxorem ducturam Febroniam, si dotem mille aureorum afferret; si secus, non ducturum, et Febronia primo jam nuptiarum die ultra fassa erat, pro dote sibi non competere nisi centum aureos, Felicianus contra matrimonii valorem reclamavit, seseque a toro et carnali commercio cum Febronia abstinuit; quaeritur, num standum sit pro valore vel nullitate matrimonii sic contracti?

II. Respondetur, standum esse pro nullitate, et quidem in utroque foro [2]). Ratio est, quia, si satis constet, defecisse consensum ex parte *saltem unius contrahentis*, ad valorem matrimonii exactum, standum est pro nullitate matrimonii; atqui in casu satis constat, defecisse consensum ex parte unius contrahentis, nempe Feliciani, ergo etc. *Minor prob.* Felicianus per verba ante matrimonium tam asseveranter prolata satis indicavit, suum consensum in contrahendo fore alligandum eventui memoratae conditionis, proindeque nullum, conditione non eveniente; cum igitur non evenerit, satis constat, nullum fuisse consensum. Nec praesumi potest, Felicianus priorem suam voluntatem mutasse, dum postea in contrahendo nullam expressit conditionem; contrarium enim satis ostendit gemino signo, dum intellecta conditionis deficientia statim reclamavit contra valorem matrimonii, ac insuper cum Febronia idcirco noluit commisceri; quare in voluntate sua virtualiter perstitisse judicandus venit [3]).

---

[1]) Thesaur. resolut. 16. Martii 1720 et 8. Julii 1724. v. I. 280. v. III. 40.
[2]) Ita in simili Sanchez. lib. 2. disp. 45. q. 2. Pignatelli tom. 9. cons. 136.
[3]) Holzmann Jus Canonicum practicum. lib. 4. cas. 228.

Casus III.

De errore.

I. Titius exponit parocho, se matrimonium contraxisse cum Francisca, putando per errorem, eam esse Annam, filiam amici sui Caji, sed hunc errorem non aegre tulisse, hoc modo, ut, si eam cognovisset, nihilominus cum Francisca contraxisset. Quaeritur parochi responsum pro foro conscientiae?

II. Resp. parochum teneri respondere, matrimonium sic cum Francisca contractum esse nullum. Ratio est, quia error ille, quo quis contrahens cum Francisca, putando esse Annam, paratus esset etiam contrahere cum Francisca, si eam cognovisset, est concomitans, ac proinde consensus sic datus concomitanter erroneus, qui juxta communem sententiam non sufficit ad contrahendum matrimonium; namque sic contrahens non ponit consensum actualem in matrimonium, sed tantummodo paratus est, ad illum ponendum, si scivisset esse Franciscam; ad matrimonium autem, utpote contractum indissolubilem, non sufficit dispositio contrahendi, sed *actualis* consensus desideratur; ergo tale matrimonium Titii cum Francisca fuit nullum, ac proinde aut est separandum aut, quod plerumque consultius est, debito modo revalidandum [1].

Casus IV.

De errore.

Casum sequentem suo tempore contigisse, et discussum fuisse refert Tabien. V. Impedim. imp. 1. quaest. 4. n. 5. Quidam duas habebat filias, quarum natu minorem, pulchritudine ejusdem captus, juvenis in matrimonium sibi a patre petiit. Pater vero eam denegavit, et obtulit primogenitam, quam juvenis ille antea non viderat. Hinc petiit illam ostendi cuidam suo amico, a quo ipse de pulchritudine illius volebat certior fieri. Cum iste venisset in domum istarum virginum, pater, quod

[1]) Casus Conscient. Benedict. XIV. v. 1. p. 47. vide §.

primogènita esset deformis, exploranti amico ostendit secundogènitam. Amicus, cum forma puellae eidem placuisset, putans eam esse primogenitam, de forma istius juvenem instruit; hic vero, eo errore ductus, contraxit cum primogenita, existimans eam esse illam, quae amico fuerat exhibita; sed ubi in domum ipsius deducta fuit, deceptionem advertit et doluit. — Circa hunc casum dubitatum fuit, uum solius qualitatis error esset, ac proinde valeret matrimonium. Respondit Tabiena, se in ea fuisse sententia, quod tantum sit error qualitatis, ex ratione, quia hoc casu juvenis iste non poterat dirigere consensum suum in secundogenitam, utpote quam scivit a patre negatam, et primogenitam solam concessam. Igitur cum direxerit consensum suum in aliquam ex duabus filiabus istius patris, necessario direxit illum in primogenitam. Si autem in hanc tantum direxit consensum, error circa personam nullus intercessit. Igitur, error ille, qui contigit, solum fuit circa qualitatem.[1])

Major difficultas fuisset, si secundogenita eidem non fuisset denegata; in quo casu Tabiena putat futurum fuisse errorem personae. Sanchez vero distinguit: „Vel enim oblata alicui ad matrimonium est filia, v. g. Petri speciali aliqua nota designata, ut nomine proprio, ut primogenita, etc. vel solum generice oblata uti aliqua Petri filia. *Si primum*, etsi pulchritudinem ejus per se, vel per amicum volenti inspicere, ostendatur femina pulchrior et ipse eo errore circumventus ducat feminam sibi prius oblatam, non est error personae, sed solius qualitatis; quia determinate consensus fertur in feminam, quae per specialem illam notam est designata, quamvis cum errore circa qualitatem formae. *Si secundum*, esset error personae, quia eo casu consensus, prius indeterminatus propter oblationem generice factam alicujus filiae Petri factus est determinatus per inspectionem propriam vel amici, et hinc in *ostensam* duntaxat fertur, et consequens si eidem substituatur alia ejusdem Petri filia, consensus in personam substitutam deficiet.

[1]) Sanchez lib. 7. disp. 18. n. 35. Schmalzg. tit. 1. n. 452.

Casus V.

De errore.

Knopp [1]) transcribit ex Gobato casum sequentem: „Meretricula quaedam, nomine Dalila, venit Romam, ac simulabat, se esse filiam comitis germani de Liebenstein, atque ob ferocitatem patris patriam deseruisse.“ Mox amorem Sempronii cujusdam, perdivitis, quamvis non nobilis Germani sibi conciliavit; cumque ille cognitum habuerit, illi comiti esse revera filiam, quae ob severitatem patris domum patriamque reliquerat, non dubitavit, eam in matrimonium ducere. Dolo et errore postea detecto, matrimonii validitas a judicibus ecclesiasticis sustenta est, declaratione facta, errorem intervenientem tantum esse qualitatis.[2])

Casus VI.

Error.

Cassandra Luci nupsit 28. Nov. 1798 impostori cuidam ex Castro Novo Farfensi, nomine Vincentio Venturino, quem firmiter crediderat esse Vincentium Bellonchium, filium ex nobili familia Hispanica, et perdivitem. Postea, dolo et errore detecto, Cassandra petiit a Congregatione Concilii, ut matrimonium hoc dissolvatur ex capite impedimenti erroris qualitatis in personam redundantis; sed Congregatio 27. Maji 1820 respondit *negative.*[3])

Casus VII.

Error.

Joannes Joannonus anno 1711 matrimonium per verba de praesenti contraxit cum Anna Ghinzona, cum protestatione tamen, quod suum praestabat assensum, sub conditione, et praesuppposito, quod Anna esset virgo. Nec prima, nec secunda nocte

---

[1]) Knopp. p. 29. 30.

[2]) Boekhn. eundem casum ex Caramuele et Gobato transcribit, addit tamen ab illis auctoribus hoc matrimonium *nullum* fuisse judicatum. Boekhn. lib. IV. tit. 1. pars II. n. 45.

[3]) Knopp. pag. 29. 30.

Joannes rem habuit cum Anna, tum quia in eodem cubiculo, licet in alio lecto, cubabant mater et soror praedictae Annae, tum quia de ejus virginitate dubium habebat; sed cum admonitus fuisset, quod Anna erat gravida, eam tertia nocte serio de praegnantia interpellavit, eademque confessa est se esse praegnantem, et se fuisse a suo genitore stupratam.

Hoc audito, Joannes nedum dicta tertia nocte a copula abstinuit, sed ulterius noluit amplius cum Anna dormire, licet in eadem domo cum ipsa cohabitaverit, ne factum innotesceret, quod tamen innotuit, statim ac Anna peperit, vix elapsis quinque mensibus a die initi matrimonii, ita ut incestuosus pater in alienas regiones se contulerit eidemque subinde data fuerit facultas ad patriam redeundi, exbursata notabili pecuniae quantitate.

In hoc rerum statu, Joannes Annam dereliquit, nec amplius voluit cum ipsa cohabitare, precesque huic sacrae Congregationi exhibuit pro declaratione nullitatis matrimonii. Scriptum fuit Eminentissimo Episcopo pro informatione et voto, cumque consensum conditionatum a Joanne praestitum, una cum exclusione copulae, Eminentia Sua asserat probari ex dicto utriusque conjugis, proposita fuit Joannis instantia inter Summaria precum, et dictum fuit, quod proponeretur in folio, et quod Annae praefigeretur terminus ad sua jura deducenda in S. Congregatione, quae termini praefixio fuit executioni mandata.

Error qualitatis non facit conjugium irritum, juxta Canones a Gratiano collectos in causa 29. quaest. 1., sed id limitatur in casu, quo quis *expresse* protestetur se contrahere sub conditione, quod talis qualitas insit personae, cum qua init matrimonium, tunc etenim cessante conditione, cui consensus innititur, deficit et ipse consensus essentialiter ad matrimonium requisitus, juxta late tradita per Calasut. in Theor. et prax. Juris Canonic. lib. 3. c. 22. n. 2.

In re, de qua nunc agitur, defectus qualitatis plene et sufficienter deduci non potest ex editione prolis post sextum mensem a die initi matrimonii, cum legitimus et vitalis censeatur partus, nedum editus sexto, sed etiam quinto mense, ut late probant *Caranza de partu naturali,* c. 9. f. 432. n. 2. et alii...,

sed *bene deducitur ex actis judiciariis* per localem praetorem satis contra patrem Annae tanquam reum nefarii sceleris, ita ut Eminentissimus Ordinarius in sua relatione dicat, quod concubitus paternus *certus est atque notorius*.

Sola ergo difficultas stat in probationibus, cum conditio apposita in contractu matrimoniali quoad virginitatem Annae et abstinentia a copula, quae fuisse dicitur in hisce conjugibus, eorum tantummodo dictis innitatur, quod non videtur esse sufficiens, juxta Decretalem Coelestini III. in cap. super eo tit. de eo, qui cognovit.

His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere „An constet de nullitate matrimonii in casu etc.“ Resp. „Negative, et amplius.“ [a])

Casus VIII.

Error. — Metus. Ligamen. Crimen.

Smyrnas appulit anno 1737 Cosmus Parigi Florentinus, ubi, captus amore puellae Magdalenae Gratis, spe matrimonii eam compressit; utero gravescentem cognoverunt consanguinei et Cosmum ad sponsalia cum puella contrahenda adegerunt. Uxorem Florentiae reliquerat Cosmus, sed ut minas et vim consanguineorum vitiatae puellae fugeret, die 22. Julii eodem anno sponsalia contraxit. Post contracta sponsalia a Cosmo decessit Florentiae ejus uxor, qui tamen, antequam de morte uxoris ob longissimam locorum distantiam certo fieri posset, quum urgeretur a consanguineis Magdalenae, falsam status sui liberi testificationem edidit coram Vicario Apostolico, et die 31. mensis Augusti eodem anno matrimonium solemnibus verbis cum Magdalena contraxit. Sed quum sibi consciret, uxorem Florentiae habere, statuit pellicem deserere, et opportunam aliquam exspectabat occasionem, qua propositum hoc perficere posset. Simulavit igitur, necesse esse ut Byzantium pergeret, sed necesse ei

---

[a]) Thesaur. resol. S. C. C. Novariens tom. I. 269. et 270. caus. 14. Febr. 1720. Unde patet, sponsae praegnantiam non inducere errorem in personam redundantem, nisi quis expresse protestetur, se sub conditione virginitatis sponsae contrahere, ac judicialiter probare possit, hanc conditionem factam.

fuit Magdalenam ducere, quae noluit, ut solus discederet. Concessit igitur Byzantium, ubi, commodam nactus occasionem, Magdalenam deseruit, et, ubinam gentium sit, an vivat adhuc, an decesserit, ignoratur. Smyrnas rediit Magdalena, ubi rumor invaluerat, fugitivum Cosmum uxorem Florentiae habere. Magdalena igitur rata, nullum fuisse matrimonium, quod cum eo contraxerat, novum sibi comparavit amatorem Jo. Bapt. Horologiari. Ut de hac Cosmi uxore certior fieret Vicarius Apostolicus, litteras dedit ad amicum Florentiae incolam, qui respondit, Cosmum habuisse quidem uxorem, sed eo, quod supra diximus, tempore decessisse.

Magdalena, his cognitis, petiit a Vicario Apostolico facultatem contrahendi matrimonium cum Jo. Baptista, sed quum eidem Vicario Apostolico non liqueret, an nullum esset matrimonium, quod ipsa contraxerat cum Cosmo Parigi, noluit Vicarius petitioni Magdalenae indulgere; illa igitur Graeco ritu matrimonium iniit cum Jo. Baptista, in cujus contubernio vivit, neque ulla spes est, ut ab eo divellatur, a quo plures filios suscepit. Huic malo medicinam parare cupiens, qui nunc praeest uti Vicarius Apostolicus, preces obtulit amplissimis Patribus, quibus postulavit, ut quid ipsi agendum esset rescriberent, et definirent an validum vel nullum fuerit matrimonium inter Cosmum et Magdalenam initum. Jussum est, ut species omnis hujus causae daretur in folio, et rationes suas libello complexa est Magdalena, quae disputat, nullum fuisse matrimonium defectu consensus, quum Cosmus viva adhuc uxore sponsalia contraxerit, et mortua licet uxore, eo tamen ejus mortem ignorante, licet sciret aegrotam esse, matrimonium contraxerit, quod nullum declarandum est, quia sine nuncio certae mortis matrimonium contrahi non poterat. Eundem defectum consensus nullum irritumque reddidisse matrimonium etiam ex parte Magdalenae, quae putans Cosmum esse liberum juxta testificationem libertatis datam Vicario Apostolico matrimonium contraxit, non contractura, si scivisset, Cosmum uxorem habere; quum igitur erraverit in conditione personae, et error consensum adimat ab actu, dicendum sit nullum fuisse matrimonium defectu consensus utriusque contrahentis.

Neque in dubium revocari posse, Cosmum ignorasse mortem uxoris, tum quia testificationem non viduitatis, sed liberi status exhibuit adulterinam, tum quia ob longissimam locorum distantiam non potuit mortem rescire conjugis, tum quia ab hoc secundo matrimonio tanquam a crimine abhorruit, quod in causa fuit, ut Magdalenam desereret, ut probat epistola Byzantio data ad amicum Smyrnensem, in qua damnavit, quod egerat, aperuitque amico propositum fugiendi et eam deserendi. — In his igitur circumstantiis aperte dignoscis matrimonium cum Magdalena a Cosmo contractum fuisse, non quia sciret, uxorem suam defunctam fuisse, sed ut vitaret minas consanguineorum Magdalenae, qui, quum eam utero gerere cognovissent, mortem minabantur, quam ut fugeret Cosmus, decepit consanguineos, decepit puellam, decepitque Vicarium Apostolicum falsa testificatione libertatis, qua matrimonium contraxit; novam itaque rationem ex hoc metu a consanguineis illato educi, quae probet nullitatem defectu consensus. Neque ad rem pertinere dispositionem in c. 2. Dominus IV. 21; nam dispositio illa succurrit decepto contra decipientem, ut si deceptus velit, cogatur decipiens stare matrimonio, ut explicant *Fagnan. in c. Ad Nostram n. 7. in fin. de conjug. servor. Navarr.* in manual. c. 22. n. 23. non vero cogit deceptum laesumque conjugem, ut sit in matrimonio; deceptis enim laesisque succurrendum est, non decipientibus et laedentibus, ut tradunt *Oliver.* de nullit. matrim. P. I. fol. 46. *Gratian.* Disc. for. cap. 849. n. 32. *Ursaya,* discept. eccles. T. III. P. II. §. 6. n. 36. Haec Magdalena; a defensore matrimonii nihil habuimus. Dubium est: „An constet de nullitate matrimonii in casu etc.?“ S. C. respond. die 6. Maji 1752: „*Dilata et scribat defensor matrimonii.*“

Scripsit defensor, et urget illicitum quidem, sed tamen validum esse matrimonium contractum ab eo, qui non exspectato certo nuntio de morte conjugis cum alia secundas nuptias contrahit, dum vere uxor obierit tempore, quo secundum matrimonium initum fuit, quia consensus non in eo solum, qui moraliter certus est, sed etiam in eo, qui de sua libertate dubius est, si contrahit, servata forma Tridentini, satis est, ut valide

contrahat, licet matrimonium illicitum sit, ut reprobato *Pontio* lib. 7. de matrim. c. 53. n. 5. et 6. cui placuit nullum dicendum esse matrimonium, defendunt Barbos. in cap. Dominus num. 3. de secund. nupt.; Boss. oper. moral. tom. 1. p. 2. §. 51. n. 1202. Card. de Lauria in 4. sentent. tom. 3. de matrim. disp. 24. art. 5. n. 129. Pignatelli consult. 73. n. 11. tom. 9. Clericat. de Sacr. matr. dec. 29. n. 42. et discord. for. par. 5. discord. 42. n. 2. Haec defensor. Judicent igitur Eminent. Patres: An constet de nullitate matrimonii in casu etc. Resp. die 9 Sept. 1752 „*Negative*“. [1])

Casus IX.

Conditio, metus, consanguinitas in secundo gradu lineae transversae, periculum perversionis, dispensatio.

Joannes Antonius Baur Catholicus in dioecesi Eystadiensi ortus, postquam annos quatuor transegerat in Saxonia, ubi artem texendi parnos exercebat, rem habuit cum Christina haeretica. Quamobrem jussu magistratus in carcerem conjectus, inde liberari non valuit, nisi contracto cum eadem femina matrimonio. Ita scilicet juratus coram Episcopo Eystadiensi affirmavit ipse Joannes Antonius Baur, eique adstipulantur tres testes Lutherani in Saxonia morantes, qui ad articulum eis de scripto propositum, ita, interposito jurejurando, responderunt: Hoc testamur in nostra bona conscientia, quod Joannes Baur a magistratu saeculari coactus fuerit ad ducendam Christinam.

Nuptiae itaque initae fuerunt coram ministro acatholico; sed in eas consensit Joannes Antonius sub conditione his verbis concepta: „Christina, si me secuta fueris vel sequeris in meam patriam catholicam, et eandem fidem amplexa fueris, volo te ducere, et more Catholico inibi volo sacramentaliter tecum copulari, et sic, et non aliter valeat contractus.“ Ita rem gestam fuisse juratus apud acta Curiae Episcopalis exposuit Joannes Antonius, subjungens etiam, declarationem illam tunc fuisse a Christina acceptatam.

---

[1]) Thesaur. Resol. S. C. C. tom. 16. p. 66. et 119.

Per annum et amplius deinde convixit cum Christina conjuge, ex qua alterum filium suscepit. Saepius interea urgere non destitit, ut ea secum in patriam suam catholicam pergeret. Venit etiam in Saxoniam pater Joannis Antonii, ut domum reversurus secum duceret Joannem Antonium filium et Christinam ejus uxorem. Irrita tamen fuit opera, constanter nimirum repugnante Christina, et aperte denuntiante, malle se mendicate vivere, quam in catholicam regionem migrare. Hanc J. Antonii assertionem confirmant memorati tres testes Saxones, qui de tribus articulis interrogati . . . responsum ita dederunt: Ad I. Testamur cum certa veritate, quod Christina Wermichin ipsi Antonio Baur promiserit, se cum ipso in ejus patriam profecturam. Ad II. Ita est, et semper audivi ab Antonio Baur, quod constans permanserit, et semper intentionem habuerit cum ipsa in patriam proficiscendi. Ad III. Ita possumus testari secundum nostram conscientiam et obligationem, quod semper intentionem habuerit ipse Antonius, quia ipsa (Christina) promiserat se eum secuturam in patriam, sed his promissis non stetit.

Ut rei series resumatur, subortis inter eos dissidiis, Joannes Antonius divertit a Christina, seque recepit domum patrui sui haeretici, eodem in loco morantis. Cum interea rem habuisset cum Anna, ejusdem patrui filia, metu poenae aufugit cum illa in oppidum Dioecesis Eystadiensis, unde originem traxerat. Mox iterum per litteras interpellavit Christinam, an vellet conditioni satisfacere, et ad eum venire in patriam suam catholicam. At haec, nullo dato responso, adiit ministrum Acatholicum, approbatoque per ejus decretum divortio, ad alteras nuptias convolavit, et cum secundo viro etiam nunc vitam ducit.

Itaque Joannes Antonius, honori Annae consobrinae suae consulere volens, dispensationem ab Episcopo Eystadiensi postulavit, ut cum ea matrimonium contraheret. Sed repulsam passus, cum Anna se contulit ad locum, ubi viget haeresis, et coram ministro eadem cognitione polluto nuptias iniit, geminamque suscepit prolem ex eadem femina, quae nunc quoque utero gerit.

Porro affirmat Anna se ejur turam esse haeresim, et suscepturam orthodoxam fidem, si ei vivere liceat in matrimonio

cum Joanne Antonio. Ut autem matrimonium rite contrahi possit, necessaria est Apostolica dispensatio super impedimento secundi gradus consanguinitatis, neque huic locus esse potest, nisi constet invalidas fuisse priores nuptias a Joanne Antonio contractas cum Christina adhuc superstite.

Hic igitur articulus adeo ambiguus visus fuit Curiae Episcopali, ut ejus decisionem ab hac S. Congregatione petendam censuerit. Plurium vero salus ab hac decisione pendet; nam si de integro legitimum matrimonium inire potuerint, manifestum certumque (ut scribit Ordinarius) instat periculum transitus Joannis Antonii cum Anna, binisque filiis jam satis, alioque propediem in lucem prodituro, ad haereticos, a quibus ille magnis promissis ad id assidue stimulatur.

Prioris matrimonii nullitatem deducit Joannes Antonius primum ex vi sibi illata a magistratu. Sed videndum est, an ea satis fuerit ex praemissis demonstrata. Tum et illud considerari oportet, an cum postea J. Antonius cum Christina per annum convixerit, alterumque filium procreaverit, inde oriatur libera approbatio et confirmatio matrimonii, tametsi per vim metumque contractum initio fuisset.

Secunda, quae examinanda occurrit nullitatis causa, haec est. In parochia, ubi ortum habuit Joannes Antonius, Concilium Tridentinum promulgatum fuit, et religiose servatur. Quamvis ergo matrimonium ab eo initum fuerit in Saxonia, ad quam Provinciam Tridentinis legibus nunquam potuit aditus, non per hoc saltem solutus forsan dici posset J. Antonius ab obligatione contrahendi matrimonium juxta normam a S. Concilio praescriptam, quia in cap. 1. sess. 24. de refor. matr. personae illi subjectae redduntur *omnino inhabiles* ad aliter contrahendum; proindeque haec inhabilitas jam contracta a Joanne Antonio per nativitatem in loco Tridentinis sanctionibus subjecto non censetur cessasse per ejus migrationem in Saxoniam, cum vinculum personae injectum a potestatem habente eidem personae semper inhaereat, quemcunque demum in locum transeat, juxta doctrinam *Bart. in l. cunctos populos* n. 32. Cod. de Sanct. Trinit. quam sequitur Rota dec. 601. n. 1. et seqq. cor. Merlin. —

Hanc autem sententiam de matrimonio secundum Tridentinas leges contrahendo, etiam in loco, ubi illae non vigeant, ab eo, qui talem in locum se contulerit *sine mente ibidem firmam sedem ac domicilium collocandi*, fuse propugnant *Enriq.*, *Silvius*, *Rodriq.*, *Clericat.* eamque saltem probabilem esse contendunt *Sanchez* lib. 3. disp. 18. n. 27. Leander, de matr. tr. 9. quaest 11.[1] . . .

Tertia quae proponitur, nullitatis ratio promanat a conditione, quam J. A. matrimonio adjecit, nimirum si Christina se comitem adjungeret marito in patriam catholicam reversuro, et catholicam religionem amplecteretur. Quid documenti ad hujusmodi conditionem in facto probandam afferatur, supra relatum est. Quid vero momenti habere possit, perpendendum est.

Certe, si talis conditio censenda esset habere potius naturam *modi*, sive *pacti*, ejus violatio locum dare non posset irritationi matrimonii. (Sanchez, Pontius, Decisiones Rotae.)

Caeterum ubi etiam agatur de vera et propria *conditione* futurum eventum respiciente, adeoque suspensiva valoris matrimonii, illud obstat, quod consummato ante ejus eventum matrimonio recessum fuisse videtur ab ea conditione, et absolute praestitus in matrimonium consensus censetur.

Sed in casu proposito notandae sunt peculiares facti circumstantiae. Nuper enim a Curia Episcopali jussu S. Congregationis interrogatus J. Antonius juratus respondit, se non aliter cum Christina matrimonium contraxisse, nec se habuisse intentionem aliter contrahendi, quam ut mulier ipsum rediturum in patriam catholicam comitaretur, ibique, deposito errore, matrimonium iterum contraheret catholico ritu; praeterea conjugium cum Christina initum, nec antea, nec postea habuisse pro valido, usque dum ea conditionibus illis in ipso contrahendi actu expressis, et ab ipsa acceptatis satisfecisset; nullo tempore se ab eo proposito recessisse. . . . Quin etiam semper se existimasse illicitam consuetudinem cum Christina, veluti non legitima uxore, et filium ex ea susceptum post tales nuptias se censuisse illegi-

---

[1] Vide §. 44. II. III.

timum, sed tamen legitimandum per subsequens matrimonium, quod rursus ineundum in patria sperabat. . . .

Hoc igitur posito, judicium videri posset faciendum, non secundum interpretationem, quam conditiones illae per se et in abstracto consideratae forsan postularent, sed juxta animum mentemque ipsius Joannis Antonii praesumptionem scilicet legis vincente veritate, et ex contrahentis sententia formam suscipiente contractu, cui vim dare debuit ejus voluntas. Sic enim, quamquam conditio impossibilis adjecta matrimonio non officiat ejus validitati, sed habeatur pro non adjecta; nihilominus si contrahentes aut eorum alter conditionem illam putaverit possibilem, vel hanc Canonici juris constitutionem ignoraverit, vel conditionem utcunque impossibilem sciens et prudens serio adjecerit, matrimonium redditur irritum ex defectu consensus, qui tali conditioni fuerat affixus, (ut fuse probant Covarr. *Sanchez*, *Pirhing*, *Schmalzg.*, *Perez*); sic quoque, licet matrimonium coacte initum, adeoque invalidum, deinde per ejus consummationem convalescat et confirmetur, nihilominus si vere non ea affectione conjugali quam Ecclesia *praesumit* ad evitandam praesumptionem peccati, sed vi, metuque, vel vitioso tantum affectu fuerit consummatum, nullum inde robur acquirit, ut egregie demonstrat Sanch. lib. 4. disp. 18. cum aliis apud Schmalzg. lib. 4. tit. 1. n. 414—419.

Postremo altera aperitur via ad declarandam prioris matrimonii nullitatem. Porro matrimonium contractum inter haereticum et Catholicam, licet illicitum, esse tamen validum, non solum in ratione contractus, sed etiam in ratione Sacramenti indissolubiliter; cum haeretici quoque baptismum suscipiant, docent Sanch., Petra . . . ita tamen, ut haereticus habeat saltem generalem intentionem faciendi id, quod a Christo Domino institutum fuit in matrimonio, vel quod docet vera Ecclesia, quaecunque illa sit, ut explicant *Pont.*, Sanch., Perez, La Croix, Schmalzg., Gobat . . .[1])

At pro vero asseveratur, quod Saxones Lutherani non in-

[1]) vide §. 7. q. 2.

tendunt matrimonium contrahere, nisi tantum civilem contractum, et quidem dissolubilem, non solum propter adulterium, sed etiam ob alias causas, ut habetur etiam apud *Bellarm.* Ea quippe mente solent contrahere, ut tamdiu matrimonium constet, quam diu alter conjux bene se gesserit cum altero. Ergo ex parte Christinae sic eam contraxisse censendum est; idque etiam comprobavit eventus, cum jam facto divortio alteri illa nupserit viro. — . . . . Ipsemet Joannes Antonius peculiariter circa id interrogatus, adhibito juramento respondit: „Matrimonium in Saxonia haberi non pro Sacramento, sed pro contractu dissolubili, et frequenter dissolvi; seque itidem in eadem opinione fuisse, et cum Christina solum fecisse contractum civilem, et dissolubilem, prout in Saxonia contrahi solet, et semper cum intentione, ut si Christina renuerit ipsum sequi in patriam, ipse tunc sit liber et contractus nullus.“ Quae profecto mens Joannis Antonii de non contrahendo matrimonio in ratione Sacramenti, immo nec etiam in ratione contractus naturalis perpetui et indissolubilis, abunde quoque apparet ex aliis quae supra fuerunt exposita, cum tamen juxta veriorem sententiam fideles nequeant contrahere matrimonium, quod sit verum validumque in ratione contractus, et rationem Sacramenti non habeat, adeoque illud aut Sacramentum, et indissolubile esse oporteat, aut omnino nullum, ut cum multis probat *Schmalzg.*[1])

Quamobrem nihil etiam refert, quod praesumendum sit, nedum catholicum, sed ipsum etiam haereticum habuisse intentionem contrahendi matrimonium validum et indissolubile . . .; praesumptioni enim locus esse non potest, ubi tum ex communi regionis more, tum ex facto mulieris, tum ex jurata asseveratione ipsius viri deducitur intentionem solubilitatis matrimonii affecisse et informasse contractum, quasi per conditionem, sine qua non fuisset initus contractus, ut admittunt *Gobat*, *Lacroix*, *Pont.* — Proindeque in his terminis dubitari etiam potest, an locum sibi vindicet id, quod recte alioquin ait *Eminent. Petra*, nempe judicandum de hujusmodi matrimoniis esse non secundum

[1]) vide §. 7. quaest. 1.

consuetudines, aut statuta haereticorum contraria legibus ecclesiasticis, sed secundum leges ipsas et Juris canonici praescriptum. . . .

His expositis, ad dubium, *an constet de nullitate prioris matrimonii*, S. C. 9. Febr. 1732 respond.: „Ad mentem". Hinc causae hujus examen iteratum est 8. Martii 1732, in quo potissimum hoc consideratum est, an satis constet primum matrimonium fuisse initum inter Joannem Antonium et Christinam cum voluntate excludente rationem Sacramenti, et cum conditione dissolubilitatis, quasi scilicet huic conditioni fuerit affixus consensus, et aliter non essent contracturi, in hac enim hypothesi generalem intentionem ineundi matrimonium legitimum et validum habuisse censeri non possunt, sed profecto judicium videtur esse ferendum ad normam hujusmodi voluntatis, quia perfici contractus connubialis non potest sine mutuo consensu et mutua voluntate, a qua ille vim formamque accipit. — Hinc *Gobat* tom. 1. tr. 10. cas. 19. n. 707; postquam firmavit, conjugia inter haereticos, vel inter Catholicum et haereticum contracta generaliter haberi pro insolubilibus adeoque validis, ita subjicit: „Dico generatim: si quis enim haereticus contrahat cum ita expressa intentione, seu non recipiendi Sacramentum, seu faciendi divortii in casibus inter haereticos permissis, ut haec intentio ingrediatur rationem contractus, tanquam conditio sine qua non, nequaquam subsistet hic contractus, quando quidem talis intentio repugnat substantiae matrimonii. . . . Quod autem talis mens et voluntas in hoc casu Christinae fuerit, constat 1) ex more regionis, 2) ex testibus, 3) ex eventu, ut supra. Quoad Antonium, certe, si pro vero habeatur quidquid ille de seipso ac de Christina circa hoc matrimonium affirmavit supra, manifesta atque indubitata videtur fuisse voluntas ejus, non contrahendi matrimonium validum, perpetuum, insolubile et habens rationem Sacramenti. — Cardo itaque difficultatis vertitur in *qualitate probationis;* nam in foro externo fidem non esse adhibendam conjugibus impugnantibus valorem matrimonii jam contracti, rescripsit Coelestinus III. in cap. super eo, de eo, qui cogn. consang. Verum occurrit animadvertendum, quod Pontifex non absolute et omnino

confessionem conjugum rejicit, sed *solum* eorum confessionem; quamobrem ubi collusio in suspicionem non veniat, et confessio aliis fulciatur argumentis, haec repellanda minime videtur. Hinc Cardinalis de Luc. de sacram. disp. 8. sect. 8. n. 130., agens de matrimonio inito inter haereticos cum opinione vel conditione dissolubilitatis, sic inquit: „Hinc infero, quam plures ex his Schismaticis invalide contrahere; quia plures, ut dicunt, deducunt hoc in pactum expressum tempore contrahendi, et habent fidejussorem; alii habebunt ad minus eum animum internum non aliter contrahendi, quod sufficit. Quod si hic animus fuit in utroque conjuge, ex utriusque confessione constabit sufficienter, ut matrimonium possit declarari nullum, etiam in foro externo, ut docet Sanch. lib. 2. di p. 45. n. 12., nisi esset collusionis praesumptio; si autem fuit in solo uno, sufficiet ipsi in foro interno, immo sufficiet etiam alteri conjugi, si concurrant rationes probabiles ad existimandum ipsum non mentiri. — In casu etiam non ab simili juratum et verisimilem confessionem mulieris attendi posse consuluit *Gobat* tom. 1. tr. 10. c. 19 n. 113. Circumstantiae, quae confessioni a Joanne Antonio editae favent, sunt hae: 1) quoad matrimonium cum Christina contraxit coactus a magistratu; quamvis enim coactio fortasse injusta non fuerit, non parum tamen valet ad suadendum, quod ejus mens aliena fuerit a contrahendo matrimonio perpetuo et insolubili; 2) quod in ipso actu contrahendi Antonius asseverat memoratas conditiones protulisse, cui asseverationi tres testes fidem conciliant; 3) quod Antonii confessio in judicio edita est, et jurejurando firmata; 4) quod veritatem ejusdem confessionis confirmat etiam factum ipsius Christinae; 5) quod Joannes Antonius, nullo urgente, sed ultro et sponte prius Curiae Ecclesiasticae, deindeque etiam Sedis Apostolicae opem imploravit, ut saluti animae suae consuleret.

S. C. ad dubium, an constet de nullitate prioris matrimonii, resp. „*Iterum proponatur*", quod factum est 21. Junii 1732, datis interea litteris ad Episcopum Eystad., quibus ei plura commissa fuerunt ad lumen adhibendum rei, quae hactenus videbatur subobscura. Nihil autem efficere potuit Episcopus,

quam ut examini subjiceretur Mathias Christophorus, pater Joannis Antonii, qui, juratus, in novem articulis distincte et praecise confirmavit assertiones filii ex iis, quae ipse in Saxoniam profectus, a Christina ipsa et ab aliis comperuerat. Tandem S. C. ad dubium alias propositum, an constet de nullitate matrimonii in casu, respondit: „*Affirmative in casu, de quo agitur.*"[1])

Casus X.

Metus.

Berta ratione metus gravis nulliter cum Petro matrimonium contraxit, eique postea copiam fecit corporis sui absque reluctantia. Modo volens matrimonii nullitatem apud judicem intentare, dubitat, an stante tali copula ejus matrimonium *pro foro conscientiae* adhuc sit invalidum. Quaeritur, quid dicendum?

℞. Vel copula habita fuit animo conjugaliter vivendi vel non; si primum, dicendum, matrimonium esse validum, dummodo sciverit Berta ante talem copulam, invalidum ratione metus gravis fuisse matrimonium; et ratio est, quia talis copula aequivalet consensui; novus consensus liber conjugaliter vivendi reddidisset matrimonium validum, ut patet; ergo et talis copula, si fuit libera, ut supponitur, cum dicatur in casu *absque reluctantia*, et si fuit animo conjugaliter vivendi, dummodo tamen Berta sciverit, suum matrimonium per metum contractum ab initio fuisse nullum, quia data nullitatis ignorantia matrimonium non esset ratificatum; nihil enim est tam contrarium consensui, quam error, et forsan copulam non habuisset, si nullitatem scivisset. Ita Sanchez lib. 4. disp. 18. n. 2. et lib. 2. disp. 44. n. 2. Si vero dicatur copulam non fuisse habitam animo conjugaliter vivendi, dicendum est, etiam de praesenti esse nullum, quia si ad validitatem matrimonii non fuit sufficiens consensus expressus metu gravi extortus, multo minus consensus tacitus, per copulam habitus ex tali metu, aut etiam praescindendo a metu, si fuit praecise libidinis causa.[2])

---

[1]) Thesaur. resolut. tom. 5. p. 201. 257. 272. 336.
[2]) Casus Conscient. Benedict. XIV. vol. 1. p. 52.

Casus XI.

Vis, metus reverentialis.

Joanna Czacka a matrimonio cum Petro Karzavoski semper aversa fuit. Ut enim Petri consilium agnovit, nec lacrymis pepercit unquam, nec verbis, quibus posset animi sui sententiam ab his nuptiis abhorrentem aperire; frustra tamen, nam pater officiis supremi castellani Cracoviensis, quo Petrus usus est, ut has nuptias conciliaret, devictus, a proposito dimoveri nunquam potuit, neque puellae decimum quartum aetatis annum agenti quicquam profuerunt mixtae fletibus preces, quas patri quotidie effundebat, neque amicorum consanguineorumque studia et officia, matronarum virorumque nobilium commendationes, quibus obduratum patris animum quotidie aggrediebatur, opem ullam ei praestiterunt, perpetuum enim erat in ore illius carmen: fidem, quam dederat, fallere non posse. Nec tamen spem abjecit Joanna, nam Luceoriensi Episcopo, qui ad monasterium, in quo ipsa erat, venit, nolle omnino has nuptias contrahere declaravit, et si cogeretur, eum in testem, advocatum, judicem accepit. In aedes paternas reducta ipsi sponso animum suum aperuit, eumque rogavit, ut ab his nuptiis recederet. Haec cum pater cognovisset, filiae, ni sententiam mutaret, et Petrum virum reciperet, perpetuam virginitatem in Claustro et verbera indixit. Luctuosus jam dies nuptiarum advenerat, parata erant omnia; domus tamen clamoribus et querelis, et femineo ululatu undique resonabat, Kiovensis Episcopus Pontificalibus vestibus indutus sponsam exspectabat, et cum in Ecclesiam non veniret, jam vestes deponere et ab Ecclesia discedere meditabatur. Venit illa tandem, sed ita venit, ut ad funus potius, quam ad nuptias protracta videretur; neque solemnia verba protulisset, nisi patris praesentia eam impulisset. Nocte ad viri thalamum perducta, bellum habuit cum viro, remanentibus vestigiis pugnorum in vultu contuso viri, quem semper fugit, seseque ab eo inviolatam servavit, patremque assiduo certiorem reddere non destitit, ut curaret has nuptias dissolvi . . .

Excipit Petrus testes datos a Joanna familiares ejus esse nullamque eis habendam esse fidem; Joannam ipsam contractibus a Petro initis affuisse, epistolas scripsisse, in quibus signa amoris erant plurima post matrimonium contractum. Respondet Joanna, neque omnes testes familiares esse et consanguineos, neque iis, si essent fidem negandam, cum ea, quae domi gesta sunt, alii extra domum scire nequeant; affuisse contractibus vi, metuque coactam; epistolas dedisse non ex animi sententia, sed vel officiis devictam, vel metu signa amoris ficta et simulata; nam si amor affuisset, non obstrepuisset domus conviliis, jurgiisque, integris annis quatuor. Addit haec non facere, ut matrimonium, quod defectu consensus nullum fuit ab initio, potuerit convalescere.

Ad dubium propositum „An constet de nullitate matrimonii in casu" etc. S. C. repondit die Sabbati 22. Martii 1749. „Negative" [1]).

Casus XII.

Metus injuste incussus.

Agitur de matrimonio contracto inter Marcum Brunum et Joannam Soldani, et quaeritur, an illud sit nullum necne. Porro ex attentatione Abbatis Oratii Borelli, qui tanquam parochus dicto praestitit assistentiam matrimonio et ex testibus matrimonialibus et aliis probationibus haec habentur. Primo, quod ipse parochus, dum erat in publica Civitatis Vigiliens. platea, vocatus fuit a Nicolao Soldano sub obtentu, quod ejus pater, qui e fabrica quadam cecidisse dicebatur, confessionem sacramentalem, instante mortis periculo, facere volebat.

Secundo, quod domum ingressus invenit Nicolai fratres armis stipatos et in quodam obscuro cubiculo Marcum Brunum vulneratum, et sanguine undique manante conspersum.

Tertio, quod Marco Bruno implorante parochi auxilium, et exponente, se fuisse injuste vulneribus confossum, Nicolaus ipsi

---

[1]) Thesaur. resol. tom. 14. causa Luceorens. p. 17, 18, 19.

parocho mandavit, ut Marcum cum Joanna sua sorore matrimonio conjungeret.

Quarto, quod Marco adversus hoc matrimonium fortiter reclamante, et saepe parochum interrogante, an esset, necne futurum validum, si illud in eo statu contraheretur, res eo devenit, ut parochus memoratus, instante mortis periculo, ab ipso obtinuerit, ut sacramentaliter confiteretur.

Quinto, quod expleta confessione Marcum matrimonio conjunxit cum Joanna coram tribus ejus fratribus et tribus mulieribus in eodem cubiculo existentibus . . . .

Et quia idem Marcus nonnulla praevidet, sibi a Joanna opponenda, primo scilicet, quod ejus domum fuerat ingressus, ut secum copulam haberet, et quod a suis fratribus pro vindicanda injuria percussus, obtulerit se eam in uxorem ducturum, et secundo, quod ante matrimonium contractum fuerat ab ipso stuprum passa, sub spe legitimi conjugii, et tertio demum, quod post contractum matrimonium ad ejus domum iterum accessit, plura *in facto* et *in jure* ad haec objecta de medio tollendo deducit. Et in eo quidem, quod attinet ad *factum*, memoratas omnes circumstantias, inquit, inniti nonnullorum testium assertioni, qui magnas patiuntur in personis et in dictis exceptiones...

Et in eo, quod spectat ad jus, quidquid sit de speculativa quaestione, an videlicet valeat matrimonium ab eo contractum, qui a consanguineis mulieris deprehensus se eam obtulit in uxorem ducturum, ut minas mortis evaderet, sibi illatas non ad praecisum finem, ut matrimonium contraheretur, sed ad effectum injuriam ulciscendi, inquit, in praxi et in foro fori matrimonia haec nullitatis vitio laborare, statim ac constat, fuisse contracta post metum ab armatis illatum, et eo fortius post mortalia vulnera inflicta [1]). — Suppositum quoque stuprum antecedens sustinet, in jure non relevare etiamsi matrimonii promissio accessisset, cum attenta disparitate inter se et Joannam tam ratione natalium, quam ex causa divitiarum potuisset ipsa juxta com-

---

[1]) Ut ad rem bene ponderant *Spörell.* dec. 6. u. 10. Bagnali. in suppl. ad cap. 23. supplet. 5. n. 55.

munem doctorum assertionem bene cognoscere promissionem matrimonii esse fictam [1]) . . . Et loquendo demum de novo ad domum accessu post contractum matrimonium concludit eum in puncto juris nullam constituere relevantiam; supposito quippe metu, et quod matrimonium contractum fuerit depedenter a metu cadente in constantem virum, subsequens cohabitatio illud validum efficere non potest, nisi novus accedat consensus, adhibita forma a Concilio Trid. praescripta, juxta resolutionem hujus S. Congreg. in Hisp. 20. Junii 1609. „Sacra Congreg. saepius respondit, hodie post Trid. Conc. matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rursus ejusdem Concilii forma et juxta aliam resolutionem in Constantinop. 9. Dec. 1634“[2]).

S. C. ad dubium, an constet de nullitate matrimonii in casu etc. respondit „*Affirmative*“ die 13. Julii, et iterum 22. Sept. 1725[3]). —

Casus XIII.

Impotentia. Matrimonii rati dissolutio.

Alphonsus Gonzalez Baroso et Maria Hernandez Corbo loci S. Jacobi del Collado Dioecesis Abulensis post obtentam a S. A. dispensationem super impedimento quarti gradus consanguinitatis, quo erant inter se conjuncti, matrimonium contraxerunt in facie Ecclesiae, servatis servandis.

Postea conjuges pacifice per quinquennium cohabitarunt, et licet matrimonii consummationi vacaverint, illud tamen consummare nullatenus potuerunt, ut ipsimet conjuges declararunt, et loci parochus, cui res delata fuit, eosdem quoad thorum separavit, ut curiam Ecclesiasticam Abulensem de hoc facto redderet certiorem.

Facta separatione conjugum, iisdemque coram Ordinario

---

[1]) Sanchez. lib. 1. disp. 10. quaest. 1. n. 5.

[2]) Vide §. 62. III. 1.

[3]) Thes. resol. tom. 3. causa Vigil. p. 176, 188, 208, 221.

constitutis Maria Hernandez judicialiter retulit, se quinque annis cum Alphonso cohabitasse, sed nunquam copulam fuisse consummatam propter praeproperam seminis ejectionem a dicto Alphonso profluentem. Fuit hoc ipsum ab Alphonso judicialiter confirmatum, deputatoque per Vicarium Generalem Abulensem perito, peritus post rem sedulo examinatam, Alphonsum esse impotentem quoad virginem, sed non quoad corruptam declaravit.

Post haec, instante Alphonso pro nova cohabitatione, eo sub fundamento, quod consultis chirurgis fas erat sibi sperare quod ope medicamentorum consummandi matrimonium esset acquisiturus, V. g. demandavit, ut conjuges ad cohabitationem redirent; sed cum nec minus post adhibita medicamenta matrimonium fuerit spatio 4 mensium consummatum, et praecedens impedimentum adhuc durare compertum sit, prolata fuit per Curiam Abulensem 18. Junii 1698 super nullitate matrimonii, et data fuit Mariae libertas nubendi cui maluisset, et Alphonso facultas alium statum sibi bene visum, excepto pro tunc statu matrimoniali.

In sequelam hujus sententiae Maria ad alia vota transivit: Alphonsus vero post lapsum biennii licentiam postulavit ducendi viduam; cumque peritus iterum consultus confirmasset, Alphonsum non esse impotentem quoad viduam, Alphonsus contraxit a 1700 cum vidua Catharina M. Niero, et post ejus mortem, praecedente Ordinarii licentia, aliud matrimonium iniit a 1710 cum vidua Maria Sanchez; cumque, hac pariter mortua, insteterit pro habenda facultate nubendi cum virgine Josepha Sanchez, cum qua etiam dicitur rem habuisse, et periti a judice electi eum habilem et idoneum dixerint ad contrahendum et consummandum cum virgine matrimonium, ex quo potissimum temporis beneficio immodicus ille calor, a quo impotentiam ducebat, cessaverit, Vicarius Generalis omnia retulit per epistolam Sacrae Congregationi. Videtur autem primum matrimonium esse instaurandum, et Alphonsum redire debere ad Mariam Herandez primam conjugem, quia matrimonium inter eos contractum dissolutum fuit ex falsa causa, ex impotentia videlicet respectiva

naturali, et perpetua, quae juxta antiquiores Theologos non est impedimentum dirimens matrimonium (S. Thom. 4. sent. dist. 34. q. 1. a. 2. ad 5.) aut quia, procedendo etiam cum recentiorum opinione, qui asserunt, hanc quoque impotentiam dirimere matrimonium, ea tamen modo sublata, sibi vindicare posse locum videtur constans juris propositio, quod soluto per judicis ecclesiastici sententiam matrimonio propter impotentiam, si conjux ille, qui judicatus est impotens, ex post facto potens deprehendatur, primum matrimonium est reintegrandum. (S. Thom. l. c.).

Econtra autem videtur, quod sit locus matrimonio contrahendo inter Alphonsum et Josepham Sanchez, et sic consequenter, quod non sit reintegrandum matrimonium inter Alphonsum et Mariam Hernandez; fuit enim hoc matrimonium dissolutum per sententiam Ecclesiae, servatis servandis prolatam, de cujus errore non est quaestio excitanda, ex quo Alphonsus rem habuit cum virgine Josepha Sanchez, dissolutio siquidem matrimonii inter Alphonsum et Mariam processit ex impotentia naturali respectiva non quoad speciem, sed quoad individuum . . . .

Verum cum haec omnia dependeant ab illa facti circumstantia, an Alphonsus rem habuerit cum virgine Josepha, et ex impotente evaserit potens quoad virgines, operae pretium est reverenter insinuare, an hic et nunc supersedendum sit tam ab instauratione matrimonii cum Maria H., quam a concessione licentiae contrahendi matrimonium cum Josepha Sanchez. Licet enim sententia super dissolutione matrimonii *nunquam transeat in judicatum*, habet tamen pro se praesumptionem juris, si non de jure, quae non videtur tolli posse ex relatione duorum peritorum, et ex rumore extrajudiciali commercii carnalis, habiti ab Alphonso cum Josepha Sanchez.

Consimilis casus fuit in hac S. C. discussus die 16. Maji 1711 in quadam caus. *Oriolen;* fuerat enim dissolutum matrimonium propter perpetuum impedimentum arctitudinis feminae; cumque vir aliud matrimonium contraxisset, pluresque anni elapsi essent, femina, quae fuit arcta reputata, fuit ab alio deflorata, qui paratus erat ad eam in uxorem ducendam, exorta-

que quaestione super instauratione primi matrimonii, ad ampulandam quamcunque controversiam, tam femina, quae ob arctitudinem fuerat a viro separata, quam vir, qui dissoluto matrimonio aliam duxerat uxorem, opportunum existimarunt. Sanctissimo supplicare pro dissolutione primi matrimonii rati et non consummati. quae ipsis concessa fuit.

Itaque stantibus his EE. VV. onus erit decernere.

I. An hic et nunc sit supersedendum, tam a primi matrimonii instauratione, quam a licentia contrahendi secundum; et quatenus negative.

II. An primum matrimonium sit instaurandum, seu potius sit locus licentiae contrahendi secundum. S. C. die 9. Aprilis 1718 respondit:

Ad primum affirmative, et proponatur, citata Maria prima uxore. Ad secundum satis provisum in primo[1]).

Casus XIV.

Aetas.

Cajus impubes matrimonium, quod de praesenti contraxit cum Helena, hac post aliquot dies e vita erepta, vellet cum Titia ipsius Helenae sorore nuptias inire. Quaeritur, an aliquod obstet impedimentum?

Resp. *affirmative*, licet enim matrimonium impuberum, malitia non supplente aetatem, a jure irritum sit declaratum, eo quod praesumatur defectus judicii, atque consensus requisiti ad sic contrahendum; adhuc tamen tale matrimonium ex c. unic. de desp. impub. in sponsalia resolvitur, quia jus praesumit impuberes velle se obligare eo modo, quo possunt, ut proinde, si nequeant se obligare ex adducta ratione vinculo matrimonii, praesumit velle se obligare vinculo sponsalium, nisi ex mente ipsorum contrahentium expresse constet oppositum. Hinc, cum ex sponsalibus validis publicae honestatis oriatur impedimentum, quod in primo gradu dirimit matrimonium, dicendum est, Cajum

[1]) Thesaur. resol. C. Abulens. tom. I. p. 34, 40.

nequaquam posse matrimonium cum Titia, Helenae sorore, inire absque dispensatione. Ita cum Bonac. de matr. quaest. 2. punct. 9. n. 51. Girib. c. 13. n. 32. Lacroix l. 6. p. 2. n. 52 [1]).

Casus XV.

Dementia. Matrimonium ratum.

Nobilis vir Joseph Perez de Guzman Cordulensis anno 1758 proposuit coram Ordinario querelam nullitatis matrimonii, quod per procuratorem die 17. Febr. 1728 celebraverat cum Anna Ponze de Leon aeque nobili genere nata civitatis Beatiae, ob defectum consensus sponsae, quam dementem tunc fuisse asserebat. Sed mutato consilio preces deinde obtulit S. P. Benedicto XIV. quibus postulabat dispensationem super eodem matrimonio tanquam rato et non consummato, illisque remissis ad hanc s. congregationem, datae fuerunt litterae ad Episcopum, ut opportunas caperet informationes, qui propterea medici et chirurgi testimonio edoctus de Annae dementia, illi inprimis curatorem ad lites deputavit, quo citato admissi fuerunt articuli a Josepho exhibiti, et super illis interrogati viginti testes, qui affirmarunt, paucis noctibus Josephum communem habuisse torum cum Anna, suoque judicio putare, nunquam consummatum fuisse matrimonium, ob reluctantiam Annae ex insania reputantis se esse monialem. — Audita fuit Anna quae fatue, et inepte respondit, licet requisita subscripserit; inspectumque fuit illius corpus a tribus electis obstetricibus, quae retulerunt, eam esse incorruptam. Et suum addidit juramentum Joseph, nunquam se matrimonium cum Anna consummasse.

Causas vero ad petitam dispensationem impetrandam cumulat: dementiam scilicet Annae tempore initi matrimonii a testibus affirmatam, quae vix per ancillam instigata sensum suum porrecta manu coram parocho explicavit, ita ut dubitari possit de primaevo illius consensu; illius continuatam insaniam sine

---

[1]) Casus conscient. Bened. XIV. v. 1. pag. 145.

spe alicujus resipiscentiae, repugnantiam maritalibus amplexibus, periculum tum incontinentiae, tum inimicitiarum, et scandalorum, quae juste timeri possent ob deceptionem passam a Josepho, qui mandatum procurae dederat suo familiari Beatiam deferendum ea lege, ne illud consignaret comiti de Grazies, sponsae fratri, et procuratori constituto, nisi prius agnovisset falsitatem dementiae Annae, de qua rumor advenerat Cordulam, qua lege spreta infidus familiaris donis corruptus illud consignavit, non obstante dementia, et propterea ad succurendum decepto ad evitandum rixas, locum esse contendit; praeterea adducit praeclaram sui generis nobilitatem, etc., quae faciliorem reddere putat dispensationem, ne pereat nobilis familia . . .

Dispensationi nihilominus obsistunt mulieris et matrimonii defensores, qui disputant, nullam fidem mereri probationes in Curia episcopali compilatas sine deputatione defensoris matrimonii; consummationis vehementissimam praesumptionem oriri ex cohabitatione et condormitione, praesertim post diuturnam 30 annorum acquiescentiam, fallax judicandum esse obstetricum judicium juxta votum chirurgicum duorum professorum urbis; testes vero de propria credulitate deponentes non esse attendendos, nec standum juramento viri, et in dubio pronunciandum esse contra dispensationem . . . Justam quoque autumant deesse causam, tum quia dementia non probatur adfuisse *tempore initi matrimonii*, juxta depositionem unius testis, qui tamen in toto suae depositionis contextu refert fatuitatis intervalla matrimonio praecedentia, tum quia insania superventa non irritat matrimonium . . . Sic in congreg. habita 20. Sept. 1760. In sequente, 22. Nov. 1760 exhibita fuerunt nova documenta pro parte Annae; scilicet examen cujusdam cubiculariae ipsius Annae, quae a famulatu discessit triennio post secutum matrimonium Annae cum Josepho, quaeque testatur, eo tempore notoriam fuisse in familia et tota civitate Cordulensi praegnantiam Annae et abortum ab ea passum, et ipsam praesentem fuisse cum aliis familiaribus, quando Anna passa est abortum . . .

Hinc S. C. ad dubium, an constet de matrimonio rato et

non consummato, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, in casu Respondit: „Negative“, et amplius[1]).

Casus XVI.

Ligamen.

Georgius d' Ascoli Grecus, et Catholicus matrimonium contraxit cum muliere Lutherana coram duobus testibus et Praedicante Lutherano in civitate di Viburgo, quae est sita in Finnonia, quae olim regnum fuit, et nunc est pars regni Suecici, cumque Georgius militem agens captivus factus fuerit ab hostibus, et post reditum a captivitate tres filios se absente a sua uxore progenitos invenerit, eam in judicium vocavit, cumque ipsa triplicatum confessa fuerit adulterium, prolata est in synodo sententia super dissolutione matrimonii quoad vinculum, et libertate Georgii ad alias nuptias transeundi juxta Graecorum praxim et sic intellectam a Graecis s. Basilii doctrinam, in qua potissimum synodus suae sententiae reposuit fundamentum; cumque in praedictae sententiae executionem Georgius velit matrimonium contrahere cum alia femina, cui dicitur suam fidem dedisse, et Pater Apollinaris Capucinus missionarius in Moscovia, et degens in civitate Petersburgo, inducias a Georgio obtinuerit, ut s. Sedis judicium exquireret, redelata ad s. Congregationem de Propaganda Fide, et facta ejus remissione ad hanc s. Congregationem, quaeritur in praesenti, quid sit sentiendum.

Validitas matrimonii cum muliere Lutherana non potest impugnari; quoad ejus dissolutionem etiam quoad vinculum ratione adulterii ab uxore commissi, tres tantum Theologi enumerantur, (tempore Concil. Trident.) qui dictam dissolutionem approbarunt, Erasmus videlicet, Cajetanus et Catherinus; ceteri autem omnes sentiunt matrimonium quoad vinculum non dissolvi propter adulterium.

Et in eo, quod attinet ad Graecos, Petrus, Arcudius in suo tractatu de Concord. Eccl. Orient. et Occid. lib. 7., petitis un-

---

[1]) Thes. resolut. C. Cordul. tom. 24. p. 254, 260.

dique argumentis impugnat Graecorum praxim solvendi matrimonium quoad vinculum propter adulterium, et c. 13. fuse examinat appositam S. Basilii auctoritatem, ita ut sensus ejus sit, verum haberi matrimonium viri ab uxore dimissi cum altera, juxta praejudicatam hominum opinionem, sed rem aliter se habere secundum sententiam Salvatoris Nostri; quocirca idem Sanctus peccatum in dicto viro agnoscat, sed non ita grave, propter inolitam consuetudinem; et post haec sermonem transferendo ad statuta Conciliorum et R. Pontificum constitutiones. Eugenius IV. in Synodo Florent. sess. 25. sic Graecos allocutus est; „primo dico omnes conqueri de separatione matrimonii, idque correptione indiget", et post pacificum Graecorum discessum, idem Eugenius in decreto pro Armenis sic edixit: „Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit".

In Concilio Tridentino paratus erat Canon edendus, in quo anathema proferebatur adversus asserentes, matrimonium solvi quoad vinculum ex causa adulterii, sed exponentibus Venetis Oratoribus satis constare in more positum apud Graecos, ut uxorem adulteram deserant et aliam ducant, plures etiam ex eis degere in insulis reipublicae subjectis. Cretae videlicet, Cypri, Corcyrae, etc., et canonem praedictum esse dictos Graecos provocaturum ad tumultum et ad integram a Sede Apostolica secessionem, sic res accomodata fuit, ut anathema non respiceret contendentes, matrimonium dissolvi quoad vinculum, adveniente casu adulterii, sed asserentes Ecclesiam errare, cum docet, matrimonium quoad vinculum non solvi ex causa adulterii Conc. sess. 24. can. 7. Post concilium Trident. in instructione Clementis VIII. super aliquibus ritibus Graecorum ad Episcopos latinos, in quorum civitatibus Graeci vel Albanenses Graeco ritu viventes degunt, haec habentur: „Matrimonium inter conjuges Graecos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur, et si quae de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent". (Bull. tom. 3. 34.) His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere:

Quid sit in exposito casu respondendum?

Resp. „Scribatur, Oratorem non posse aliud matrimonium contrahere"[1]) 15. Jan. 1724.

Casus XVII.

Ligamen matrimonii rati.

Anno 1717 matrimonium, servato Ecclesiae ritu, initum fuit inter Comitissam Mariam Joannam de Wlassin et Comitem Joannem Josephum de Kaunitz. Per decennium cohabitarunt conjuges. Sed tandem, crescente animorum abalienatione, sub annum 1727 in id consenserunt, ut tori separatio fieret, annui floreni 3500 assignarentur a viro pro alimentis uxoris, et utriusque nomine suppliciter peteretur a summo Pontifice dispensatio super matrimonio rato et non consummato. Itaque hujusmodi preces oblatae fuerunt S. mem. Benedict. XIII. qui earum examen huic s. Congregationi commisit . . . Archiepiscopus Pragensis, hac de re instructam S. Congreg. reddere jussus, refert, contendi a memoratis conjugibus, qui amplissimis familiis orti sunt, matrimonium fuisse contractum repugnante invicem acriter genio, et urgente reverentiali metu erga parentes, ipsosque conjuges paratos esse interposita juris jurandi religione ad contestandam non consummationem matrimonii. Uberius autem de iis, quae ad dispensationem impetrandum conferre possunt, ipsorum oratorum scripta docebunt.

Porro duae potissimum sunt inspectiones, altera, quae pertinet ad probationem non consummati matrimonii, et altera, quae versatur circa causam dispensandi, cum ex communi doctorum sententia certum sit, ad hujusmodi dispensationem concedendam justam causam requiri. Omissis antiquioribus exemplis, recentiores casus, in quibus super matrimonio rato et non consummato dispensatum (praevia hujus s. S. consultatione) a Pontifice Maximo fuit, sunt in Januens. 20. Maji 1719, in Urban. 12. Jan. 1726, et in Chiens. 12. Mart. 1729. Contra autem juxta varias

---

[1]) Thesaur. resolut. tom. 3. p. 6.

facti circumstantias censuit S. C. non esse locum dispensationi in Romana 28. Mart. 1699, itemque in Eystettiens. 15. Maji 1717.

Ad dubium, an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione. S. C. C. respondit 7. Julii 1731. „Dilata, et ad mentem".

Causa iterum proposita 26. Januarii 1732, ex litteris super scriptis ab Ordinario Pragensi dilucide confirmatur, nullam conciliandorum animorum spem affulgere, . . . potissimum vero mulier extrema quaeque se potius laturam denuntiavit, quam ut ad mariti domum revertatur; quamobrem gravia pertimescenda videntur dissidia inter familias, . . . nisi Sedes Ap. dispensationem impertiatur. Sed ad dubium, an sit consulendum, ut supra, resp. S. C. „*Negative*" [1]).

---

[1]) Thes. resol. S. C. C. Causa Pragens. tom. 5. p. 150, 244. Haec causa Pragens de novo tractata fuit coram S. C. C. die 27. Febr. 1734. Cum enim difficultatis cardo vergeretur potissimum in probanda matrimonii non consummatione, post cohabitationem adeo diuturnam ambo conjuges die 11. Maji 1733 coram delegato ab Archiepiscopo, Deum Optimum Maximum testantes, asseverarunt nunquam consummatum fuisse matrimonium. Deinde non solum pater Mariae Annae, qui etiamnum vivit, sed et alii septem praenobiles viri, testes ab ipsa Maria Anna producti, et quorum duo etiam cognatione attingunt, jurejurando itidem interposito, affirmarunt sese jam diu fama nuntiante audivisse matrimonium non fuisse consummatum, atque ita etiam certo credere. Haec recenter allata conjungi oportet cum ceteris documentis, quibus in anteacta Causae propositione utebantur Oratores, ut non solum probarent matrimonium non fuisse consummatum, sed etiam ab initio initum fuisse repugnante vehementer invicem genio, et potius urgente parentum imperio, injectoque etiam metu ademptionis bonorum haereditario jure deferendorum . . . Caeterum quod attinet ad omnino necessariam conditionem non consummationis, credendum haud esse conjugibus, id affirmantibus et communi voto in matrimonii dissolutionem adnitentibus habemus in *Cap. super eo. De eo, qui cognovit*, si quidem ex vi Divinae legis matrimonium esset insolubile, si consummatum fuisset. Hunc S. C. C. ad dubium, an sit standum vel recedendum a decisis die 26. Jan. 1732 in casu, respondit: „*In decisis, et amplius*". Thes. resol. S. C. C. Causa Pragens. tom. VI. p. 217.

Casus XVIII.

Ligamen matrimonii rati. Consensus fictitius.

Episcopus Chiensis consuluit S. C. de Propag. Fide super sequenti casu: „L'ultimo del mese di Gennajo del 1726 fu contratto matrimonio secondo le formale del S. C. T. tra Giuseppe Odiber, et Angelica Molin oriundi Francesi, et abitanti in questa città. Il matrimonio non fu mai consummato, ne i conjugi cohabitarono, anzi lo sposo mancò per molti mesi da questa città. Tornato nel mese di Novembre del medesimo anno ad instanza della sposa, lo feci richiedere per mezzo del Curato D. Fr. Bavestrelli, perchè non coabitasse con la suddetta, con la quale da tanti mesi prima avea contratto il matrimonio; Rispose al medesimo Curato in presenza di degni testimoni. Jo non la voglio, mentne sono stato ingannato, et col inginochiarmi avanti divoi in Chiesa non ho mai creduto, di dover restar ligato con la mià volenti, che perciò son maritato in Tine, ed ho consummato il matrimonio; anzi se mai fossi forzato a coabitare con la prima, il seguente giorno l'abbondonerei, et partirei da questa città. Questa fu la risposta dell' *Odiber*, come mi costa per fede giurata del suddetto Curato, et testimoni. Fede autentica altresi rice vei da Mons. Cigala, Vescovo di Tine, la quale attesta, aver il detto Odiber contratto ivi matrimonio secondo li ordini del S. C. T. alli 18. Agosto del medes, 1726 con la Signora G. Aliprandi, ed a ver coabitato con la medesima. La prima sposa ha aspettato sin al presente giorno, nè mai si è potuto trovar ripiego d'accomodo, ora insta, e supplica, stante la mancanza del consenso interno dello sposo, esser dichiarata libera, allegando per se molti autori . . . Trasmetto dunque l'affare EE. VV. e le priego con tutta celerità o di dispensa, o di dichiarazione, come meglio alla loro prudenza, e dottrina parerà opportuno; tanto più, che la medesima supplicante è in evidentissimo pericolo si per la sua povertà, e si per alcuni Turchi, che li danno la caccia; intorno a che non posso meglio spiegarmi: Intelligenti pauca; mentne sto attendendo con duplicato le grazie . . .

Eadem S. Cong. de Prop. F. rem tam gravem pro decisione remisit huic S. C.

Duae principales quaestiones videntur examinandae in praesenti casu, altera nempe, an primum matrimonium sit validum, alia vero, an data illius validitate urgeat causa pro dispensando super eodem, quod supponitur ratum et non consummatum.

Quoad primam, ratio dubitandi oritur ex eo, quod sponsus asserit, se fuisse deceptum, nec vere consensisse in facie Ecclesiae coram parocho, sed ficte et simulate, super qua, licet verum sit, quod per fictum consensum unius de contrahentibus matrimonium sit omni jure irritum, hoc tamen non procedit, nisi concurrit et plene probatur causa simulandi, ac adsint conjecturae et circumstantiae simulationem suadentes, prout in *Mutinens*, die 4. Junii 1725, in qua haec S. C. respondit pro nullitate, quia concludenter probata fuit causa simulandi, et concurrebant urgentissimae conjecturae simulationem prae se ferentes.

In praesenti vero vir simpliciter asserit, se fuisse deceptum, ac non habuisse animum se obligandi; non specificat tamen, minusque probat, quaenam fuerit causa deceptionis . . . . hinc eidem asserenti nullo modo deferendum venit in foro externo, etiamsi medio juramento id affirmaret, cum verisimilius sit, modo mentiri, quam in contractu principali.

Et quamvis Theologi asserant, posse ex circumstantiis antecedentibus, concomitantibus vel subsequentibus probari simulatum seu fictitium animum contrahentium, etiam sine ulla praecedenti causa simulationis, circumstantiae tamen in sensu eorundem debent esse adeo praecisae et urgentes, ut certum moraliter redderent judicem hujus ficti consensus.

Inter ceteras conjecturas et circumstantias hunc simulatum consensum efficaciter demonstrantes, ea ad nostrum propositum recensetur a Theologis, quando sc. vir illico et in continenti post contractum matrimonium animum suum aperit, se ficte consensisse, vel factis, statim nempe fugiendo, vel verbis, id expresse fatendo, et insimul aliud matrimonium ineat, aut ad religionem transeat, vel in Ordines sacros se promoveri faciat; cum praesumendum non sit, se, si vere consensisset, tum cito

poenitere, et tum immemorem salutis suae esse, ut alias nuptias contrahere auderet. Immo post alios Theologos subjungit Sanchez, jam dicta procedere, etiamsi post aliquod temporis intervallum hic fictus consensus detegeretur a viro, quoties id juramento firmaret, et ex vitae ejus qualitate probabile fieret, eum non perjurare, quia nempe solitus esset Sacramenta recipere, et frequentare, bonorumque familiaritate uti, et insimul aliam uxorem duceret; quia in his circumstantiis verisimile non esset, eum velle in re tam gravi, sibi et uxori adeo perniciosa, mentiri.

In casu autem praesenti, licet asseratur, virum post contractum matrimonium non cohabitasse cum uxore, ac post aliquos menses ad secundas nuptias migrasse, ignoratur tamen, an post dictum matrimonium illico reclamaverit, an statim, vel quanto tempore ex post e civitate discesserit, cujus vitae, et qualitatum etc. sit, ex quibus certum judicium efformari posset.

Quo vero ad secundam inspectionem, an sc. data validitate dicti matrimonii rati, et non consummati, locus esse possit ejusdem dispensationi? Istius decisio dependet a pondere causarum, quae juxta opinionem omnium debent esse urgentissimae.

Tres causae allegari possunt in praesenti: *Prima* est, quod vir asserit, se fuisse deceptum, nec habuisse animum contrahendi, et se efficaciter obligandi. Hanc causam Sanchez lib. 2. d. 16. n. 7. justam et sufficientem putat, quando vir nullo modo induci possit ad praestandum verum consensum. *Altera* causa est, quod vir nullo modo induci potuit ad praestandum verum consensum et ad cohabitandum cum prima uxore, immo expresse protestatus est, se illico derelicturum eam fore, si ad cohabitationem cogeretur; quae causa praecipue si cum alia praecedenti concurrat sufficientissima judicatur pro dispensatione a Sanchez, et de Justis. Et in fortioribus terminis, quod aversio et discordia conjugum irreparabilis, et sine probabili spe reconciliationis sit causa rationabilis dispensandi, accedente praesertim consensu utriusque, ad effectum evitandi majora scandala, aliaque mala. Nam stante dicta assertione, et credulitate viri, se non remansisse obligatum in contractu, nec non ejusdem pertinacia in non praestando verum consensum, periculosum summopere

esset eum adstringere ad cohabitandum cum prima uxore, ne vera existente sua assertiva super consensu ficto, in foro saltem interno, praeberetur occasio committendi adulterium, ideoque Theologi sunt in sensu, quod in hoc casu Praelatus hoc jubere non debeat. *Tertia* demum est, quod vir secundum matrimonium contraxit et consummavit, nam etsi primum matrimonium ratum rite contractum non possit dissolvi per secundum cum alia contractum et consummatum, attamen ad evitanda scandala infamiam secundae mulieris ac innumera peccata, quae inde sequerentur, justam et rationabilem causam esse pro dispensando super primo matrimonio rato, probat in specie de Justis, et testatur, ita fuisse dispensatum in simili casu occulto per s. Poenitentiariam . . . Et eo magis haec urgere videretur, si cum aliis prioribus casibus, ut par est, insimul jungatur. S. C. C. ad quaestionem, an et quomodo sit providendum in casu etc. respondit 12. Mart. 1729: „Ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem." [1]) Quod autem provisum fuit in casu per dispensationem super primo matrimonio rato, patet ex Causa Pragensi antea relata. [2])

Casus XIX.

Ligamen.

Anno 1702 Mediolani nupsit Theresia Canetta Francisco Smith. Superiore autem anno, h. e. a. 1733, cum eadem Theresia tunc Papiae domicilium habens ad alias transire nuptias cuperet cum Antonio Cumello, ut de sui status libertate doceret, protulit testificationem de obitu Francisci Smith. Haec Hispano idiomate exarata sic habet: Constat ex libro militum vita defunctorum ex cohorte centurionis Josephi Lopez etc. Franciscum Smith Germanum et ejusdem cohortis Chirurgum mortem oppetiisse die 20. Septemb. 1717 et humatum fuisse die 19. ejusdem mensis. Ita testor Albae graecae die 2. Octobr. 1717. Ego Antonius La Vega Capellanus Legionis. Erat etiam obsignata

1) Thesaur. resolut. tom. 4. p. 265.
2) Thes. resolut. Causa Pragen. tom. 5. p. 150. §. 32. quaest. 3.

haec schedula sigillo cum imagine aquilae, superposito pileo. Hanc vero schedulam tunc a se ipso petitam acceptamque fuisse affirmavit memoratus Antonius Cumellus. At istius modi documento non satis fidei dari posse putavit Episcopus Papiensis, tum quia incertum erat, num Franciscus Smith, qui sub annum 1702 Mediolani matrimonium inierat cum Theresia, idem ille esset, qui ab humanis rebus ereptus dicebatur Albae graecae anno 1717 tum etiam, quia suspicionem excitabat narrari hominem sepultum pridie, quam mortuum, tum demum quia non erat documentum illud roboratum auctoritate Ordinarii, nec testium, proindeque obstabat norma praescripta a. 1670 a. S. C. S. C.

Postmodum Ant. Cumellus Viennam se contulit, ut alia, si posset, documenta compararet, sed aliud nullum protulit. Scripsit etiam Episcopus Papiensis viro Viennae commoranti, ut ejus adhibita opera veritas indagaretur; ille autem respondit ex pluribus argumentis testificationem supra relatam falsam videri.[1])

Cum igitur Curia Episcopalis negaret se posse facultatem tribuere mulieri, ut alterum iniret matrimonium, Antonius et Theresia ad aliam parochiam commigrarunt, et coram parocho, dum rem divinam faceret, matrimonium contraxerunt, irritum quidem hac de causa, quod ille non esset parochus contrahentium. Post aliquot tamen dies cohabitationis, mulier collocata fuit in pia domo feminarum poenitentium, Antonius autem venit ad hanc Urbem, et declarari postulat, satis constare de obitu prioris mariti Theresiae, cum affirmet testificationem de obitu eorum, qui in bello moriuntur, haud aliter confici solere, quam per schedulam a Capellano Legionis exaratam, et paratus etiam sit suo confirmare juramento, se vidisse tunc Capellanum exscribentem documentum illud e libro, in quem militum demortuorum nomina relata erant. . . . .

Fuit coram hac S. Congregatione in Taurin. matrim. discussum, an satis censeri posset constare de obitu prioris viri, qui in expugnatione Arcis Susae interiisse dicebatur; cumque jam mulier alterum matrimonium coram parocho, et testibus iniisset,

---

[1]) §. 32. quaest. 6. b.

sobole etiam deinde suscepta, S. C. die 27. Junii 1711, iterumque die 30. April. et 11. Junii 1712 jussit coadjuvari probationes circa obitum primi viri. Sed cum frustra adhibitae fuissent diligentiae ad certius de ea re docendum, tandem die 4. Febr. 1713 rescriptum fuit, ex hactenus deductis non constare de nullitate posterioris matrimonii."

Est igitur examinandum, an Theresiae Canetta permitti possit alterum matrimonium contrahere in casu etc. S. C. C. die 12. Decemb. 1733 resp. „*Ex hactenus deductis negative et amplius.*" At novum documentum profert Theresia Canetta die 27. Febr. 1734. Fuit enim apud acta Curiae Episcopalis Laudensis rite interrogatus Antonius Tribaldus, origine Hispanus, qui jam inde ab anno 1690 in militaribus copiis stipendia fecit. Is juratus affirmavit se olim meruisse in Hungaria, ibique novisse Franciscum Smith, chirurgum ejusdem legionis, cui ipse erat adscriptus. Narrat etiam, se eundem Franciscum audivisse pluries dolentem, quod uxorem reliquisset in dictione Mediolanensi. Denique asseverat, se mense Septembris anni 1717 eum vidisse prius aegrotantem, deinde mortuum in nosocomio Albae Graecae. Interrogatus enim in haec verba, quomodo sciat dictum Franciscum Smith ex hac vita migrasse, ita respondit: „Lo sò molto bene, perchè questo in quel tempo, che io ero curato dal medesimo nel sopradetto Ospedale, si ammalò anch' esso, et per certi dolori, e febbre, che credo fosse mal di punto, in due, o tre giorni se ne mori in un letto per scontro al mio, e se non sbaglio, mori verso la mezza mattina; onde benissimo lo vidi morto, et a tirarlo giù dal letto, e come essendo chirurgo, correva nel rango delli Uffiziali, con distinzione fu portato a seppelire in una Moschea altre volte de Turchi, ed allora convertita da nostri Capellani Catholici in Chiesa, ed il Capellano, che l'accompagnò alla sepoltura, si addimandava D. Antonio della Vega Prete Spagnolo."

Tam multa quidem, ac tam minutatim explicata non parum valent ad fidem testi conciliandum.[1]) Sed et ex eodem testi-

[1]) vid. §. 32. quaest. 6. d.

monio confirmatur Antonium La Vega fuisse capellanum Legionis, indeque amplior additur vigor testificationi editae ab eodem presbytero de obitu Francisci Smith circa finem Septemb. 1717, ut supra relatum fuit.

Ad extremum est illud quoque animadvertendum, quod praepositus parochialis Ecclesiae S. Mariae Magd. in eadem civitate Laudensi testatus fuit praedictum Antonium Tribaldum, habentem domicilium in ejus parochia, recta conscientia, bonisque moribus praeditum esse. Quaestionem, an ad probandam conjugis mortem sufficiat *unus* oculatus testis, proponit Sanch. l. 2. disp. 46. n. 10. Reiffenst. ad tit. de secund. nupt. n. 51. Schmalzgr. ibid. n. 14.

His igitur perpensis, quaeritur, an sit standum, vel recedendum die 12. Decemb. 1733 in casu. S. C. C. respondit die 27. Febr. 1734 „*Arbitrio Episcopi.*" [1])

Casus XX.

Ligamen matrimonii rati cum uxore Acatholica.

Joannes Petrus Douren, negotiorum a Sereniss. Electore Palatino, cui nunc etiam ministerium exhibet, ei commissorum causa a. 1718 petiit civitatem Crucenacensem. Ibi diversatus apud Annam Christinam Cumens, quae publice locabat hospitium, ex ea prolem suscepit illegitimam, quae (proles) paulo post extincta est. Vidua erat ea femina, et Calviniano imbuta veneno, ac 37 aetatis annum agebat (ipso agente 26 anno aetatis). Vehementibus ejus quaerimoniis fractus victusque Joannes Petrus Heidelbergam, ubi residet parochus, se contulit, et catholico ritu matrimonium iniit cum Anna Christina die 4. Maji 1719, sed, ut affirmat, statim ab ea divertit, nec deinceps unquam cum ea cohabitavit. Itaque ad alias magis se ipso dignas nuptias transire cupiens (est enim 40 annos natus) Pontifici M. supplicavit, ut matrimonium ratum, nec tamen consummatum, dissolvere dignaretur.

---

1) Thesaur. resolut. C. Papiensis. vol. VI. p. 215.

Ordinarius jussa S. C. excepit documenta, quibus J. Petrus evinci existimat matrimonium non esse consummatum. Causae: generis et aetatis disparitas, rumor de mulieris consuetudine cum alio homine, mutuum odium feminae obstinatio in haeresi, Joannis Petri firma adhaesio fidei Catholicae, periculum salutis. Ad dubium, an sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu, S. C. die 13. Junii 1733 respondit: „*Negative*".

Joannes Petrus, repulsum aegre ferens, preces suas iterum perpendi obsequenter postulavit die 23. Januarii 1734. Non enim petitae dispensationi obstare putat, quod ipse ex eadem femina sobolem illegitimam susceperit, antequam ei nuberet; nam adhuc posse Pontificem subsequens matrimonium duntaxat ratum dirimere docent *Bald.*, Card. de Luc. (de matrim. disc. 16. n. 25) Menochius. De matrimonio non consummato ex testibus satis constare censuit Vicarius Generalis Ep. Erit igitur deliberandum, an sit standum vel recedendum a decisis die 13. Junii 1733 in casu etc. S. C. resp. „*In decisis et amplius*".[1])

Casus XXI.

Ligamen matrimonii in infidelitate contracti.

Pluribus abhinc annis Stella Enriquez, mulier Hebraea et uxor Isaaci Pinto, catholicam fidem Florentiae amplexa est, et Mariae Rosae nomen accepit, viro in judaica perfidia relicto. Quo juridice praemonito, an vellet et ipse Christianus fieri, et uxorem conversam sequi, terminoque assignato ad deliberandum elapso, declaratum fuit a judice ecclesiastico, praefati matrimonii vinculum esse omnino dissolvendum, ita ut liceret praefatae mulieri conversae ad secunda vota transire; ipsa nihilominus sperans fore aliquando, ut et ipse vir converteretur, semper mansit innupta. E converso vir infidelis in matrimonium duxit Esther, neptem ex sorore, una cumqua novissime baptismi gratiam suscepit, Ferrantis Mariae nomen assecutus. Quia vero Maria Rosa prima uxor instabat suum sibi virum restitui, a se-

---

[1]) Thes. resol. C. Wormatiens. vol. VI. p. 90. 197.

cunda uxore statim post baptismum separatus est, quae in conservatorio honestarum mulierum degit, donec vel viro restituatur, vel alteri nubat. In re autem tanti ponderis, ut rectius ac tutius procedatur, Vicarius Generalis Em. D. Card. Archiepiscopi Florent. a S. C. C. super data facti specie oraculum exquisivit 1. Julii 1679, pro decisione, an dictus Ferrantes Maria debeat ad primam uxorem redire, an vero cum secunda perseverare. S. C. C. censuit referendum Sanctissimo votum S. C., scilicet debere Ferrantem redire ad primam. Repropositaque causa die 13. April. 1680 S. C. stetit in decisis sub die 1. Julii 1679, uti colligitur ex seq. Decreto: „Cum disputatum fuisset de dubio infra scripto, EE. PP. mihi injunxerunt, ut Sanctissimo referrem vota S. Congregationis, scilicet Ferrantem teneri redire ad primam uxorem, quo facto Sanctitas Sua, ob gravitatem materiae, voluit eum amplius examinari. Verum quotquot Theologi consulti sunt, sententiam S. Congregationis veram renuntiarunt; Canonista duntaxat contrariae sententiae scripto adhaeret, quamobrem revocato ad trutinam articulo, ac posita facti specie descripta in folio praecitato, quaeritur, an Ferrantes debeat ad primam uxorem redire; an vero cum secunda perseverare. S. C. C. stetit in decisis, scilicet teneri redire ad primam [1]).

Casus XXII.

Ligamen matrimonii in infidelitate contracti.

Ricca Esther, dum erat Judaea, matrimonium contraxit cum Abrahamó Haebraeo, et illud consummavit; cumque post aliquot temporis spatium judaicam perfidiam abjurasset, et ad catholicam religionem conversa esset, post canonicam consuetam monitionem reliquit Abraham in sua judaica perfidia, et licet ad alia vota transire posset, caelibem nihilominus statum elegit, et etiam hodie remanet innupta.

Post Riccae conversionem Abraham existimavit se in libertate

[1]) Thesaur. resolut. C. Florent. vol. 3. p. 355, 356. — Conf. §. 32. quaest. 4. n. 4.

positum, quocirca anno 1721 aliam Hebraeam nomine Blancam. duxit in uxorem, et matrimonium cum ea consummavit; cumque tam Abraham, quam Blanca anno praeterito suam patefecerint voluntatem de Judaismo abjurando, et catechismo fuerint subjecti, suum quoque desiderium explicaverunt de perseverando, post receptum baptismum, in matrimonio uti supra contracto.

Ricca interrogata, quid super hac re sentiret, respondit se suum libentissime assensum praestare, et se nolle ullo modo ad Abraham redire, etiam post objuratam ab ipso judaicam perfidiam, et ejus conversionem ad nostram s. religionem. Visum fuit, et merito, Riccae consensum non sufficere ad rem, de qua nunc agitur, exortisque proinde super hac re in Civitate Florentina controversiis, iisdemque remissis ad hanc S. Congregationem, de illis actum fuit in consessu habito die 27. Julii 1726. Dubia, quae tunc fuerunt proposita, sunt haec, quae sequuntur:

I. An adhuc subsistat matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam et Abraham, et quatenus affirmative.

II. An Abraham post suam, et Blanccae conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, et Blancam relinquendam, et quatenus affirmative.

III. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso, et quatenus affirmative.

IV. An summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate, uti supra contracto cum Blanca, et quatenus affirmative

V. An consilium praestandum sit Sanctissimo Domino Nostro pro concessione dictae dispensationis in casu, etc Et in congregatione, habita praedicta die 27. Julii ad primum et secundum dubium responsum fuit „*Affirmative*"; in reliquis nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod scriberent Theologi et Canonistae, et perquirerentur, exempla, et additum fuit „*ad mentem*" quae fuit ut scriberetur Archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut citra praejudicium conversionis ad fidem catholicam Abraham separaretur a Blanca, et ad Riccam rediret, item an Ricca esset in statu virum ducendi, aut emittendi pro-

fessionem religiosam in aliqua religione[1]; per hanc etenim viam credebatur evitari posse resolutionem dubiorum propositorum et non resolutorum. Fundamentum affirmativae responsionis ad I. et II. constitutum fuit in communi et communissima hodie Theologorum et Canonistarum sententia, quod matrimonium quoad vinculum in casu conversionis non dissolvatur, nisi tunc cum fidelis aliud contrahit matrimonium, unde optimo jure ponderatum fuit, quod si Ricca conversa nullum adhuc contraxit matrimonium post conversionem subsistere de necessitate debebat matrimonium per eam in Judaismo contractum cum Abraham, et sic consequenter quod Abraham teneatur redire ad Riccam, ut etiam decisum fuit in consimili casu 1679 et 1680.

Quod attinet ad cetera dubia, ex responsionibus Archiepiscopi Florentini duo colliguntur, *alterum*, quod non sit possibile, ut Abraham separetur a Blanca, *alterum*, Riccam nolle, vel aliud matrimonium contrahere, vel religiosae professioni nomen dare. Hinc ad dubium tertium resolvendum, investigari debet, inquantum ex jure Ricca cogi posset ad redeundum cum Abraham. Quaeritur igitur an possit causa divortii a toro deduci ex matrimonio inito ab Abraham, nuptiis cum Ricca nondum solutis; sed respondendum videtur „negative"; cum adulterium, taliter ab Abraham commissum, materiale tantum est habendum (text. in cap. Gaudemus de divortiis). Potest tamen in praesenti casu ex alia causa; ex epistolis Archiepiscopi Florentini non videtur dubitandum esse de molesta priore cohabitatione inter Abrah. et Riccam, quae sufficiens esse potest ad separationem temporalem.

Quod attinet IV. et V. dubium, a S. C. C. decisio non fuit data, sed responsum: „Scribatur juxta instructionem". Quae autem hujus responsi mens fuerit, refert Benedictus XIV. in Synod. dioeces: lib. VI. c. IV. n. 5. his verbis: „Sacra Congregatio satius duxit, a sententia ferenda se abstinere, quoniam, etiam data Pontifici potestate rescindendi prius vinculum conjugii in infidelitate contracti, nihilominus, quod nos Sacrae Congregationi insinuare non praetermisimus, merito dubitabatur:

---

[1]) Conf. §. 32. quaest. 4. n. 4. adnot.

num eae adessent gravissimae causae, quae necessariae sunt, ut per Apostolicam dispensationem dirimatur." — Veruntamen superfluum non erit, paucis perstringere, quae Benedict. XIV. tunc Secretarius S. C. C. exposuit in dissertatione hac occasione exarata, de hac quaestione[1]). Praeprimis, ait, distinguendus est casus a casu; *primum est*, quando ambo conjuges infideles non solum contraxerunt, et consummarunt matrimonium in infidelitate, sed etiam, dum actu sunt infideles, instant pro ejus dissolutione, et in hoc primo casu, qui potius videtur idealis, quam practicus, negativa responsio tutissima esse videtur, ut inquit Apostolus, *quid ad nos de his, qui foris sunt, judicare? Secundus casus est*, quando matrimonium fuit contractum et consummatum in infidelitate, et uterque conjux post suam conversionem ad fidem christianam, et sine nova matrimonii consummatione post conversionem instant pro dissolutione, et in hoc secundo casu responsio negativa haberi posset pro tutiore, quando quidem in hoc matrimonio utraque qualitas verificatur, quod videlicet sit matrimonium fidelium, et sit consummatum, et eo fortius, cum consummati in infidelitate ratio habeatur etiam post conversionem, ut infra, et in eo, quod attinet ad matrimonium fidelium consummatum, certum sit, non posse Summum Pontificem dispensare. (Schmalzgr. lib. IV. tit. 19. n. 58. et seq.). *Tertius denique casus est*, quando matrimonium fuit contractum, et consummatum in infidelitate, et post unius ex conjugibus conversionem, et alterius permanentiam in infidelitate promovetur instantia pro dissolutione, hic est casus noster, et in ejus resolutione discrepant Theologi a Theologis, Canonistae a Canonistis, ita ut utraque opinio tanquam probabilis habeatur a *Diana*, tom. 2. tr. 6. resol. 125. n. 4. et controversia tanta ab aliis existimetur, ut super ea expectandum dicant judicium Sedis Apostolicae[2]). Illi, qui asserunt, Summum Pontificem posse dispensare, adducunt

1) S. Pontifex potest dissolvere matrimonium ratum inter

---

[1]) Thesaur. resol. C. Florent. tom. IV. p. 30. et seq.

[2]) Clericat. de matr. decis. 12. n. 16.

fideles; vinculum autem hujusmodi matrimonii est fortius vinculo matrimonii consummati infidelium, ergo potest etiam dissolvere vinculum matrimonii in infidelitate consummati, quia, qui majus potest, necessario etiam minus efficere valet.

2) Summi Pontifices dispensant, ut infidelis ad fidem conversus possit remanere cum ea uxore, quae fidem christianam amplexa est, derelicta prima, quae in infidelitate permansit, ut desumitur ex Brevi S. Pii V. die 2. Aug. 1571; Gregorius VII. ad ulteriora procedendo, valida et firma declaravit etiam haec matrimonia contracta ab infideli converso cum muliere christiana, etiamsi deinde probaretur, primam conjugem non potuisse justis de causis suam voluntatem explicare, et etiam, quod ipsa non amplius erat infidelis, sed fidelis tempore secundi matrimonii contracti; ergo, cum hoc fieri non valeat, nisi dissoluto quoad vinculum primo matrimonio in infidelitate contracto, eo magis crescit assumptum, favens Pontificiae potestati ad dispensandum super matrimonio infidelium licet consummato. Alii econtra sic discurrunt: Matrimonium suam obtinuit indissolubilitatem in ipso mundi principio ex jure naturali divino, et deinde ex Evangelico, saltem quoad matrimonium consummatum; haec quidem indissolubilitas non operatur, quia in aliquo casu possit dissolvi, sed oportet, ut hic casus sit expressus ab eo, qui primam statuit indissolubilitatem, quique potest dicto juri derogare, cumque hujus vinculi dissolutioni solus faveat textus Apost. 1 Cor. 7., extra hunc casum solvi non potest. — Sixtus V. merito in casu praesenti consimili petitam dispensationem concedere noluit a. 1588, ut testatur Vasquez, tom. IV. disp. 2. c. 6. n. 58. Ad rationes oppositae sententiae respondent. 1) Non constat, an vinculum matrimonii rati sit absolute firmius vinculo matrimonii consummati infidelium. 2) Summi Pontifices in allegatis indultis non dispensaverunt super vinculo prioris matrimonii, sed privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum et ab Apostolo promulgatum 1 Cor. 7. etiam datis circumstantiis admittendum esse decreverunt[1]).

---

[1]) Dissertat. Bened. XIV. in thesaur. resolut. tom. IV. p. 30 et seq.

Casus XXIII.

Interpellatio partis infidelis in casu conversionis.

Anna Maria Theresia Medicea, divina inspirante gratia, judaicam perfidiam objuravit, et 29. Oct. 1721 unacum quatuor filiis s. baptismum recepit. Dum Anna erat in statu infidelitatis, matrimonium contraxerat cum Abrahamo Barda, Hebraeo, a quo tamen juxta ritum Judaeorum usque de anno 1710 libellum habuerat repudii; cumque Anna praedicta promptam habeat occasionem nubendi cum Antonio Cecchio milite Christiano, et periculum sit in mora, et Abraham in longinquis degat regionibus, absque eo, quod sciri tuto possit, in quo loco versetur, exorta est Florentiae disputatio, an concurrentibus circumstantiis possit Anna matrimonium facere cum milite christiano, omissa, ex superiorum indulgentia, memorata interpellatione, et a Vicario Capitulari Florentino, qui omnia praedicta in sua informatione refert, hujusce S. C. oraculum exposcitur.

Ex verbis Apostoli 1 Cor. 7. deducitur, quod per conversionem unius ex conjugibus tunc tantum solvitur matrimonium, quoad vinculum, quando alter remanens in infidelitate non vult converti, vel non vult cohabitare sine contumelia creatoris. Ita infertur, conjugem fidelem de necessitate conjugem infidelem debere interpellare, an velit converti, et cohabitare sine contumelia creatoris, ad effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat. In praesenti autem casu non obstat, quod usque de anno 1710 Abraham vir miserat ad mulierem, de qua nunc agitur, libellum repudii; ita ut ipsa remanserit in libertate alium ducendi virum, ut habetur in Deut. c. 24. cum enim Christus Dominus Math. c. 19. dixerit, Mosem ad duritiem cordis permisisse Judaeis, ut uxores dimitterent, sed ab initio sic non fuisse, et hoc ipsum iterum dixerit, Marc. c. 10. concludendo, „*quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*“, docent communiter Theologi, hodie Judaeis non esse permissum uxores suas repudiare, et per repudium non solvi vinculum matrimonii; Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primaevum statum,

h. e. ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quae circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa. Et licet etiam hodie inter Hebraeos, scientibus et tolerantibus Superioribus Ecclesiasticis, vigeat praxis repudii, haec tamen et similia poterunt ad summum sibi locum vindicare in repudio inter infideles misso, et iisdem in infidelitate permanentibus, secus autem, prout alter ex eis ad fidem conversus est.

Sed quaeritur, an stantibus circumstantiis ex superioris indulgentia omitti possit in casu interpellatio. Nonnulli putant, concurrentibus similibus circumstantiis omissa interpellatione conjugis infidel's fidelem posse transire ad alias nuptias. Econtra alii censent, quod etiam concurrentibus circumstantiis, de jure sit locus interpellationi, sed quod si graves sint, haberi debeat recursus ad Summum Pontificem, cujus est, in eo rerum statu indulgere, ut omissa interpretatione, conjux fidelis ad alia vota transire possit... His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere

I. An de jure necessaria sit interpellatio in casu, etc. etc. et quatenus affirmative.

II. An, stantibus circumstantiis, indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu, etc.

S. C. C. respondit: „Ad utrumque affirmative". 17. Januar 1722[1]).

Casus XXIV.

Ingressus in religionem ex matrimonio consummato.

Anno 1753, dum Barcinone pro suo munere commorabatur, insignis militari gradu Nicolaus Ruiz de Turre, matrimonium contraxit cum Elisabeth Ribot, clam et secreto tamen, ob disparem conditionem puellae, et quia sine ulla venia inter militaria stipendia contrahebatur. Cum ea aliquot mensibus vixit. Unicus filius natus est, qui infans obiit. Pater vero militari ductu primum petere *Gaditanum* praesidium, inde migrare in

[1]) Thesaur. resolut. tom. 2. p. 116. etc. Caus. Florent.

Africam ad civitatem Exilissae, postea ad Gades remigrare, ubi nunc degit, coactus est. Antequam autem Barcinone discederet, illic in monasterio, quod dicitur dell' Ensennanza, collocavit uxorem, cui summa fide omnia ad vitam necessaria hucusque subministravit. Anno praeterito, h. e. 1764 mulier supplicavit, ut sibi potestas fieret suscipiendi claustralem habitum, consentiente ad haec viro et omnia, quae opus sunt, sive ad dotem, sive ad perpetuum victum, libenter dante.

Episcopus Barcinonensis rogatus, testimonium fecit, mulierem profecto vocationis tot tamque perspicua argumenta intra spatium trium annorum praebuisse, ut prudenti dubitationi locus haud relinqui videatur. Interea Nicolaus coram Episcopo Gaditano solemnem suum assensum praestitit, nec non probationes ex plurium testium judiciaria affirmatione de suis moribus atque anteactae vitae probe servata ratione dedit, quas omnes Episcopus illi transmisit atque approbavit, cum promissione votum perpetuae castitatis emittendi, quando mulieri in religionem ingredi permissum fuerit. Hinc asserit Elisabeth, omnia adesse, quae requiruntur, ut unus ex conjugibus religionem profiteatur, manente altero in saeculo scilicet 1) consensus manentis in saeculo, 2) ejus senilis aetas, 3) ut periculum incontinentiae desit, 4) ut is perpetuum continentiae votum emittat.

Regula est, ut alter conjugum non possit regularia vota emittere, nisi alter quoque libere consensum praestet, et regularem statum simul profiteatur. Duas exceptiones admittit regula; *una* est, si laesa ita sint jura matrimonii, ut perpetuae separationi locus fuerit, nempe ob adulterium unius e conjugibus; quando autem jura matrimonii perpetuo laesa non sint, et locus factus fuerit non perpetuae, sed temporariae, non ita facile permissum est. *Altera* vero exceptio regulae est, si ex conjugibus ille, qui in saeculo maneat, senex sit, et ab omni incontinentiae suspicionevacet, ac simul castitatis votum emittat.

His ita propositis, mulier in causa, de qua agitur, in tricesimo aetatis anno versatur, vir in quinquagesimo quinto. Maxime itaque inspectio de aetate viri est, an pro hac re senilis dicenda sit, proptereaque vacet in posterum suspicione. Physici

Physici aetatem senilem in quinquagesimo anno incipere affirmant communiter, Juristae autem, ut suspicionem excludant, in femina sexaginta annos requirunt, in viris septuaginta, plures dicunt, a valetudine, a viribus, ab actae vitae consuetudine rem esse aestimandam. Hinc S. C. in una Paris. die 6. Maji 1645 respondit: „Si sanctissimo Domino placuerit dispensationem petitam suscipiendi ordines sacros de consensu uxoris concedendam esse Joanni de Mocheron. in forma tamen comissaria, verificatis aetate ipsius sexaginta duorum annorum, et aetate quinquaginta octo annorum, quodque ipsa emiserit votum solemne castitatis in manu Archiepiscopi Parisiensis, et quod ex attestatione ejusdem in dicta uxore cesset omnis incontinentiae suspicio, et ipse sit bene meritus Sedis Apostolicae ob servitium praestitum S. Congregationi de Propaganda Fide. (lib. 17. Decret. fol. 417. a terg.).

In causa, de qua cognoscitur, ponderandum, quanti valeant testationes de pietate ac religione viri, quid experimentum diuturnae a florida uxore absentiae; mulier de se ipsa affirmat, se sperasse, sed inaniter, fore, ut matrimonium secretum publice confirmaretur. Considerandum idcirco an verendum sit, ne vegeta aetate mulier desperatione potissimum habendi maritum ad regularem statum se vertat; vir autem, quia indignationem principis timet, ob dispares nuptias in militari servitio sine venia contractas, et non honestam inde a militia dimissionem, consentiat; ideoque non praecipuo instinctu pietatis faciant, ac propterea concessionis subjectum ipsum deficiat in salutari.

S. C. ad dubium, an et quomodo liceat Elisabeth religiosum habitum suscipere, et regularem professionem emittere, in casu etc. die 23. Nov. 1765 respondit: „Expectet, et ad mentem, et amplius, die 12. Nov. 1767 ad idem dubium respondit: „Pro gratia admissionis ad habitum et novitiatum, et ad professionem non admittatur, inconsulta Sacra Congregatione“ [1]).

---

[1]) Thesaur. resol. C. Barchinon. tom. 29. p. 196, 205. tom. 31. p. 253.

Casus XXV.

Ordo, Votum solemne.

Comes Albertus Bona aetatis aunorum quadraginta, et Comitissa Benedicta Verità annorum viginti quatuor circiter Veronenses post aliquot annos conjugii, ex quo prolem susceperunt, ad melioris vitae frugem transire cupientes, supplicarunt Sanctissimo pro opportuno beneplacito, ut vir statum presbyteri saecularis amplecti, uxor vero solemnia vota in aliqua religione emittere possint. Preces hujusmodi huic S. C. fuerunt remissae, a qua, audito Episcopo, duplicem iste proponit difficultatem adversus Oratorum instantiam.

Prima ex eo, quod non uterque, sed tantum uxor vult in religione profiteri, viro manente in saeculo, quod esset contra s. Patrum constitutiones; juxta quas ista permanentia in saeculo non permittitur alteri ex conjugibus, nisi in ea aetate esset, in qua nullus adesset timor incontinentiae, et ulterius votum castitatis emitteret. *Altera* circumstantia Oratorum precibus obstans consistit super existentia prolis adhuc in infantili aetate, cujus propterea curam praetermittere non licet ob ingressum in religionem, S. Thom. 2. 2. quaest. 101. a. 2. ad 2.) et quamvis ex eodem s. Doctore limitetur, quando curae filiorum aliunde provideri possit, ut esset in casu, si illi remanerent apud aviam, vel patruos, quos habeat; requireretur tamen consensus eorundem patruorum vel aviae, et quod ex tali educatione filiorum conditio deterior non fieret.

Primae ex difficultatibus per Oratores respondetur, constitutiones s. Patrum loqui, altero de conjugibus remanente in saeculo in statu laicali, nec applicari, quando vir vult effici sacerdos. (C. conjugatus. tit. convers. conjugum.) Quo vero ad existentiam filiorum, istum neque obstare praetenditur, eo quod unica supersit filia, cui satis provisum videretur, si vel remaneret in saeculo penes patrem, vel ingrederetur monasterium simul cum matre. Pro resolutione quaestionis, an sufficiat marito remanere in saeculo in statu sacerdotali, an vero requiratur assumptio

habitus regularis, consideranda ratio, qua moti fuerunt sacri canones ad praescribendum, ut uterque conjux religionem ingrediatur; si enim ratio sola esset ad effectum, ut uterque solemnia vota emitteret pro dissolvendo matrimonio consummato, et ut Deo melius servirent, tunc sufficere videretur sola susceptio sacrorum Ordinum, absque eo, quod cogendus esset religiosam vitam amplecti, cum non minus matrimonium dissolvatur per professionem regularem, quam per susceptionem Ordinum. Si autem potissima ratio legis esset ad effectum consulendi periculo incontinentiae conjugis reclusi, et ut a vagationibus arceatur, ut innuere videtur textus in c. Cum sis, in cap. Uxoratus et in cap. ad Apostolicam, eod. tit.; in hac hypothesi sufficere non videretur sola susceptio Ordinis s. in viro manente in saeculo, qui non est in senili aetate constitutus, nec in eo deficit suspicio incontinentiae. Glossa in c. 2. de Cleric. conjugatis dicit: „Sequestratro mansionis cubiculo, et hoc intelligo, cum ambo processerint in dies suos, ut sine omni suspicione possint separatim manere, alias si juvenes essent, non possent promoveri, nisi pariter ad religionem transirent.

Praesenti controversiae aptari videtur unicus casus antiquior in Parisiens, 6. Maji 1645, in casu praeced. citatus.

S. C., cui dubium propositum est die 18. Sept. 1728 „An et quomodo petitis sit annuendum“, resp. d. 12. Febr. 1729; „*Dilata*“ [1]).

Non enim sufficiens fortasse visa est sola susceptio sacrorum ordinum in adhuc florente homine, ad vitanda incontinentiae pericula, ex mente ipsa sacr. canonum, nisi remotus ab oculis simulacra mundanarum rerum inania fugitaret in claustris [1]).

Casus XXVI.

Baptismi necessitas ad matrimonii Sacramentum.

Rector Gadii de Plano, Comitatus Bononiensis in Dioecesi Nullius Nonantulae, postulat declarari, an quaedam Maria Catha-

---

[1]) Thes. resol. C. Veronens. tom. IV. p. 246, 261.

[2]) Thesaur. resol. C. Barcin. tom. 27. p. 199.

rina, quae in sua parochia est annum vicesimum agens, admitti possit ad matrimonium, quod paratum habet, non collato eidem sub conditione baptismo, ob incertos, quos habuit parentes. Facti historiam narrat, unius testis judiciali affirmatione probatam. Thomas Bastiglia ex eo oppido, a 1740 relicta uxore, cum Maria Bonarelli, quae suum etiam virum deseruit, ad Austriacum exercitum Mutinae primum, deinde alio se contulit, cupedinarium inter milites mutato sibi nomine agens, sic esculenta cocta ac parata venditando, donec exercitus iis annis in ditionem ecclesiasticam venit, quo tempore Thomas Mutinae se continuit.

Anno 1745, remeato hinc exercitu, apud Sardorum copias cum eadem vivendi ratione rediit Thomas. Sequente anno in parochiam S. Joannis Baptistae Villae Moleae Regiens. Dioecesis se recepit cum eadem Maria Bonarelli, quae a. 1748 ibi defuncta est. Hinc paulo post in patriam remigravit et in parorochia S. Philippi et Jacobi Ponzani, villae Gadii de Piano contermina, d. 24. Januarii 1760 obiit.

Secum e sua peregrinatione traxerat Thomas hanc Mariam Catharinam, de qua sermo est, tunc aetatis annorum quinque. Eam puellulam parentibus orbatam, repertam, non vero suam filiam dixit. Suam tamen moriens professus est, atque ab aliis filiis uti suam haberi jussit, nihil neque de loco, ubi ortum habuerit, neque de ejus baptismo dicens. Maria Catharina autem christianis semper moribus vixit et ad Sacramentorum communionem usque ad annum 1757 admissa est.

Eminentissimus Abbas Commendatarius rogatus, facti seriem expositam comprobat, atque in ea sententia est, ut baptismus sub conditione ei conferatur. Possibile enim non esse affirmat, ut de collato antea baptismo probatio haberi posset. Sine baptismo alia Sacramenta recipi non posse certum est; certissimum autem etiam, baptismum iterari non posse. In Rituali Romano additur tit. de baptism.: „Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter et ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum. Ambiguitatem autem tolli ex facti circumstantiis consuit Jnnocent. III. in cap. Veniens de presb. non baptiz.“

Et certe de illo, qui natus est de christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, ut haec praesumtio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur. Sequitur Barb. ad c. 2. de baptism. n. 3. Tertio infertur, non esse rebaptizandos eos, qui nati et educati fuerint pluribus annis inter Christianos, et a parentibus Christianis, nisi clare constet eos non fuisse baptizatos . . . S. C. C. in una Neapolit. matrimon. 1. Sept. 1714, cum quaesitum esset, an matrimonium inire posset femina, quae licet addicta servitio nobilis matronae Neapolitanae, et 30 aetatis annum agens, Sacramentis poenitentiae et Eucharistiae refici consueverat; attamen sexto post nativitatem die ab ignoto homine tradita fuerat cuidam feminae, et certo non constabat fuisse sacro profusam lavacro, rescripsit esse baptizandam sub conditione ac secreto, et deinde procedi posse ad contractum matrimonii servatis servandis, ut in lib. 64. Decret. p 345. In una Ulyx. ponen. Orient. proposito dubio de quodam Simone in lucem edito, dum parentes catholici in Jndias navigabant, licet ritu Catholico semper in Lusitania vixisset et Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae saepius suscepisset, atque idem Simon assereret se fuisse baptizatum a capellano navis in eadem navi. Attamen cum deesset testificatio de collato baptismo, censuit sub die 26. April 1732 inter Summaria precum, scribendum Vicario Capitulari, ut exquireret, interposito juramento, ab eodem Simone quomodo sciret se fuisse baptizatum a capellano navis in eadem navi, itemque exploraret tum ex eo, tum aliunde, quot deinde annis superstites fuissent parentes, et an ii Christiani vere fuerint, ut Christiano ritu educaverint filium. Quod si constaret parentes fuisse Christianos, vix esse aliquot annos post filii ortum, eumque educasse juxta catholicae religionis leges, nec contraria occurrerent argumenta, ex quibus manare posset prudens dubium de non suscepto baptismate, Ordinarius liberam Simoni faceret potestatem matrimonii contrahendi; si vero compertae esse non possent praemissae circumstantiae, quibus inniti debuisset moralis certitudo de suscepto baptismate, juberet eam ante matrimonium secreto baptizari sub conditione, ut in lib. 28

epist. In una Ripana 12. Decemb. 1733 cum inspectio esset de puella nuncupata Maria Salome e Germania oriunda, licet peregrinus, qui eamdem ad Ripanam civitatem duxerat, asseverasset salutis aquarum respersam esse lavacro, et spopondisset se missuram extra sex menses documentum baptismi, attamen quia hujusce modi documentum transmissum non fuerat, nec quidquam rescitum de peregrino, proposito dubio: an Maria Salome baptizari debeat, sub conditione in casu, rescripsit esse secreto baptizandam sub conditione, et amplius.

His expositis S. C. C. ad dubium, an Maria Catharina baptizari debeat sub conditione in casu, etc. d. 2. Martii 1765 respondet: „*Negative.*“ [1])

Casus XXVII.

Impedimentum ligaminis dubium.

Berta non adhuc certa de morte mariti novum contraxit matrimonium cum Cajo, illius dubii inscio, quod intelligens parochus eidem Bertae dixit, eam tali durante incertitudine non posse petere, nec reddere debitum. Quaeritur an parochus vera docuerit?

Resp. vere parochum docuisse *quoad petitionem*, non sic quoad debiti redditionem. Ratio *primae* partis est, tum quia Berta per matrimonium tali incertitudine contractum nullum jus acquisivit in corpus alterius, cum possessio mala fide incepta nullum tribuat jus, tum quia petendo in casu se exponeret fornicationis periculo, nempe periculo cognoscendi virum, qui vir suus non sit. Ratio *secundae* partis est, quia, cum Cajus non dicatur conscius incertitudinis Bertae, potuit bona fide matrimonium cum Berta contrahere, et proinde, cum vi juris in corpus Bertae acquisiti, et vi bonae fidei, in qua supponitur perseverans, possit licite a Berta petere debitum, illa debitum petenti Cajo denegare nullatenus debet. Tota haec doctrina fundatur in cap. *Dominus* de secund. nuptiis, in quo expresse habentur haec verba: „Super matrimoniis, quae quidam ex vobis

[1]) Thes. resolut. S. C. C. Causa Nullius Nonantulae tom. 29. p. 41.

contraxerunt, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, respondemus: Si aliquis, de morte primi conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Ita ex Girib. de matrim. c. 19. n. 77. aliisque communiter" [1]).

Casus XXVIII.

Multiplex Consanguinitas. Perinde valere, dispensatio in radice.

Postquam de validitate vel nullitate matrimonii Zamorae contracti inter Violantem Josepham Henriquez de Almada, et Ludovicum Franciscum Sanchez de Baena vario marte decertatum fuerat in tribunali S. C. C., in congregatione habita 14. Dec. 1748, illud nullum declaratum fuit ex defectu consensus mulieris et veri propriique parochi. Cum vero Ludovicus die 17. Maji 1749 hoc judicium retractari postulasset, juribus, quae ab eo de novo sunt proposita, perpensis, Eminentissimi Patres ad dubium, an sit standum vel recedendum a decisis in casu etc., responderunt: „Dilata, et ad mentem." Mens fuit, ut Nuncius Apostolicus Violantem collocaret in alio monasterio, in quo nullae essent utriusque patris consanguineae, ibique Nuntius Ap. per se ipsum Violantem rogaret de vera voluntate sua tam contrahendi matrimonium cum Ludovico, tum ratione revocationis mandati procurae, antequam matrimonium contraheretur; ut eam certiorem faceret matrimonium contractum fuisse mandato procurae ab ea integre scripto, non folio ullo, et tantum ab eo subscripto, cum duo ex his foliis subscriptis tantum a Violante, et adhuc albis edita fuerint in actis S. hujus Tribunalis a Ludovico, ut demum ipse nuntius Ap. testes illos audiret, qui de re omni instructi esse possent. His factis, et responsione a Nuncio Apost. desuper data, S. C. C. die 24. Januarii 1750 ad dubium, an standum sit vel recedendum a decisis in casu etc. respondit: Praevio recessu a decisis non constare de nullitate

---

[1]) Casus conscient. Bened. XIV. vol. 1. p. 230.

matrimonii. Die 6. Junii 1750, ne iterum proposita, ad dubium, an sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc. S. C. C. respondit: „In secundo loco decisis et amplius. Ut hanc definitionem firmiorem redderet, Ludovicus curavit, ut a Sanctissimo Patre confirmaretur Brevi, dato die 8. Julii 1750, et munito clausula *sublata*, (sc. priore decisione), decretoque irritanti (sc. priorem decisionem). At pervento Lisbonam nuncio de recessu s. hujus Tribunalis a primo responso, dato 14. Dec. 1748, Violantes coepit acta perquirere, ut posset probationes Ludovici refellere, atque hac occasione vidit dispensationem Apostolicam contrahendi inter ipsos matrimonium non obstante impedimento tertii et quarti gradus *simplicis* consangninitatis, datam a. s. mem. Clemente XII. a. 1739, et cum ab avunculo, patruoque certior facta fuisset, non ex uno tantum, sed ex *utroque latere*, paterno scilicet et materno, conjunctam esse Ludovico in tertio et quarto consanguinitatis gradu, consulere coepit Theologos, Jurisperitos et negotiorum gestores, an fuisset necessaria ad validitatem dispensationis expressio *duplicis* consanguinitatis, auditoque unanimi omnium responso, necessariam eam esse, curavit, ut ea, qua posset, majore cautione perquirerentur probationes *duplicis* consanguinitatis proponendae in hoc s. Tribunali ad effectum, ut ad primam sententiam rediret. Sed dum Violantes acta quaerit, Theologos Jurisconsultosque consulit, curatque, ut educantur e libris publicis probationes duplicis consanguinitatis, tempus labitur, et causa tertio proposita 6. Junii 1750. responsum, ut diximus, accepit: *in secundo loco decisis*.

Cautio Violantis Josephae in perquirendis probationibus duplicis consanguinitatis tanta esse non potuit, ut rumor ad aures consanguineorum Ludovici non perveniret, a quibus, ut narrat Violantes, ipse certior factus, adiit Summum Pontificem, narratoque defectu expressionis duplicis impedimenti, postulavit, ut, cum *Violantes ignoraret* hoc impedimentum, eundem sanaret defectum, obtinuitque litteras Apostolicas datas in forma *Perinde valere*, die 12. Sept. eodem anno 1750, quibus Summus Pontifex, non obstante *duplici* impedimento tertii et quarti gradus consanguinitatis dispensavit, ut remanere possent in matrimonio

contracto, absque eo, quod Violantes Josepha de alio impedimento hujusmodi moneatur, nec novus ejusdem Violantis Josephae consensus, etiamsi aliud impedimentum praefatum ad illius notitiam pervenire contingat, requiratur. (Sanatio matrimonii in radice).

Perventis post haec ad Urbem probationibus missis a Violante, cum obstaret clausula *sublata* et decretum *irritans* in litteris Apostolicis apposita, postulavit Violantes a Sacratissimo Principe Nostro *oris aperitionem*, quam obtinuit ea lege, ut, silentio praeteritis aliis nullitatibus matrimonii jam propositis in hoc sacro Tribunali, de una hac ageretur nullitate matrimonii contracti cum dispensatione ab impedimento *simplicis* consanguinitatis in tertio et quarto gradu, et an illud revalidatum fuerit litteris Apostolicis datis in forma *Perinde valere*. Causa itaque in hoc statu proponitur in Congregatione habita die 7. Junii 1755, et disputat Violantes, nullum atque irritum fuisse matrimonium inter eam et Ludovicum initum, obstante duplici impedimento consanguinitatis, quod sublatum non fuit dispensatione Apostolica, quae impetrata fuerat pro simplici consanguinitate, sive ex uno latere tantum; collecto siquidem Theologorum et Canonistarum agmine, probat necessariam fuisse ad validitatem matrimonii expressionem, et dispensationem ab utroque impedimento consanguinitatis in tertio et quarto gradu ex utroque latere, paterno scilicet et materno.

Pergit autem, idem nullum matrimonium revalidari, et convalescere non potuisse litteris Apostolicis datis in forma „*Perinde valere*“, die 12. Sept. a. 1750, tum, quia subreptitiae et obreptitiae sunt, cum Summo Pontifici suggestum fuerit, Violantem ignorasse illud impedimentum, quando plenam illius scientiam habuerat a mense Martio ejusdem anni 1750, et sic sex mensibus ante datas litteras, tum quia Violantes revocaverit mandatum procurae, quo matrimonium Zamorae contractum fuit, ideoque, revocato consensu, non possit recontrahi validatio, obstante defectu extremi, in quo fundetur. Causam igitur in una cognitione positam esse, an Violantes ante datas litteras Apostolicas impedimentum illud duplicis vinculi sciret vel ignoraret. *Scientiam* suam

probat Violantes *solemni sua declaratione*, qua rem omnem narrat sub jurisjurandi religione, *testificationibus* nobilium virorum patrui et avunculi, qui acta et probationes perquisiverunt, et consuluerunt Theologos et Jureconsultos, negotiorum in regno Portugalliae gestorum, qui et ipsi consulti fuerunt, celeberrimi Advocati, qui responsum seu consultationem scripsit, Theologorum tum inclytae Dominicanae Familiae, tum inclytae Societatis Jesu doctrina, probitate, et muneribus ac dignitate praestantium, qui vel consulti fuerunt hac de re a Violante, vel acta, et probationes perquisiverunt, et in Urbem transmiserunt, vel acceperunt in Urbe, Notariorum, qui acta tradiderunt, parochorum denique, qui fides baptismatum e libris exceperunt. Haec summa est libelli dati a Violante. A Ludovico nihil adhuc habuimus. Dubium unum est, quod expediri debet, an litterae Apostolicae in forma „Perinde valere", expeditae die 12. Septembr. 1750 sint servandae, ita ut sit standum in primo, vel in secundo et tertio loco decisis in casu etc. S. C. C. die 7. Junii 1755 resp.: Dilata ad primam mensis Augusti, etiam unica." Die 2. Augusti 1755 responsum fuit: „Dilata, et ad mentem, et mens est, quod coram Nuncio Apostolico examinentur testes formiter, et compulsentur jura juxta instructionem. Causa tandem reproposita die 13. Septembr. 1755 S. C. C. respondit ad dubium supra datum: „*Negative*, et standum in primo loco decisis", h. e. Litterae Apostolicae in forma: Perinde valere die 12. Septemb. 1750 non sunt servandae, et standum est in decisione data de nullitate matrimonii in casu.[1])

Casus XXIX.

Consanguinitas dubia.

Post inita sponsalia per verba de futuro inter Corradum de Martino et Annam Theresiam Frisari, domicilliarius Vigilensis, et post susceptam prolem ex illicita eorum copula, exoptantes iidem celebrare matrimonium in facie Ecclesiae, fuerunt de anno

---

[1]) Thesaur. resol. S. C. C. Causa Lisbon. tom. 14. p. 32, 71. tom. 19. p. 54. 81. 106.

1719 factae solitae publicationes; sed denunciato Curiae Episcopali, quod inter contrahentes adesset impedimentum primi et secundi gradus consanguinitatis, ex eo proveniens, quia dictus Corradus esset filius naturalis Nicolai Frisari, filii etiam naturalis Florilli Frisari, qui fuit pater Annae Theresiae sponsae, matrimonium effectuari non potuit.[1])

Ab hoc impicto impedimento recursum habuerunt ad hanc S. Congregationem, quae sub die 11. Januarii 1721, audito prius Episcopo, rejecit instantiam, prout etiam per tres vices rejecta fuit a S. C. Supr. Inquisit., ad quam preces etiam direxerunt, et tamen ex copula inter eos continuata alia proles suscepta fuit.

Exposuerunt Oratores cum supplici libello Sanctissimo porrecto, quod informationes usque adhuc super praetenso impedimento captae erant extrajudiciales et a facti veritate alienae, ideoque supplicarunt, quatenus dignaretur, confectionem processus judicialis Metropolitano committere. Precibus remissis huic Congreg. die 31. Julii 1728 rescriptum fuit: „Metropolitano pro informatione, et confectione processus servatis servandis."

Metropolitanus retulit, quod processus in Curia Vigiliens. confectus sit informis, testesque varii, et contrarii quoad aetatem, et nativitatem Corradi, quodque in eodem processu adsint duae depositiones Theresiae Vulpicillae, matris Corradi, inter se contrariae, nam in prima declarat, Corradum esse suum filium legitimum, natum in constantia matrimonii cum Leonardo Martino, legitimo conjuge, et in secunda asserit, dictum Corradum esse natum ex adulterina copula habita cum Nicolao Frisari; et quod aderat etiam in eodem processu depositio jurata ipsius Nicolai Frisari, testantis, praefatum Corradum suum filium non esse.

---

[1]) Stirps communis.
Florillus Frisari

genuisse objicitur extra matrimonium	genuit in matrimonio
1. Nicolaum,	1. Annam Theresiam.
Nicolaus genuisse objicitur 2. Corradum.	

Subjungebat idem relator, per suum Vicarium Generalem examinatos fuisse formiter decem et novem testes, omni exceptione majores, in civitate Melphiten., patria dicti Corradi, ex quorum unanimi depositione resultat. Theresiam Vulpicillam, matrem Corradi, tam ante, quam post contractum matrimonium cum Leonardo Martino, scandalose et inhoneste vixisse, habentem copulam cum pluribus et diversis personis, inter quas nominatur etiam Nicolaus Frisari; quinque autem testes deposuerunt duntaxat de auditu, praedictum Corradum esse filium istius Nicolai Frisari; et ulterius Joannes Bernardus Forgia, alter ex dictis testibus, deposuit, ipsum credere, quod Corradus natus esset a Michaele Forgia, ejus fratre. Demum recognitis libris baptizatorum, repertus fuit Corradus baptizatus, tanquam expositus, ex patre et matre incerta.

Prosequebatur relator, per dictum suum Vic. G. processum etiam fuisse ad examen primi gradus consanguinitatis, an scilicet Nicolaus Frisari, praetensus pater Corradi oratoris, fuisset filius naturalis Florilli Frisari, et quod inventa fuisset quaedam publica et solemnis declaratio facta a dicto Florillo Frisari per acta Notarii, in quo praevio juramento fatebatur, Nicolaum non esse suum filium naturalem, sed eundem tractasse ut filium adoptivum, idque confirmatum fuit ex fide baptismatis, ex qua habetur, dictum Nicolaum fuisse baptizatum, tanquam expositum, ex patre et matre incerta. Ex omnibus credebat Metropolitanus, non esse probatum assertum impedimentum primi et secundi gradus consanguinitatis, vel saltem esse valde dubium.

S. C. ad dubia proposita: 1) An constet de impedimento, et quatenus affirmative; 2) an sit locus dispensationi in casu etc. die 13. Aug. 1729 respondit: „*Negative* ad utrumque.“ [1])

Casus XXX.

Consanguinitas, affinitas.

Inita anno 1732 in pago Turrita fuerunt sponsalia inter Franciscum Gianninum, fabrum lignarium, et Lucretiam Cantel-

[1]) Thes. resol. S. C. C. Causa Vigil. tom. 4. tom. 327, 328, 332.

lam. Paulo post Virginia, ipsius Lucretiae mater, quae prius fuit uxor Bartholomaei Cantelli, agricultoris, et post ejus mortem nupsit Angelo Carozio, denunciavit apud Acta Episc. Curiae, jurejurando interposito, se filiam illam procreasse non ex Bartholomaeo, priori marito, sed ex Joanne Carozio, avunculo memorati Francisci Giannini, cumque Lucretia contraxit sponsalia, proindeque matrimonio inter eos ineundo obstare Canonicum impedimentum. Itaque num satis de hujusmodi impedimento liqueat, judicandum ab hac S. C. est, ad quam Lucretia anno superiore confugit, postulans rejici malevolam, turpemque matris objectionem.

Quae ex documentis ab Episcopo transmissis ad s. Congreg. deducantur, haec sunt: Lucretia edita in lucem a Virginia fuit die 25. Sept. 1714; Bartholomaeus vero Cantellus, cujus tunc uxor erat Virginia, occubuit tribus post mensibus, quam Lucretia orta fuerat. In parochiali libro, in quem nomina baptizatorum referuntur, Lucretia scripta fuit, uti filia Bart. Cantelli et Virginiae, ejus uxoris. Anno itidem 1725, cum confirmationis Sacramentum Lucretia susceperit, descripta fuit tanquam filia quondam Bartholomaei Cantelli, et Virginiae, ejus uxoris.

At Virginia, Lucretiae mater, rite interrogata apud acta Curiae Episc. inquit se mense Septemb. 1713 expulsam a Barth. Cantello, viro suo, fuisse, ad eumque rediisse circa postremos dies Baccanalium sequentium. Interea vero praegnantem se redditam fuisse a Joanne Carozio, qui tunc connubiali vinculo junctus erat Magd. de Benedictis, quique jam vivere desiit.

Inhonestam consuetudinem cum dicto Joanne Carozio confirmarunt quatuor testes rite itidem auditi, asserentes quoque famam ejus rei in omnem pagum fuisse vagatam. Ajunt praeterea Virginiam aliquo temporis spatio, dum ea prava consuetudine vigeret, moratam fuisse extra domum Barth. Cantelli mariti, sed peculiarem annum, quo id contigerit, ex eorum memoria excidisse. Duo quoque eorum testium addunt, Lucretiam ipsius Virginiae filiam passim consuevisse in eo loco appellari illegitimam. Accedit denique, quod anno 1718, cum Virginia post obitum Bartholomaei Cantelli matrimonium iterare voluisset


cum Angelo Carozio, consobrino memorati Joannis Carozi, prius impetravit Apostolicam dispensationem super impedimento affinitatis ex adulterio contractae.

Examini etiam subjecta fuit Anna, Virginiae mater, apud quam se recepit Lucretia, ejus neptis. Ea autem negat, Virginiam filiam absentem a Bartholomaeo marito fuisse tempore conceptionis Lucretiae, eamque proinde affirmat censendam esse filiam ejusdem Bartholomaei. Porro Lucretiam esse in possessione legitimae filiationis, sequitur ex matrimonio rite inito inter Bartholomaeum et Virginiam, ex testimonio baptismali et Confirmationis. Qua posita possessione, infert Lucretia, haud quaquam sibi officere contrariam asseverationem matris, cui fides in hoc non esset habenda, notant Canonici juris interpretes, fortius, quia anno 1725, quo Lucretiae Sacramentum confirmationis ministratum fuit, Barthol. non erat in vivis, ac proinde Virginia *ipsa* Lucretiam tanquam legitimam filiam Bartholomaei descriptam fuisse causavit. Nec est omittendum, quod Lucretia retinet omnia bona a Bartholomaeo relicta, quae, declarando Lucretiam tanquam illegitimam, sibi soli servare conatur.

Caeterum quod spectat ad turpem consuetudinem Virginiae cum Joanne Carozio, respondetur nihil impedimenti inde manare Lucretiae; nam per hoc potuit quidem Lucretia reddi affinis Joanni Carozio, haud quaquam tamen affinitas haec Lucretiae protenderetur ad consanguineos ejusdem Joannis, qui est avunculus Francisci Giannini, sponsi. Impedimentum igitur in hoc solum versari posset, quod Lucretia suscepta fuerit, non ex Bartholomaeo marito, sed ex Joanne Carozio. [1]) At ad hoc

---

[1]) Schema objecti impedimenti.



probandum non satis est doceri de consuetudine; soboles non ex adulterio, sed ex conjugio suscepta praesumitur, quamvis minime dubitetur de consuetudine mulieris etiam cum alio homine, nisi tamen ob absentiam mariti, vel aliam certam causam id fieri non potuisse, manifestis argumentis evincatur. At vero, cum Virginia ipsa, quae impedimentum opponit, fateatur, se ad maritum fuisse reversam sub finem Baccanalium, adeoque sub initium Februarii, quia a. 1714 dies Cinerum incidit in diem 14 ejus mensis, plane conficitur Virginiam vixisse cum Bartholomaeo viro septem totis et amplius mensibus, antequam Lucretia in lucem ederetur, id quod accidit 25. Sept. 1714. Prolem autem editam septimo mense post conjugum cohabitationem censeri legitimam, expresse habetur in jure, immo justo tempore natus esse videtur is, qui centesimo octogesimo secundo die, videlicet ineunte septimo mense, lucis usuram adeptus fuit.[1])

Est tamen denique perpendendum, an ea, quae proponuntur, tantum momenti saltem habeant, ut sponsi jubendi sint abstinere a tali matrimonio contrahendo. Ipsam enim impedimenti famam satis esse ad impediendum matrimonium nondum initum, et unius testes asseveratio de certa scientia sufficere, cautum est in jure.[2])

S. C. C. die 20. Martii 1734 ad dubium, an Francisco et Lucretiae permitti possit contrahere matrimonium in casu etc. respondit: „*Affirmative*," et amplius."[3])

Casus XXXI.

Consanguinitas.

Cajus et Sempronia, ambo adhuc non baptizati, matrimonium inierunt, ignorantes, se esse conjunctos in primo gradu consanguinitatis, i. e. se esse fratrem et sororem. Postea uterque conjux convertitur ad fidem ac baptizatur; non paulo post

[1]) Engl ad lib. 4. Decret. tit. 17. n. 6. Anacl. ibid. n. 19. Schmalzg. ibid. n. 41.

[2]) Sanchez lib. 1. disp. 71. — et alii.

[3]) S. C. C. resolut. tom. 6. p. 230. Causa Pientina.

detegitur impedimentum ipsorum matrimonio obstans; nunc quaeritur, num Cajus potuerit vel etiam debuerit in matrimonio ante conversionem cum sorore ignoranter contracto persistere, et eidem maritaliter cohabitare?

Resp. 1. Consanguinitas lineae obliquae probabilius nec in primo gradu dirimit matrimonii jure *naturali,* adeo ut frater et soror valide contraherent, nisi lex ecclesiastica obstaret; nunquam tamen super hoc impedimento ab Ecclesia dispensatur.

Resp. 2. Quoad casum propositum, distinguendum erit, an illi conjuges, quando tale matrimonium in infidelitate contraxerunt, in aliqua communitate vixerint, per cujus leges tale matrimonium irritatur, necne; si primum, certum est, matrimonium esse invalide contractum, ac proinde conjuges, detecto impedimento, esse separandos, quia juxta communem sententiam penes civilem magistratum supremum potestas est, impedimenta matrimonium irritantia statuere pro infidelibus (non baptizatis) subditis. Si secundum, quod fieri posset inter Indos, Cajus potest, imo debet persistere in matrimonio, quod cum sorore sua in infidelitate contraxerat, etiamsi nunc ambo ad fidem Catholicam conversi sint. Ratio est, quia semper standum est pro valore matrimonii contracti, quando non occurrit nec comparari potest certitudo moralis de ejus nullitate; sed de nullitate matrimonii in casu talis certitudo comparari non potest, nam illiusmodi certitudinem non subministrat jus naturale, cum spectato hoc jure matrimonium in casu probabilius validum sit, nec jus positivum Ecclesiae, utpote quo Cajus, ejusque soror, adhuc infideles, quando matrimonium contraxerunt, nondum obligabantur. [1])

Casus XXXII.

Affinitas.

Cum Dominicus Marzillus de terra Cantalupi, Dioecesis Bojanens. intenderet contrahere matrimonium cum Samaritana,

---

[1]) Holzmann, Jus Canonicum practicum lib. IV. tit. 14. cas. 251.

quae fuit uxor Marci Antonii, sui privigni jam defuncti.[1]) Episcopus operae pretium esse censuit, S. hanc consulere congregationem an dictum matrimonium valide et licite contrahi posset; cumque proposita fuisset haec instantia die 8. Junii 1720, nulla fuit capta resolutio, sed dictum est, quod scriberent Theologi.


Quatuor Theologi scripserunt, et eorum suffragia una cum nonnullis meis (Secretarii Lambertini) adnotationibus fuerunt impressa in folio Congregationis habitae die 3. Augusti 1720; cumque in Congregatione habita illa die haec eadem causa iterum proposita, nulla pariter fuit capta resolutio, sed rescriptum est *ad mentem*, et mens fuit, quod per litteras admoneretur Episcopus Bojanensis, ut videret, an, dum adhuc res est in fieri, cum simus in matrimonio non contracto, sed contrahendo, Dominicum et Samaritanam suasionibus a contrahendo matrimonium avertere posset.

In executionem hujus rescripti datae fuerunt litterae ad dictum Episcopum, qui respondit, se omnem operam, sed incassum navasse etc. . . . Pro adaequata hujusce causae resolutione, cum in praeterita congregatione habita 3. Aug. 1720 nonnulla ab EE. DD. fuerint accurate de more perpensa, necessarium existimavi ad calcem hujus folii ea inserere, una cum nonnullis auctoritatibus, quae in hoc non ita obvio articulo non sine labore fuerunt a me perquisitae, et inventae, quibus perlectis, et ponderatis ponderandis onus erit EE. VV. decernere, an matrimonium contrahi possit inter Dominicum, et Samaritanam in casu etc.

S. C. respondit die 8. Martii 1721: „Ad Secretarium juxta mentem, scilicet quod non impediatur matrimonium.“ [2])

---

[1]) Schema.



[2]) Thesaur. resol. S. C. C. Causa Bojanens. tom. I. 313, 338, 341. tom. II. 40.

Casus XXXIII.

Affinitatis impedimentum.

1) Titius Bertam duxit in matrimonium, eaque defuncta vellet ducere Cajam, quae fratris Bertae, jam mortui, uxor fuit.[1]) Quaeritur an licite possit illam ducere?


2) Matthaeus pater Virginiae, duxerat Cleliam et Virginia nupsit Rufo. Defunctis Matthaeo et Virginia, Rufus et Clelia, de iis vidui, cupiunt matrimonio conjungi.[2]) „Dubitat parochus, num aliquo impedimento irretiantur. Quaeritur dubii solutio?

Resp. ad primum. *Affirmative.* Ratio est, quia Titius per copulam habitam cum Berta, uxore sua, contraxit affinitatem cum omnibus consanguineis Bertae, non autem cum Bertae affinibus ex vulgata regula, quod affinitas affinitatem non pariet. Cum igitur Caja, ex qua uxor fratris Bertae, facta sit duntaxat Bertae affinis, non consanguinea, sequitur neque consanguineum esse, neque affinem Titio, proindeque nihil ex hoc capite obstare, quin idem Titius, defuncta uxore Berta, licite possit in uxorem ducere Cajam, quae fratris Bertae jam mortui uxor fuit.[3])


Resp. ad secundum, nullum obstare impedimentum; si quod enim intercederet, non aliud sane, ut facile intelligitur, esse

---

[1]) Schema.



[2]) Schema.



[3]) Casus Consc. Bened. XIV. vol. 1. p. 302.

oporteret, quam affinitatis. At nullum interest affinitatis vinculum. Propinquitas enim ista, quae matrimonium dirimat, versatur inter virum, qui copula sive licita sive illicita mulierem cognoverit, et ipsius cognitae consanguineos, atque inter mulierem cognitam et consanguineos ipsius cognoscentis. Igitur Rufus copulatus Virginiae filiae Matthaei, factus est quidem affinis cum consanguineis ipsius Virginiae, adeoque cum Matthaeo, ejus patre, sed non ideo cum Clelia, uxore Matthaei, utpote quae de alia cognatione sit. Idem de Clelia dicito, quae nubens Matthaeo facta quidem est affinis cum Virginia, Matthaei filia, sed non ideo cum Rufo, Virginiae marito. Itaque cum neutra ex parte Rufus et Clelia facti sint affines, nullum inter eos est impedimentum affinitatis.[1])

Casus XXXIV.

Publica honestas, affinitas, dispensatio.

Petrus Darrot, natione Gallus Urbis Gadicensis incola, die 25. Novemb. 1755 matrimonium contraxit cum Joanna Lenormand, quae mox carcinomate et phtisi absumpta mortem obiit 6. Maji 1756. Ut novas iniret nuptias cum Clara, defunctae uxoris sorore, Summo Pontifici supplicavit Petrus pro dispensatione super impedimento publicae honestatis, quod solum ortum affirmabat ex primo conjugio rato et non consummato. Remissis precibus ad hanc S. Congregationem, auditus fuit Episcopus, qui retulit, Petrum jurejurando fuisse testatum, quod prima initi cum Joanna conjugii nocte matrimonium nisus est consummare, sed foedi tumoris contactu in ejus pectore et vehementi illius tussi commotus recessit, absque seminis commixtione, nec amplius copulam cum illa tentavit. Sed veritus Episcopus, ne Petrus, caeteraquin fide dignus, sua opinione decipi posset, censuit non sufficere ad matrimonium contrahendum cum Clara publicam tantum honestatem dispensari, nisi dispensetur affinitas. Quare ejus preces rejectae fuerunt.

---

[1]) Casus conscient. Benedict. XIV. vol. 5. p. 230.

Interea Petrus Darrot, cui nuntiatum fuerat, optatam dispensationem facili negotio se fore obtenturum, rem habuit cum Clara, quae utero concepit, et abortum passa est. Gravi ergo et immani dolore ipse et Clara affecti sunt, cum audierunt denegatam dispensationem; et supplices steterunt apud Episcopum, ut communi honori et orituris scandalis occurreret. Episcopus datis litteris ad Summum Pontificem deprecatus est, ut paterna clementia consuleret oratorum angustiis, petitamque indulgeret dispensationem super impedimento publicae honestatis, et super affinitate *ad summum ad cautelam tantum*. Placuit Sanctissimo petitionem eandem delegare huic S. C. *pro voto* et oratores prolixo libello disserunt, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione, cum eidem liberum sit, supremumque arbitrium omne tollendi impedimentum, quo matrimonii contractus positivo Canonum jure prohibetur.

Et autumant irregularem et exorbitantem non esse gratiam dispensationis super impedimento publicae honestatis, quod inter minima numeratur . . . Probationem autem non secutae consummationis sufficientem erui contendunt ex juramento Petri, cui plene deferendum est in casu, cum agatur de solo praejudicio animae confitentis, et aliunde haberi non possint meliores probationes, praesertim cum Petri juramentum corroboratum sit opinione testium, et infirmitate mulieris, quae verisimiliorem reddunt non secutam consummationem. Et quatenus dubium aliquod superesset circa relevantiam probationum, haec ipsa dubietas, quae certitudinem impedimenti affinitatis excludit, sufficiens ipsis videtur ad faciliorem reddendam gratiam; cum non desint exempla dispensationum etiam in primo, et secundo gradu affinitatis; immo etiam consanguinitatis, et propterea facilius concedenda sit super impedimento publicae honestatis, quemadmodum indulgendum esse censuit haec S. C. in *Cavens*, 17. Nov. 1629; praesertim quia dispensatio petitur a viro pro secunda sorore dispensanda, *quod facilius committitur, quam si mulier ducere vellet alterum fratrem;* et quia graves non desunt causae ob secutam copulam, . . . ob scandala facile oritura, ob periculum animae et corporis . . .

Nec putant officere, decreta hujus S. C. quae similem dispensationem denegandam esse censuit in Leod. dispens. 10. Maji 1755. in Pinnens. 29. Maji 1756, et in altera Leodien. 22. Maji proxime praeteriti, quia in prima *Leodien.* agebatur de dispensatione petita a muliere, *ut duceret alterum sui viri fratrem, quod exorbitantius erat,* in *Pinnen.* quia deerat concludens probatio non secutae consummationis, et in altera *Leodien.* quia probationes consummati matrimonii a contradictore afferebantur..

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

„An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione, in casu etc. S. C. respondit: Attentis particularibus circumstantiis, consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione super impedimento publicae honestatis, et etiam affinitatis" die 12. Junii 1762.

Sed perspecta maxima suffragiorum scissura certamen renovari jussit Summus Pontifex, ut in gravi negotio veritas saepius examinata clarius elucesceret; causa itaque reproposita est 11. Sept. 1762, sub dubio, an sit standum vel recedendum a decisis, in casu. Secretario S. C. graviter opponente in concessam gratiam dispensationis: num 1) relatis circumstantiis non excluditur consummationis matrimonii praesumptio in casu, 2) impedimentum etiam publicae honestatis ex matrimonio rato non ea facilitate dispensatur, sicut in impedimento ex sponsalibus de futuro. 3) Licet ambigi nequeat de summi Pontificis potestate, attamen non expedire videtur, dispensationem concedere *privatis sine publica causa super impedimento primi gradus affinitatis.* Cardinalis de Lugo, a s. mem. Urbano VIII. circa dispensationem petitam a Mantuae Duce super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae, respondit, posse quidem hujus modi dispensationem concedi a Summo Pontifice, sed non expedire, ob maximam illius conjunctionis turpitudinem; neque autem multo levior est turpitudo conjunctionis in primo gradu affinitatis lineae transversalis. Primusque omnium Martinus V. anno 1418 hanc dispensationem concessit Comiti Tuxensi producenda vidua sui fratris, filia Ducis Bavariae (?) (Navarrae) et successores ejus usque ad s. mem. Clementem XI. rarissime illas concesserunt; atque in fine XVI. saeculi, ne scandalum oriretur in populo,

fuit a Clemente VIII. denegata Regi Poloniae dispensatio contrahendi matrimonium cum defunctae uxoris sorore Archiducissa Austriae, licet illam postea concesserit Paulus V. 2. Sept. 1605. Quibus tamen non obstantibus, S. C. die 25. Sept. 1762 ad dubium, an sit standum vel recedendum a decisis, in casu, respondit: „*In decisis, et amplius*“ [1]).

Casus XXXV.

Affinitas. Dispensatio.

Joannes B. Stephani, Terrae Riparum Verulanae Dioeces. anno 1723 discedens a domo fratrum, cum quibus convivebat, se contulit ad habitandum in alia sua propria domo, cujus partem locaverat cuidam mulieri Antoniae Celebrini; a. 1724 exoptans idem Joannes B. matrimonium contrahere cum Clara, filia praedictae Antoniae, instituit 1. Sept. apud parochum dictae Terrae, ut ad formam Concilii initium daret consuetis publicationibus renuente tamen parocho, sub assertiva, quod ipsi interdictum fuerat a Curia Episcopali, recussum habuit ad hanc S. C. pro opportuno remedio.

Audito Episcopo, hic retulit, Joannem B. fuisse saepe et judicaliter monitum a sua Curia de non conversando cum Antonia, dictae Clarae genitrice, quodque ulterius examinati fuerint plures testes, et efformatus processus, ex quo resultare dicitur diffamatio et publica vox de carnali copula habita ab eodem J. B. cum dicta Antonia. Relata subinde causa in Congregatione habita 4. Aug. 1725, quia agebatur de matrimonio contrahendo, pro quo impediendo sufficit sola diffamatio super aliquo impedimento, quamvis oriens ex singularibus testibus comparuit rescriptum: Non posse contrahi matrimonium a Joanne Baptista cum Clara, et quoad processum, Curia utatur jure suo.

Post haec dictus Joannes B. confugium habuit ad Sanctissimum, cui exponens falso sibi imputatum praedictum impedimentum carnalis copulae cum Anna, dispensationem obtinuit ab hac

[1]) S. C. C. Thesaur. resolut. tom. 26. p. 158, 268, 276. Causa Gadicens.

falsa imputatione seu diffamatione, quodque ea non obstante, matrimonium valide ac licite servata forma Concilii cum Clara contrahere posset: ea tamen superaddita conditione, quatenus scilicet Episcopus super hoc impicto crimine legitimam probationem non habuisset. Causa vero, ut asserit Orator, dispensationem istam exequi noluit Episcopus, sub motivo, quod in ea nulla facta fuisset mentio decreti hujus Congregationis, iterum ipse recursum habet ad hanc sacram Congreg. pro executione dictae dispensationis, attente praecipue, quod a Clara, quam contendit in uxorem accipere, duos filios jam suscepit. Fuit denuo auditus Episcopus, qui ad scandala removenda demum declaravit, quod in Domino expediret, ut dispensatio tandem concedatur. Hinc ad dubia 1) an constet de impedimento, et quatenus affirmative, 2) an dispensatio sit exequenda? S. C. die 2. April. 1829, rescripsit: „Dispensationem esse exequendam, servata forma litterarum Apostolicarum[1]."

Casus XXXVI.

Cognatio spiritualis. Sponsalia, publica honestas.

Titium, filium Caji in alia Dioecesi apud quosdam suos consanguineos commorantem, ibique Sacramentum Confirmationis suscipientem tenuit Martha, ibidem per accidens existens. Cajus, mortua sua uxore, transire volens ad secundas nuptias, sponsalia de futura contraxit cum eadem Martha, quoniam neuter meminerat de Titio in confirmatione tento. Id postea advertens Cajus, et dubitans de aliquo impedimento sponsalia contrahit cum Apollonia, sorore ipsius Marthae, ignorante priora sponsalia Caji; verum intelligens postmodum, ab aliquibus in dubium revocari, an femina possit tenere marem in Confirmatione, ex alia parte advertens oriri impedimentum justitiae publicae honestatis ex sponsalibus, haesitat *primo*, an impedimentum contraxerit cognationis spiritualis cum Martha, *secundo*, an incur-

[1]) Thesaur. resol. C. Verulana vol. 4. 277.

rerit impedimentum publicae honestatis, quoad utramque sororem ex sponsalibus cum utraque initis, adeo ut neutram amplius possit ducere.

I. Resp. ad *primum*. Cajum revera contraxisse impedimentum dirimens cognationis spiritualis cum Martha, quae ejus filium in Confirmatione tenuit. Nam etsi Pontificale Romanum de Confirmandis agens dicat, loquendo de adultis: Neque masculi feminis patrini, neque feminae masculis matrinae esse deberent? tamen, si ex ministrorum incuria aliquando contingat, ut vel masculus feminam, vel femina masculum teneat, id quidem illicite, non tamen invalide fit, h. e. id minime obstat, quin spiritualis cognatio contrahatur inter tenentem et confirmatum, confirmatique parentes. Resp. ad *secundum*, Cajum incurrisse quidem alterum impedimentum publicae honestatis cum Martha, non vero cum Apollonia sorore ejus. Ratio est, quia sponsalia inita cum Martha post jam contractum impedimentum cognationis spiritualis cum eadem fuerunt invalida, utpote inita inter personas, quae ad contrahendum suo tempore matrimonium canonico impedimento inhabiles erant. Porro Concil. Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 3. justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non fuerint, prorsus abstulit, ideoque Cajus ex sponsalibus illis initis cum Martha nullum hujusmodi impedimentum incurrit cum Apollonia sorore ejus, cum qua proinde valide contraxit posteriora sponsalia, ex quibus certe ortum est impedimentum publicae honestatis cum Martha, sorore ipsius Apolloniae. Consequenter Apolloniam ducere poterit et debebit, non vero illam [1]).

Casus XXXVII.

Cognatio spiritualis.

1) Nicolaus de Vito, a. 1705, uti procurator constitutus a Francisco Catogno, suscepit in sacro baptismati fonte Antoniam de Benedicto. Cum autem matrimonium cum ipsa modo con-

---

[1]) Casus Conscient. Benedict. XIV. vol. 3. p. 249, 250.

trahere velit, et Ordinarius eidem licentiam concedere nolit, sub obtentu impedimenti cognationis spiritualis, habitus est a Nicolao recursus ad hanc S. C. die 12. Julii 1721.

Tres sunt in hoc proposito Doctorum opiniones; prima asserit, in hac facti specie cognationem spiritualem non contrahi, neque a mandante, neque a procuratore; secunda sustinet, contrahi cognationem non a mandante, sed a procuratore propter contactum; tertia quae communior esse videtur, docet cognationem spiritualem a mandante, non a procuratore contrahi; qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur; et hanc sententiam amplexa est S. Cong. in una Nullius 15. Mart. 1631. Hinc ad dubium, an Nicolao impedimentum cognationis spiritualis obstet, quominus matrimonium contrahere valeat cum Antonia de Benedicto in casu, S. C. C. respondit die 13. Sept. 1721. „Negative[1]).

2) Celebratum est matrimonium die 3. Septembris 1752 inter Nicolaum Potok. Cap. Kanoviensem et Mariannam Dombrovsky Thesaurariam Halicensem; sed post aliquot annos, quibus conjuges simul commorati sunt, nullitatem hujus matrimonii allegavit Nicolaus die 7. Januarii 1756 in Curia Archiepiscopali Leopoliensi, sub obtentu spiritualis cognationis, quam ipsum inter et Mariannam intercedere asserebat. Testes autem bis examinati, secunda vice unanimiter deponunt, Mariannam statim egressam ab utero materno, privato baptismate ex aqua tantum regeneratam fuisse, ob periculum vitae, a quodam Religioso Basiliano, fungentibus munere compatrum Antonio Sokolniki et Anna Raieka; atque deinde suppletas fuisse ceremonias in sacello domestico sine ablutione aquae, cum assistentia Nicolai Poteki, et Justinae Dombrovsky. Ex his autem infert defensor matrimonii, nullam verificari cognationem spiritualem eam inter et Nicolaum, qui solum assistentiam praestitit, dum ceremoniae suppletae fuerunt sine ablutione aquae . . . . . . Hinc ad dubium, an constet de validitate, seu potius de nullitate ma-

[1]) Thesaur. resolut. Causa Theatina. tom. II. p. 76, 77.

trimonii, in casu S. C. respondit die 19. Sept. 1761: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam[1]).

Casus XXXVIII.

Affinitàs duplex. Dispensatio.

Parisius, dum anteactae vitae crimina in confessione parocho aperit, confitetur de copulis ante matrimonium habitis cum duabus sororibus uxoris suae, et a S. Poenitentiaria fuisse his terminis dispensatum „super impedimento primi affinitatis gradus ob copulam habitam cum sorore“. Hinc duplici angitur dubio, I. quod copulam non expresserit, nisi *semel* habitam, dum tamen pluries peccaverit. II. Quod de copula semel habita cum altera sorore ex oblivione mentionem non fecerit. Quaeritur, an Parisius debeat nihilominus de ea dispensatione esse tutus?

Respondeo ad I partem *affirmative*, quia affinitas non multiplicatur per plures copulas cum eadem persona, neque impedimentum exinde gravius efficitur, neque dispensatio difficilior. Confirmatur ex praxi et stylo Curiae Romanae. Unum tamen juverit a Parisio sciscitari, an scilicet omnes illas copulas habuerit et ante matrimonium, et ante executam dispensationem. Nam si vel unum tantum post executam dispensationem habuisset, *nova opus erit dispensatione, cum dispensatio non extendatur ad casus posteà exortos.* (Sanchez. l. 8. d. 24. n. 8. De Justis, Giribaldus) Respondeo ad II. partem vero *negative.* Quidquid enim secus docuerunt DD. aliqui, communis sententia est, quod, si duo contrahentes sint duplici ejusdem affinitatis, vel consanguinitatis titulo conjuncti, debent de utroque in petenda dispensatione mentionem facere ac propterea in casu tutus non est Parisius, qui copulam cum utraque sorore sponsae suae non expressit. Et ratio est, quia, quamvis duplex conjunctionis gradus sit eadem numero affinitas ex unitate subjecti, in quo reperitur, est tamen ex duplici capite, i. e. ex

[1]) Thesaur. resolut. S. C. C. tom. 25. p. 242. Causa Leopolien.

duabus personis, et perinde est ac si esset alia conjunctio; et certe, sicut in consanguinitate, quae ex duplici parte consurgit, duplex est ejusdem sanguinis communicatio, ita in affinitate, quae ex copulis cum duplici consanguinea contrahitur, duplex illa seminum commixtio habetur, quae duplicem pariat affinitatem. Igitur duplex erit et consanguinitatis vinculum in primo casu, et in altero duplex vinculum affinitatis. Atqui in dispensatione quae datur pro simplici vinculo, non continetur dispensatio pro duplici, ergo etc. Sed advertat tamen, eumque moneat confessarius, ut in petitione non tantum exprimat affinitatis impedimentum, quod viget, sed exponat etiam affinitatem alteram, in qua fuit dispensatus, juxta probabiliorem sententiam, et stylum, et praxim [1].

Casus XXXIX.

Crimen, Clandestinitas.

Postquam medicus Januarius de Vito Francisco et Theresia Urbano, vidua, die 26. Decemb. 1715 temere, sed incassum, cum parochus se ab eorum oculis opportune subtraxerit, matrimonium contrahere tentarunt, subsequenti die 28. dicti mensis Dominicus, dicti Januarii pater in Curia Episcopali denuntiavit impedimentum criminis ex adulterio cum promissione inita, vivente primo viro dictae Theresiae, et ejus secuta morte ex propinato veneno a Theresia. Absoluto jam processu, et publicato superdicto impedimento, die 26. Martii 1716, Theresia, praetextu gravis morbi advocato parocho, coram eo et testibus matrimonium cum dicto Januario contrahere praesumpsit; sed Curia Episcopalis 22. April, per sententiam denuntiavit, obstare impedimentum canonicum criminis ob adulteria commissa et mortem machinatam cum veneno quondam Nicolao Angelo, viro Theresiae, et matrimonium inter eos non esse contrahendum, nisi praevia dispensatione Apostolica, utroque machinante, cum

---

[1]) Casus Conscient. Benedict. XIV. vol. V. pag. 125.

expressione tamen in ea se temere contraxisse matrimonium, et incidisse in cap. 5. sess. 24. de reform. matr. Ab hujusmodi sententia Januarius et Theresia appellarunt ad A. C., sed Revmus auditor Sanctissimi causae cognitionem EE. VV. delegavit. Processus offensivi, et defensivi haec sunt praecipua capita:

Testes *duodecim* deponunt de adulterio, quod arguunt ex continua et inhonesta conversatione, et *septem* ex testibus dictis adulterium fuisse commissum addunt cum promissione matrimonii, idque de *auditu* post secutam mortem primi viri testantur; de machinata morte et propinato veneno in quadam medicea potione, ita ut nocte sequenti infirmus decesserit, testes *octo* de *auditu* deponunt; *unus* de extrajudiciali confessione sibi facta ab ipsamet Theresia, et *alter* de impedimento praestito, ne praecedenter alia vice paratum ab uxore venenum defunctus ebiberet.

Contra dicta, et personas testium Rei (accusati) plures exceptiones proponunt, et ulterius fides producunt quatuor mulierum viciniae, affirmantium, se nunquam audivisse relatam matrimonii promissionem. Duo medici, et chirurgus, qui infirmum curarunt, in formali examine deponunt non ex veneno propinato, sed ex ingenito potius infirmum decessisse, cui consoni sunt alii testes, negantes etiam assertam famam propinati veneni, quam praetendunt exortam, postquam prima vice Oratores matrimonium contrahere procurarunt, et post denuntiatum a patre Januarii impedimentum criminis, ne matrimonium sibi invisum sequeretur. Demum exhibetur fides Notarii Curiae localis testantis, nullam adesse in ejus tribunali inquisitionem contra Oratores, ex quibus aliisque etc. EE. VV. definient:

„An matrimonium contractum inter Theresiam Urbano et Januarium Vitum Franciscum sit validum, et sustineatur in casu, etc. die 15. Jan. et 29. Jan. 1718. S. C. C. respondit: „Dilata, et coadjuventur probationes, citatis Promotore fiscali, et patre praetensi sponsi.“

Die 2. Julii 1718, cum facta fuerit probationum coadjuvatio, et uterque citandus fuerit citatus, ad idem dubium S. C. resp. „Affirmative, et amplius“ [1]).

Casus XL.

Crimen.

Joannes Teixeira Sobrado a sex circiter annis negotiationis causa commorans in civitate Ulisebon. occidentali, sed natus in civitate Bracharensi, stupravit Mariam. . . . Colimbriensem, non obstante quod esset matrimonio conjunctus cum alia muliere, quae larem et domicilium habebat in Dioecesi Bracharensi; cumque, post deflorationem et copulam saepius habitam cum memorata Maria, intellexisset adulterium a sua uxore commissum fuisse cum alio viro, civitatem petiit Bracharensem, et veritate comperta, uxorem occidit, et uxoricidii accusatus, cum in defensionibus ostendisset, uxorem fuisse adulteram, juxta patrias leges impunitus evasit.

Post annum, et ultra elapsum a die prolatae sententiae, Joannes rediit in civitatem Ulisebonensem, cumque vellet matrimonium contrahere cum supradicta Maria, et ei oppositum esset criminis impedimentum, tam ab ipso, quam a Maria praestitum fuit juramentum, in quo declararunt, copulam ab ipsis habitam tempore prioris matrimonii non fuisse habitam cum promissione contrahendi subsequenter inter se matrimonium, vel cum machinatione mortis primae uxoris, cumque, hoc minime obstante, exorta sit dubitatio tum circa existentiam criminis impedientis et dirimentis matrimonium, tum circa dispensationem, quatenus opus esset necne, concedendam, delata est ad S. C. C. controversia, quae juxta morem litteras dedit ad Patriarcham, qui in reponsionibus dixit, omnia exposita in facto subsistere, subdens se ob s. Sedis reverentiam noluisse, uti nonnulli consulebant, declarare, quod nullum aderat impedimentum, concluditque quod quatenus necessaria sit dispensatio, expediret in Domino, eam concedere, cum inter Joannem et Mariam non modica detur affectio et periculum sit, ne ad vomitum redeant. . . .

---

[1]) Thesaur. resolut. S. C. C. tom. 1. p. 3, 7, 74. Causa Britania.

Loquendo de primo criminis impedimento, h. e. adulterio cum promissione matrimonium contrahendi, si Joannes et Maria ingenue admittunt adulterium, vivente adhuc prima conjuge, commissum, et interposito juramento affirmant, promissionem et fidem non intercessisse de contrahendo insimul matrimonium post mortem uxoris, non videtur, quod alia via superesse possit ad effectum demonstrandi, quod promissio non intercessit, et eo fortius, cum nulla dictae promissionis probatio afferatur. Atque post haec sermonem transferendo ad secundum criminis impedimentum, hoc est, ad machinationem in mortem conjugis cum adulterio, et animadverso, quod Sedes Apostolica non consuevit super hoc impedimento dispensare, quoties illud publicum sit, stricte inquirendum est, an supraexpressum adsit in casu impedimentum.

Communis esse videtur opinio, quod, ut inducatur impedimentum impediens et dirimens matrimonium ob uxoricidium simul cum adulterio, necesse est, quod occisio facta fuerit animo contrahendi matrimonium cum complice vel occisionis, vel adulterii; idque facit, ut, si uxoricidium ex alia causa descendat, praedictum impedimentum non adsit; cumque de hac intentione in praesenti rerum statu non constet, sed potius constet occisionem uxoris causam habuisse ab adulterio per eam commisso, concludi posse videtur, deesse impedimentum impediens et dirimens matrimonium.

Quia vero Sanchez docet lib. 7. disp. 78. n. 19. quod in foro fori, quidquid sit de foro conscientiae, quando maritus uxorem interficit, et contrahere vult matrimonium cum adultero, praesumitur, quod interfecerit animo, et intentione eam in uxorem ducendi, idemque Sanchez hanc suam limitat assertionem in eo rerum statu, in quo ex magnis conjecturis constaret de opposita intentione, . . . indago restricta videtur ad hoc unum, an praesumptio supradicta, quae non est juris, et de jure, sublata dici valeat a sententia a judice prolata, in qua Joannem suae uxoris occisionem absolvit, ex quo in defensionibus ostendit, quod adulterium fuerat ab uxore commissum, in his quippe circumstantiis homicidium videtur non referendum ad animum contrahendi novum matrimonium, sed ad ulciscendam injuriam.

His stantibus S. C. C. ad dubia 1) an adsit aliquod impedimentum impediens et dirimens matrimonium in casu etc. et quatenus affirmative; 2) quomodo sit procedendum, die 28. Sept. 1726 rescripsit: „Ordinarius procedat prout de jure, et scribatur eidem juxta instructionem.“ [1])

Casus XLI.

Crimen.

1) Petrus, liber, Bertae conjugatae matrimonium promisit post mortem viri sui; at, captus amore Franciscae, hanc duxit in uxorem. Post contractum tale matrimonium, adulterium commisit cum Berta. Obeant deinde vir Bertae, et Francisca. Quaeritur, an Petrus et Berta possint inter se matrimonium inire.

Resp. *affirmative*. Ratio, quia, ut inducatur criminis impedimentum, quod dicitur adulterium cum promissione, de quo unice dubitare potest in praesenti, debent *simul* esse promissio et adulterium. Hoc autem non verificatur in casu; nam licet fuerint promissio et adulterium, promissio tamen fuit ante adulterium retractata, quod sufficit, ne resultet criminis impedimentum, cum sic esset finis impedimenti; fuit enim retractata, si non per verba, saltem per factum, scilicet per matrimonium initum cum Francisca post promissionem Bertae factam, et ante adulterium patratum; quae retractatio satis est, quoad effectum praesentem, si a promittente fiat, utpote ab initio irrita, et a jure reprobata, licet non sufficiat retractatio per factum contrarium ab una parte tantum ad extinguenda sponsalia valide contracta, cum sponsalia, sicuti ad hoc, ut inducantur valida debeant esse mutua promissio, ita ut extinguatur, requiritur mutuus consensus. Si ergo promissio fuit ante adulterium retractata, jam non fuerunt *simul* promissio et adulterium, ideo nihil obstat ad validum matrimonium inter Petrum et Bertam. [2])

2) Petrus liber adulteravit cum Berta, uxore Caji; postea captus amore Marthae, hanc duxit in uxorem; at cum haec ei apparuerit exosa, promisit Bertae matrimonium post mortem Caji

---

[1]) Thesaur. resol. Causa Ulisebon. tom. III. p. 366, 370.

[2]) Casus Conscient. Bened. XIV. vol. 1. pag. 87.

et Marthae. Obeant Cajus et Martha. Quaeritur, an Petrus et Berta valeant matrimonium contrahere?

Resp. *negative*, quia simul sunt adulterium et promissio durante eodem matrimonio; fuit adulterium et quidem formale, ut supponitur, quod non tollitur per matrimonium cum Martha; fuit promissio matrimonii non retractata per verba, vel per factum, quae, sive praecedat, sive subsequatur adulterium, sufficit ad impedimentum inducendum; unde simul fuerunt, et quidem durante eodem matrimonio, Bertae scilicet cum Cajo, eoque obstet impedimentum criminis.[1])

3) Petrus, liber, adulterium committit cum Berta, uxore Caji; postea ipse matrimonium init cum Anna, sed non valde amans uxoris suae, promittit Bertae, cujus maritus interea obierat, se matrimonium cum ipsa contracturum esse, si Anna fuerit mortua. Quaeritur, an, mortua Anna, Petrus et Berta contrahere valeant matrimonium?

Resp. *affirmative.* Ratio est, quia adulterium et promissio non fuerunt *simul*, eodem durante matrimonio; nam tempore, quo adulterium commissum est, Petrus nondum erat matrimonio conjugatus; et, quando promissio data est, Berta non amplius erat in matrimonio; aliter, si Petrus etiam jam uxoratus fuisset tempore adulterii; quia in hoc casu adulterium et promissio insimul fuissent eodem durante matrimonio, nempe matrimonio Petri cum Anna.[2])

Casus XLII.

Affinitas. Crimen; dispensatio.

Cum die 11. Nov. 1710 ex hac vita migrasset Catharina, uxor Amici de Federico, idemque exoptasset, ad alia vota transire cum Beatrice de Luce Terrae S. Anatoliae, Dioecesis Reatinae, recursum habuit ad s. Poenitentiariam pro obtinenda dispensatione super impedimento affinitatis ex copula, ex quo

---

[1]) Casus Conscient. Bened. XIV. vol. 1. p. 88.
[2]) Casus Consc. l. c.

antecedenter rem habuerat cum matre Beatricis, obtentoque consueto Brevi, non potuit illud executioni demandari propter consuetam clausulam, *si occultum*, quae apponitur in Brevibus dicti Tribunalis, copula quippe cum matre Beatricis erat publica et notoria.

Denegata praedicto Brevi executione, amicus Summo Pontifici pro dispensatione supplicavit per organum Datariae, uti fieri debet, quando impedimentum est publicum, et Breve dispensationis obtinuit expeditum die 13. Aprilis 1711; sed nec illud potuit executioni demandari, cum tempore intermedio habita fuerat notitia aliorum duorum impedimentorum impedientium et dirimentium, adulterii videlicet ab ipso commisso cum Beatrice, tempore quo Catharina prima uxor vivebat, cum promissione eam ducendi in uxorem post hujus obitum, et etiam veneni praedictae primae uxori propinatae, ut matrimonium cum memorata Beatrice contrahere posset.

Pertaesus amicus longioris morae, matrimonium de facto contraxit cum Beatrice coram parocho et testibus, et cum ea cohabitavit et ab ea tres liberos habuit; cumque admonitus a sacerdote Gregorio della Pezza, C. P. O., qui missionem faciebat annis praeteritis in Castro S. Anatoliae, de necessaria separatione, et de infelici statu animae suae, recursum habuerit ad s. Congregationem Episcop. et Regular. ab eadem facta est remissio ad S. C. C., quae curavit, ut de objectis impedimentis judicialis fieret inquisitio; sed nihil aliud, quam simplex rumor de patrato crimine potuit probari, cui obstabant ex altera parte clariores probationes de fama contraria. Hinc S. C. C. ad dubia 1) an sit procedendum ad executionem Brevis Datariae super impedimento affinitatis ex copula illicita in casu, etc., et quatenus affirmative, 2) an consensus a contrahentibus sit renovandus coram parocho et testibus in casu etc., rescripsit die 13. Julii 1725: „Ad primum affirmative, obtenta dispensatione per Secretarium a Sanctissimo super falsa imputatione praetensorum impedimentorum, de quibus agitur. Ad secundum affirmative.“ [1])

---

[1]) Thesaur. resol. S. C. C. Causa Reatina. tom. III. p. 192.

Casus XLIII.

Clandestinitas.

Aliquot abhinc annis in Oppido Hohensulten, quod est in ditione Ducis Lotharingiae, et in Dioecesi Wormatiens, initum fuit coram Lutherano ministro matrimonium inter Andream Meen, et mulierem ejusdem oppidi incolam, ambos ejusdem haereseos veneno pollutos, cum libere ibidem degant, tam Catholici, quam haeretici. Mulier deinde, procul absente viro, sobolem ex alio homine, sed Catholico concepit; et cum eo nuptias contrahere cupiens petiit a S. C. irritum declarari primum conjugium, utpote initum contra praescriptum S. Concil. Trid.

Ordinarius tres epistolas hac de re S. C. dedit; in prima, quam scripsit ad diem 11. April. 1730 pro vero asseverat, matrimonium non fuisse contractum coram parocho, qui in eo residet loco, et Conc. Trid. ibi a Catholicis religiose servari; affirmat etiam, quod mulier eo animo erat, ut orthodoxam fidem amplecteretur, et in ea quoque educaret tam filium sexennem cum priori viro procreatum, quam prolem, quam utero gerebat.

In altera epistola, data die 27. Febr. c. a. refert, dictam mulierem jam fausto eventu, ut proposuerat, errorem ejurasse; memoratum vero Andream Meen, militem gregarium, agere in remoto Prussico ditionis oppido, quod penitus a Catholicae religionis institutis abhorret. Subjungit, se propterea non potuisse eundem Andream personali citatione monere, ut jura sua huic S. C. exponeret; sed id fuisse per edictum, affixum valvis tam Ecclesiae Cathedralis, quam Ecclesiae parochialis, ejus loci, in quo domum habet, et ubi omnes ejus propinqui morantur; quin etiam curasse, ut de his certior fieret per litteras Catholici hominis, qui ejus socer est. Caeterum (ut constat ex binis litteris ab ipso Andrea scriptis matri suae) ille, qui obfirmato animo in haeresi est, et molestissime tulit conversionem mulieris, aperte denuntiavit se liberum esse a conjugali foedere ob ejus fidem ab uxore fractam (quam, quidem ob causam penes haereticos solvitur connubiale vinculum) nec se velle deinceps illam uti suam conjugem agnoscere.

In tertia demum epistola, scripta 10. April. proximi praeteriti, Ordinarius iterum inquit, non esse sperandum, quod Andreas Meen causam agat coram h. S. C. ad propugnandam matrimonii validitatem; cum uxorem se repudiare, tum ob violatam ab ea thalami fidem, tum propter ejus reditum ad Catholicam Ecclesiam, in memoratis litteris declaraverit. — His in facto positis, videndum erit, quid juris sit. Nonnulli quidem sunt Doctores, qui existimant matrimonia, sive inter Catholicum et haereticum, sive inter Acatholicos, sine praesentia veri parochi inita in locis, ubi Decretum Concilii publicatum fuit, et quorum dominatum hodie teneant principes Acatholici, esse valida; probabilius tamen esse, quod hujusmodi matrimonia irrita sint et invalida juxta ecclesiasticam legem, a qua exemptos non reddit haereticos ipsum crimen defectionis ab Ecclesia, intrepide affirmant La Croix, Anacl. Schmalzgr., Pignatelli; Emt. Petra, cum aliis.

Multo autem certius id videtur admittendum in hypothesi regionis etiamnum subjectae principi catholico, ut in hac specie versatur casus praesens; quia locus, in quo matrimonium initum fuit, subest Duci Lotharingiae; ex qua etiam circumstantia plane sequitur, nequaquam ibidem defuisse verum parochum, coram quo matrimonium contrahi potuisset; cum tamen ex diverso, ubi nec Episcopus, nec parochus Catholicus existat, vel, iis ob metum latentibus, ignoretur, quonam loco sint, vel ad eos tutus non pateat accessus, tunc matrimonium valere etiam absque praesentia parochi, modo servetur, quantum caeteroquin potest, praescriptum Concilii, videlicet adhibitis saltem duobus aut tribus testibus, censuerit Ven. Card. Bellarm.; atque ita etiam respondit haec S. C. die 26. Sept. 1602 et 27. Mart. 1632.

At nihilominus consideratione fortasse dignum videtur, quod, etiamsi in tali loco sit parochus, hic tamen assistere non debet matrimonio, vel inter haereticos, vel inter haereticum et catholicum contracto, ut rescripsit haec S. C. die 22. Julii 1624 in haec verba: „Sive alter tantum ex conjugibus sit haereticus, sive ambo, nullatenus debere parochum haereticorum matrimoniis assistere; et in dubio Jurisd. Capell. exercitus die 6. Mart. 1694 cum propositum fuerit, an capellani Catholici assistere possint

matrimoniis Acatholicorum cum Acatholicis, et respective Catholicis etiam intra fines Italiae, S. C. respondit: *Negative.* — Si ergo, ubi etiam existat parochus rite institutus, haeretici tamen matrimonium contrahentes illum, uti parochum, non agnoscunt, sique praeterea nec etiam ipse parochus assistere debet tali matrimonio, inferri per modum objectionis posset, casum istum non videri discrepantem ab eo, in quo vel parochus omnino desit, vel ob ejus latitationem ignoretur, ubinam sit; in quibus porro terminis matrimonium sine parochi praesentia contractum valere dictum antea est, quia scilicet in iis, quae Juris humani sunt, cessare censetur obligatio servandi eam legem, quae servari vel physice, vel moraliter non possit. Ad quod tamen responderi posset, id esse intelligendum, ubi impedimentum servandi legem aliunde proveniat, quam ex *culpa* ejus, qui legis obligatione obstringitur, ne alioquin culpa ipsa commodum afferat exemptionis.

Recensendum modo restat, quid hac de re S. C. senserit. Primum, quod reperiri potuit Decretum, prodiitque, ut conjici potest, occasione casus qui evenerat in Dioecesi Antverpiensi, his verbis conceptum legitur: „Haereticos quoque, ubi Decretum dicti cap. 1 est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel magistratu loci contracta, nulla esse atque idipsum habetur in alio decreto editio 22. Junii 1624.

At in causa, Hollandiae matrim. 23. August. 1681, et in Boscoducen. matrim. 13. Febr. 1683 eadem S. C. censuit, abstinendum ab expressa resolutione, sed rescripsit: „Secretario cum Sanctissimo ad mentem.“ Ut autem explicat Eminentiss. Petra, (tom. 4. Comment. ad Const. 12. Joann. XXII. n. 23), sententia (mens) quidem sacrae Congregationis erat, matrimonia haereticorum cum Catholicis, coram ministro haeretico iis in locis contracta, esse invalida; sed tamen non expedire, hujusmodi declarationem edere, ne Catholici nimirum gravibus objicerentur periculis.

Itaque his exemplis inhaerens S. C., in Coloniens. proposita 21. Febr. a. 1728, cum mulier catholica peteret declarari nullitatem matrimonii, quod ea pridem contraxerat cum haeretico

coram ministro itidem heterodoxo, licet S. Concilii Decretum fuisset in eo loco promulgatum, ibique etiam parochus vel missionarius catholicus nón deesset, qui matrimonio assistere potuisset, opportunum censuit rescribere: „Ad mentem".

Caeterum quandoque etiam, (ubi scilicet fortasse non impendebat periculum perturbationum et inconvenientium) S. C. non abstinuit ab expressa declaratione nullitatis; nam in Causa Gedanen. quae civitas est in Prussia, contracto matrimonio inter Catholicum et haereticum, non tamen coram parocho catholico, licet ipse in eo loco non deesset, ibique S. Conc. Trident. observari soleret, die 4. Sept. 1677 rescriptum fuit: Matrimonium esse nullum. Sic quoque resolutus fuit alter similis casus matrimonii inter haereticos initi, in Colonieus. 16. Dec. 1719. In Moguntina, cum in loco hujus Dioecesis, in quo Concil. Trident. fuit publicatum, mulier Calviniana in matrimonium collocata fuisset homini Lutherano coram ministro haeretico, ipseque vir, ejurato errore, alterisque nuptiis cum muliere catholica initis angeretur timore validitatis prioris matrimonii, S. C. 31. Mart. 1721 resp.: „Dandum esse Decretum die 26. Sept. 1602, quo scilicet invalida declarantur hujusmodi matrimonia"; idemque in affinibus circumstantiis respondit in Paderbornens. 4. Aug. 1725.

Sane vero in casu, qui hodie proponitur, nullus videtur urgere timor damni in Catholicos redundaturi . . . tum demum, quia ipse Ordinar. Wormat. in suis litteris concludit, quod si S. C. censuerit, invalidum declarandum esse hoc matrimonium, decretum istud libere et sine ulla molestia, aut haereticorum contradictione poterit executioni demandari.

Ad dubium, an constet de nullitate matrimonii in casu etc. S. C. respondit die 7. Julii 1731: „*Affirmative*". [1]

Casus XLIV.

Sponsalia. Clandestinitas.

1) Detractante Quirino Chiudinovich sponsalia, quae cum puella Clara Staniceo inierat, exequi, eadem Clara, ut suo honori

---

[1]) Thesaur. resolut. S. C. C. tom. 5. p. 147. C. Wormatiens.

suaeque familiae decori, quem sub spe futuri matrimonii sibi a Quirino promissi graviter laeserat, ea meliori, qua posset, ratione consuleret, eundem Quirinum coram Episcopo in jus vocavit, absolutoque adversus Quirinum processu sententiam obtinuit, constare de sponsalibus, et consequenter Quirinum teneri ad matrimonium cum Clara contrahendum. . . .

Ad impediendam hujus sententiae executionem Quirinus excipit, se antea, 23. Nov. 1735, matrimonium cum alia puella, Catharina Lallich, coram Vicario Generali et duobus testibus contraxisse. Vicario G. tamen, quem dolose circumveniebant, increpante, protestante, sicque affectante, se non intelligere consensum declaratum, prout revera in tali reluctantia consensum non intellexit, neque etiam mutuam manuum obstrictionem ob mensulam intermediam non vidit, quantumvis aliquid dicentes, genuflectente Catharina, et ad genua prono Quirino animadverterit, dicens: Noli audire, nihilque est contractus matrimonialis, atque turpissimus, etc. Curia Episcopalis pronuntiavit, re examinata, pro validitate matrimonii inter Quirinum et Catharinam; sed Clara recursum habuit ad S. C. C., quae die 17. Nov. 1736 ad dubium, an constet de validitate matrimonii in casu, etc. respondit: „Affirmative“ [1]).

2) Moevius et Berta, volentes inter se secreto contrahere, e civitate Tridenti, cujus erant cives, domicilium transtulerunt in locum non valde remotum, ubi Concil. Trident. promulgatum non est, eo solo animo, ut absque parocho et testibus matrimonium contraherent, quod et contraxerunt; quaeritur, an valide contraxerint matrimonium.

Resp. *affirmative.* Ratio est, quia, quamvis Moevius et Berta in eum locum se transtulerint, ubi Concil. Trid. non est promulgatum praecise, ut ibi absque parocho et testibus matrimonium inter se contraherent, adhuc tamen in eundem locum, ut inquit casus, proprium domicilium transtulerunt. Quando autem vir et mulier habent in loco domicilium, vel in eundem quasidomicilium acquirunt, possunt etiam juxta leges ejusdem

---

[1]) Thesaur. resol. C. Segnens. vol. 7. p. 262, 281.

loci matrimonium valide contrahere inter se, et proinde si in eo loco promulgata non sit lex Tridentini praescribens, quod ad matrimonii valorem praesentia parochi et ducrum testium requiratur, matrimonium sine tali praesentia contractum validum dicendum est, et ita declaravit S. C. 14. Aug. 1627 [1]).

Casus XLV.

Sponsalia.

Vicarius Generalis Majoricen. sententiam protulit, in qua declaravit condemnandam fore et esse Antoniam Mariam Massanes ad contrahendum de praesenti matrimonium in facie Ecclesiae cum medico Mathia Roig, sed interposita appellatione a praedicta sententia Causa devoluta est ad hanc S. C. . . . Quidquid autem sit de sponsalibus, scribens pro Antonia contendit, non esse locum coactioni, tum quia agitur de puella annorum 18, tum quia eadem fugam arripuit a domo paterna, associante Roig, ita ut magna suspicio sit deceptionis.

Adduntur causae a sponsalibus recedendi, et signanter odium superventum inter Antoniam et Mathiam, et quod juxta leges regni, contrahentes sponsalia, seu matrimonium absque consensu parentum, ultra alias poenas corporales possunt exhaeredari, et quamvis consimilia statuta, utpote impeditiva libertatis matrimonii, sint invalida, ex eis tamen consurgit justa causa a sponsalibus recedendi.

S. C. C. ad dubia, 1) an constet de sponsalibus inter A. Massanes et M. Roig et quatenus affirmative, 2) an sit locus coactioni in casu, etc. respondit 24. April 1723. „Ad primum affirmative, ad secundum negative, sed esse monendum, et amplius.“ [2])

---

[1]) Casus Conscientiae. Bened. XIV. vol. I. p. 277.
[2]) Thesaur. resol. C. Majoric. vol. 2, 300, 302.

Casus XLVI.

Sponsalia.

Anna Carminati 18. Julii 1714 institit coram Vicario General. Neapolit., ne, se inaudita, daretur facultas Joanni B. Bruncaccio, matrimonium contrahendi cum alia femina, sub obtentu, quod secum sponsalia contraxisset per verba de futuro, introductaque coram dicto Vicario lite, idem declaravit, quod constabat de sponsalibus.

Habito a Joanne B. recursu ad hanc S. C., transmissisque actis, 3. August 1720 disputatum fuit, an constaret de sponsalibus etc. Quia vero agebatur de sponsalibus, quae ex apocha non probabantur, sed ex testibus, et ulterius quia agebatur de sponsalibus, quorum executio fieri debebat quatuor post annos, absque eo, quod tempore intermedio aliquod apparuerit indicium sponsalium praecedenter, uti supponebatur, contractorum, quodque notabilius est, cum testes de sponsalibus deponentes dicerent ea inita fuisse in civitate Neapolitana 1713 in Vig. festiv. B. M. V. Gratiarum, quando ex testibus a Joanne B. adductis habebatur, quod ipse tempore praedicto erat in civitate Centum Cellarum.

Hinc factum est, ut EE. PP. tunc abstinendo a resolutione secundi dubii, h. e. an etiam admissis sponsalibus, cogi posset Joannes B. ad matrimonium, demandarunt, quod coadjuvarentur probationes, et quod testes formiter examinarentur.

Factum fuit examen testium praedictorum, et ex eorum dictis J. Bapt. iterum contendit, non constare de sponsalibus, et quatenus constaret, se cogi non posse ad contrahendum matrimonium cum Anna, tum propter disparitatem divitiarum, tum quia erat in aetate annorum 14, quando praetenditur, quod a se fuerint sponsalia contracta; et demum, quia pater et patrui huic matrimonio adversantur, et licet patris consensus non sit pro validitate matrimonii necessarius, dissensus tamen sufficere dicitur pro dissolvendis sponsalibus; cum in casu inobedientiae magnum in re familiari pati posset praejudicium.

His stantibus, ad dubia 1) an con tet de sponsalibus, et quatenus affirmative, 2) an Joannes B. sit cogendus in casu. S. C. C. resp. die 23. Aug. 1721: „Ad primum negative; ad secundum satis provisum in primo"[1]).

Casus XLVII.

Sponsalia.

Instante Agnete Avossa, Curia Archiep. Neapol. sub obtentu praecedentium sponsalium a Dominico Celetano cum praedicta Agnete contractorum, decrevit, quod idem Dominicus intra terminum dierum duorum, sub poena Excommunicationis, contrahere deberet matrimonium cum memorata Agnete . . .

Quoad sponsalia Dominicus contendit de illis rigorose non constare, cum de essentia sponsalium sit libertas, et libertas in casu defuerit, ex quo promisit quidem in uxorem ducere Agnetem, sed instante, et armata manu comminante Andrea, Agnetis genitore, qui eam cum ipso loquentem invenit.

Transeundo ad coactionem, quatenus de sponsalibus constaret, Dominicus ait, non posse esse locum coactioni, cum adsint causae recedendi a sponsalibus, disparitas videlicet conditionis inter ipsum, et Agnetem, inhonestas ejusdem Agnetis, et inimicitia inter ipsum et Agnetem, exorta propter quaerelam stupri ab ipsa datam, et quinquennalem carcerationem, quam ex dicto casu passus est.

Remanet obligatio ad dotandum, a qua Dominicus se praetendit immunem, deficientibus stupri probationibus, et ad amputandam quancumque controversiam, cum factum jam fuerit ab ipso depositum in s. monte pietatis Neapolis summae ducatorum bis mille, ut cum eis Agnes virum reperire valeat, concludit non esse sibi ex hoc capite molestiam inferendam.

His stantibus ad dubia, 1) an constet de sponsalibus in casu, etc. et quatenus affirmative, 2) an Dominicus sit cogendus ad contrahendum per verba de praesenti cum Agnete, seu po-

---

[1]) Thesaur. resol. C. Neapolit. vol. 2. pag. 70, 71.

tius teneatur dotare etc. in casu etc. S. C. C. respondit die 17. Sept. 1722: „Ad primum affirmative“. Ad secundum affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam [1]).

Casus XLVIII.

Denuntiationes.

Titius nonnullis vix transactis horis ab ultima denuntiatione vellet matrimonium cum Berta contrahere; quaeritur, an parochus licite possit Titii votis annuere.

Resp. *negative*; quamvis enim ex Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. expresse non habeatur, quod matrimonii celebratio ad aliquod tempus, puta ad spatium duorum saltem vel trium dierum, post ultimam denuntiationem differri debeat, adhuc tamen, cum finis differendi post ultimam denuntiationem sit, ut si aliquod impedimentum detegi possit, atque opportune deferri, menti ipsiusmet Concilii et Ecclesiae valde consonum est, ut ultima peracta denuntiatione matrimonium statim non contrahatur, sed *duorum saltem, vel trium dierum spatium* pro iisdem impedimentis, si quae sint, opponendis supersit. Hac de re praxis est plurimum synodalium constitutionum firmata, ut absque Ordinarii licentia ultimae denuntiationis die matrimonium non celebretur, nisi ultimam denuntiationem fieri illa die contingat, ad quam immediate Adventus vel Quadragesimae initium subsequatur. Ita ex actis Eccles. Mediol. de Instruct. matrim. p. 4. c. 2. Giribald. de denunt. n. 10. [2]).

Casus XLIX.

Votum simplex.

Sempronius, obtenta facultate pro dispensatione a voto simplici castitatis animo ducendi in uxorem Petronillam, ante-

---

1) Thesaur. resolut S. C. C. tom. 2. p. 212, 221. C. Neapolit.

2) Casus Consc. Bened. XIV. vol. 1. pag. 195.

quam confessarius eandem facultatem exequeretur, mutato animo, vult Bertam ducere; si hunc animum factamque mutationem confessario manifestet, poteritne iste obtentam exequi facultatem?

Resp. Distinguendum est; vel enim ad obtinendam a simplici castitatis voto dispensationem Sempronius causam adduxit, quae bonum utilitatemque respiciat Bertae, puta, quod eam virginem defloraverit, quae propterea innupta remaneret, nisi ipse eandem duceret, et scandala aut rixae inter familias orirentur; vel prolata ab eo causa se tenet duntaxat ex parte ipsius Sempronii, qui dispensationem petierat, quod nempe stimulis carnis exagitatus se diutius continere vehementer dubitet, nisi ex apostolica indulgentia matrimonium contrahat. Si *primum*, nisi Sempronius eam virginem, quam defloraverat, sibi in uxorem ducat, non poterit procul dubio confessarius exequi dispensationem; quia, substantiali causa cessante, irrita prorsus et nulla redderetur ipsa dispensatio. Si *secundum* dicas, etiamsi Sempronius, quam dispensationem petiit, animum habuisset ducendae in uxorem Petronillae, et obtenta facultate animum hunc mutaverit, adhuc poterit omni dubio procul confessarius dispensationis litteras executioni mandare; si quidem in hac hypothesi nil prorsus ad dispensationem attinet ea persona, tametsi expressa fuisset in ipsa dispensatione, cum qua est contrahendum, nec illa ullatenus Summum Pontificem, ut Sempronio indulgeret, movisset, nisi forte in ipso supplici libello, expressa muliere, additum esset, secum invicem hactenus in concubinatu eosdem versatos fuisse, quo in casu ad solum matrimonium inter illos ineundum dispensatum censeretur; at nisi hoc additum esset, illa nominis ac puellae expressio esset, quid mere accidentale, et ad summum faciliorem reddere potuisset ad dispensationem concedendam Summum Pontificem, qui tamen eandem etiam sine ipso nihilominus concessisset; quam ob rem in hac suppositione poterit confessarius mandatum suum exequi, et Sempronio permittere, ut etiam Bertae nubat, modo tamen iis carnis stimulis vere divexetur, ob quos dispensationem petiit. Ita communiter Doctores[1]).

---

[1]) Casus Conscient. Bened. XIV. vol. 3. p. 120. et sep.

Casus L.

Consensus parentum.

Titius, inconsultis parentibus, vult ducere uxorem Cajam, puellam honestam, paris quidem conditionis, sed pauperem. Quaeritur, quomodo parochus debeat se gerere.

Resp. cum distinctione: vel parochus advertit parentes fore quidem verbis et animo contradicturos, non tamen malitiosum apposituros impedimentum, et eo tunc debet filio suadere, ut parentes consulat; aliter peccat assistendo, sicuti filius peccat sic contrahendo; laedit enim pietatem, ac reverentiam parentibus debitam; quod ei, consultis a filio parentibus, eorum consensum non obtinet, potest licite parochus matrimonio assistere, cum possit filius licite contrahere; quia filii satisfacta per petionem concilii reverentia a parentibus, debita in iis, quae spectant ad corporis sustentationem et prolis generationem, sunt sui juris. Vel parochus advertit, parentes esse apposituros malitiosum impedimentum, et tunc si propter paupertatem sponsae nullum sit secuturum damnum grave dedecus, aut irrationabile onus parentibus, ut in casu supponitur, potest et debet assistere ad tuendam libertatem matrimonii, non enim paupertas sponsae, si caetera non desint, est motivum sufficiens pertinaciter obsistendi matrimonio filii [1]).

Casus LI.

Peccata sponsorum.

1) Ludovicus exigit oscula a Flora, cum qua sponsalia contraxit. Id verecunda puella aegre fert; sed cum Ludovicus vehementer, cum ipsa renuit, irascatur, et dicta puella graviora pertimescat mala, assentitur: quaeritur, an sit excusanda a peccato?

Resp. Ut recte procedamus, adnota 1) ex d. Thoma, 2. 2.

[1]) Casus Conscient. Bened. XIV. vol. 1. p. 310.

quaest. 154, art. 5. oscula et tactus per se, seu secundum suam rationem non esse peccatum mortale; possunt enim haec absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriae, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam. Hinc si fiant cum libidine vel libidinis periculo, secundum quod libidinosa sunt, sunt peccata mortalia; si vero fiant ex vanitate, joco, levitate, seu petulantia veniali, erunt solum venialia, si omnis quidem absit affectus libidinosus, et omne periculum mortalis peccati tam in se, quam in alio, attenta ratione constitutionis personarum.

Notandum 2) hanc d. Thomae doctrinam obtinere non minus in *sponsis*, quam in aliis solutis. Sic Suarez, Less, et alii communiter.

His positis vides ad casum resp. Si Ludovici oscula essent juxta morem patriae et solius casti amoris ac benevolentiae causa, excusaretur assentiens Flora peccato; sed etiamsi alicubi talis consuetudo esset, sanctus ille amoris et benevolentiae finis est nec tunc quoque facile praesumendus, et minime in Ludovico, qui tam ardenter oscula exigit, ut verecundae virgini ea deneganti irascatur. Igitur in praxi oscula ista mala sunt, aut certum mali periculum; unde nequit Flora iisdem sine peccato assentiri. Quod adeo evidens est, ut ipse Lacroix, lib. 6. p. 3. n. 15, certo non rigidus moralista, relatis Sanchez, Busemb. Gobat, aliorumque opinionibus sic concludat: „Quod autem Busembaum dicit , licere oscula sponsis, si tantum intendant delectationem *sensitivam*, non videtur probabile, quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem *veneriam*, quae *simul* erit conjuncta [1]).

2) Sponso de futuro, frequenter lapso in actus inhonestos, statuit confessarius suspendere absolutionem: ait quia hic subdit, factam jam esse in Ecclesia duplicem denuntiationem pro matrimonio cum ipsa ineundo, eidem absolutionem impendit. *Quaeritur*, an recte id peragat. *Secundo*, quotuplicis peccati

[1]) Casus consc. Bened. XIV. p. 25 et seq.

sint rei parentes, cum hac libertate solam linquentes sponsam cum sponso?

Resp. ad I. cum dist. Vel talia concurrunt in sponso, ut confessarius possit efformare judicium prudens, quod ille vere doleat de praeteritis, et usque ad matrimonium remotum sit periculum relapsus; et in tali casu dico, ipsum id recte peragere. Vel in praedicto non concurrunt talia, ut confessarius prudenter possit hoc judicium efformare; et tunc dico, ipsum id recte non peragere. Ratio prioris partis per se patet; ratio posterioris est, quia non concurrentibus praedictis in sponso, hic est indispositus ad absolutionem, quae propterea ei impertiri non potest; nec refert in hoc casu, quod poenitens relinquatur in periculo novi sacrilegii; nam non est confessarius, qui ipsum posuerit in tali periculo, sed est malitia ejusdem sponsi, ac sponsus ipse, qui noluit se rite disponere, imo posuit, et prosequitur ponere obicem, ne a tali periculo retrahatur per absolutionem Sacramentalem. Deinde potest sponso suadere, ut omni modo conetur actum contritionis elicere, et sic sacrilegium evitari [1]).

---

[1]) Tridentina Synodus haec habet: „Praeterea eadem synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem . . . in eadem domo non cohabitent.“ Idem in Rituali Romano praescribitur: „Moneat parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem . . in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consumment, *nec etiam simul maneant*, nisi parentibus, vel aliis praesentibus.“ — Sanctus Carolus Borrom. in VI. provinciali Concilio haec praecipit Episcopis: „Itaque Episcopi cura sit, *poenis et censuris* quas arbitratu suo constituerit, sancire, ne sponsi priusquam etc. . . . non modo non simul habitent, sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine commerciove utantur.“ Hinc Card. Jacobus Boncompagnus in sua dioecesi Bononiensi, decrevit poenam excommunicationis sibi reservatam in sponsos carnaliter ante matrimonium peccantes, et in eorum parentes, qui rem permiserint. Cardinal. Lambertini, postea Bened. XIV. sic monet parochos: „Quamobrem, ut huic corruptelae, qua possumus, ratione prospiciamus, ad parochos iterum verba convertimus, iisque praecipimus ut quo tempore inquirant a sponsis ad eorum matrimonium in Ecclesia denunciandum, eosdem et eorum parentes moneant, ne matrimonium contrahere longius protrahant; item eosdem moneant, *ne unquam sponsi sine testibus, ac praesertim con-*

Resp. ad II., multiplicis peccati reos esse parentes, qui naturali ac divina lege posthabita, neglectoque praecepto de habenda sollicita cura filiorum, cum ea libertate solam relinquunt filiam sponsam cum sponso; peccant contra justitiam, qui tenentur ex officio impedire, cum possunt, malum spirituale filiorum; contra caritatem, si enim caritas ad hoc urget erga proximum quemcunque, de fortiori urget parentes erga filios; *contra pietatem*, quia ex vinculo naturalis conjunctionis lex nos astringit, ut omne malum, quod possumus, a consanguineis avertere conemur; contra fidelitatem, filii namque sunt pignora a Deo parentum custodiae commissa[1]).

Casus LII.

Causa dispensationis.

Joseph del Guanto, et Rosa Benini recursum habuerunt ad s. mem. Clementem XI., eique exposuerunt, quod cupiebant invicem matrimonialiter copulari, sed quod Rosa dotem non habebat competentem, cum qua juxta sui status conditionem invenire posset virum sibi non consanguineum, vel affinem, supplicando pro dispensatione; erant enim tertio et quarto a communi stipite gradibus invicem conjuncti, cumque Sanctitas Sua litteras Apostolicas dispensationis in tertio et quarto gradu direxerit Vicario Generali Episcop. Praten. cum solita clausula, quod de expositis deberet se diligenter informare, et quod in hypothesi, in qua preces invenisset inniti veritate, auctoritate Apostolica dispensaret; dispensatio fuit executioni mandata, et subinde contractum matrimonium inter Oratores coram parocho et testibus, nec defuit consummatio, cum Rosa praegnans effecta sit.

Contracto et consummato, ut dictum est, matrimonio inter

---

sanguineis colloquium simul ineant, si illud aliquando permittendum videatur; indecorum esse, simul habitare, graviterque puniendos, si hac de re certiores facti fuerimus." . . .

Instr. Eccles. Benedict. XIV. p. XLVI.

1) Casus Conscient. Bened. XIV. vol. 2. p. 189.

virum et uxorem jurgia exorta sunt; cumque uxor a domo viri aufugisset, supplicumque libellum huic S. Congreg. exhibuisset instando pro declaratione nullitatis matrimonii, non solum tanquam initi per vim et metum sibi a genitoribus illatam, sed etiam tanquam contracti in vim dispensationis ex falsa causa obtentae, et executioni mandatae, ex quo tantum abest, ut ipsa congruam dotem non haberet, ut dotem potius haberet excessivam; juxta morem scriptum fuit Episcopo pro informatione et voto.

Supervenit Episcopi informatio, in quo refertur, primo, non adfuisse ullum metum vel coactionem pro contrahendo matrimonio; secundo, Vicarium Pratensem executioni mandasse dispensationem, postquam sumpserat secretas informationes, binas quae receperat attestationes tum de patris impotentia ad congrue dotandam filiam, tum de deficientia occasionis nubendi, excepto Josepho, qui eam duxit in uxorem; tertio, ex apocho matrimoniali desumi, dotem Rosae fuisse in scut. 315, sed revera non fuisse nisi in scut. 200; quarto, ex testibus haberi, puellas statu et conditione aequales Rosae, matrimonio copulari cum dote scut. 130 (?), concludendo, sibi videri validam fuisse, et juri consonam executionem litterarum Apostolicarum.

In facto quidem, quia in supplicatione porrecta Summo Pontifici relatum est, Rosam non habere dotem competentem, et attentis rerum circumstantiis, *quidquid asseruerint testes*, si Rosa fuit nupta cum dote scut. 200, incompetentia dotis verificata videtur.

In jure deinde, quia incompetentia dotis non videtur, quod fuerit causa finalis dispensationis, sed causa impulsiva, et defectus causae impulsivae non viliat dispensationem, matrimonium in casu validum esse videtur.

His stantibus, ad dubium, an constet de validitate matrimonii, in casu etc., S. C. C. respondit die 4. Julii 1722: „Non constare de nullitate matrimonii, et amplius"[1]).

---

[1]) Thesaur. resol. C. Pratensis. tom. II. p. 198, 199. Haec decisio data esse videtur ex hac ratione, ne, si resolutio Causae adeo exemplaris

Casus LIII.

Dispensatio impetrata ab una parte, altera inscia.

Cogitans Tiberius de matrimonio contrahendo cum Metilde consanguinea, antequam ejus mentem exploret, ipsa inscia, obtinet dispensationem. Quaeritur, an, si annuat ejus votis Metildes, haec dispensatio prosit utrique.

Resp. agitare quaestionem hanc Sanchez lib. 8 disp. 26 et F. Dianum part. 8 t. 3 res. 87 atque distinguere inter impedimentum, quod afficit utrumque contrahentem, cujusmodi est affinitas aut consanguinitas (aut crimen?) et impedimentum, quod afficit unum tantum, vel utrumque, sed sub ratione diversa, cujusmodi est votum ab uno tantum emissum, vel ab utroque. Posita autem hac distinctione, existimant in impedimento utrumque necessario afficiente, ut est consanguinitas, quae unum solum afficere nequit, satis esse dispensationem ab uno tantum obtineri, atque acceptari, ut prosit alteri etiam ignoranti. Dispensatio enim extenditur ad *necessario connexa.* Dispensatio autem unius ad contrahendum cum femina est annexa dispensationi feminae ad contrahendum cum eo; et eo ipso, quod alter ex his suam dispensationem acceptat, fit habilis ad contrahendum cum altero, quod fieri nequit nisi uterque habilis sit. Idipsum evincit regula, quae communiter traditur, quando matrimonium fuit irritum, ob impedimentum ignoratum, posse nimirum conjugem impedimenti conscium, impetrata illius occulta dispensatione, nec alteri illa explicata, nec impedimento, simulanter petere ejusdem consensum.

Diversa autem est ratio, cum impedimentum afficit unum tantum vel utrumque sub diversa ratione. Nam dispensatio tendit directe in eum, qui afficitur impedimento, et cum utriusque impedimentum procedat ex diverso principio, dispensatio impetrata uni per necessariam consequentiam non intelligitur

---

dissolutionem matrimonii importaret, viam aperiret ad plures et alias plures matrimoniorum dissolutiones, vel saltem lites super dissolutione.

impetrata alteri; ergo si unus afficiatur voto castitatis, et alter non affectus tali impetret dispensationem, licet ejus mandato non indigeat, ut dispensatio valida sit, haec tamen dispensatio illi non proderit, nisi post ejus notitiam atque acceptationem. Cum itaque in casu nostro sit sermo de impedimento utrumque afficiente, nempe de consanguinitate, licet dispensatio inscia Metilde fuerit impetrata, dubium esse non poterit, quin ipsa Tiberii votis annuente prosit utrique, praesertim si ipsi manifestata fuerit, et ab ipsa acceptata, quod tamen, ut vidimus, neque esset necessarium ad ejus valorem.[1])

Casus LIV.

Dispensatio in radice.

Guillelmus Jaroslaus Graisfelsens de Pilsumburgh Baro, seu Dominus loci Tman sanct. mem. Clementi Papae XI. supplicavit pro Apostolica dispensatione, quae dicitur *in radice matrimonii,* ad effectum legitimandi tres filios tunc superstites, Joannem, Carolum et Rudolphum, quos genuit ex quadam Ludmilla honesta puella, cum qua ante annos 40 dicebat se matrimonium contraxisse non tamen coram parocho, ex quo tunc in loco Tman nullus aderat parochus, et Missae sacrificium celebrabatur a sacerdotibus extraneis fortuito ad dictum locum advenientibus, sed coram quodam sacerdote, absque tamen fraude et intercedente bona fide, cum sibi suppositum fuisset, matrimonium validum esse futurum, quia ad se tanquam loci Dominum pertinebat jus parochum praesentandi, et ne sibi objici posset, vel causam deesse pro hac insigni gratia obtinenda, vel non concurrere ea, quae ad dictum effectum sunt necessaria, leges attulit Regni Bohemiae, juxta quas, recedendo a jure Canonico, legitimati per subsequens matrimonium arceantur a possessione, et haereditate bonorum in dicto Regno suorum, ita ut, si dispensationem non obtineret in radice matrimonii, sua bona absque dubio, exclusis propriis filiis, essent ad extraneos de-

[1]) Casus Conscient. Bened. XIV. vol. 4. p. 150, 151.

ferenda, iidemque filii, licet inter nobiles et legitimos usque tunc habiti, jurgiis et inimicitiis remansuri essent obnoxii, si iidem deprehenderentur illegitimi, et multo magis, cum alter eorum matrimonium contraxisset cum femina nobili genere procreata, a qua etiam liberos habuerat, idemque tandem Guillelmus conclusit, non esse dubitandum de necessariis requisitis pro dicta dispensatione obtinenda, cum requisita consistant in magna et urgenti causa, qualem ait esse eam, quae modo exposita est, item in eo, quod proles suscepta fuerit non ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative matrimoniali, qualem inquit fuisse illam, quam habuit cum Ludmilla, cum qua matrimonium modo praedicto contraxit, et demum in eo, quod matrimonium, ex quo proles legitimanda orta est, non fuerit nullum ob impedimentum juris divini, vel naturalis, sed tantum propter impedimentum legis ecclesiasticae, quale est impedimentum descendens ex defectu parochi, et juxta communem sententiam dispensatio haec in radice matrimonii legitimatos per indirectum efficit capaces successionum, etiam in terris nullatenus in temporalibus Romanae Sedi subjectis; in dispensatione quippe mox memorata abrogatur lex ecclesiastica, quae impedimentum induxit, et eadem retrotrahitur ad initium matrimonii, cum Papa valeat legem Ecclesiasticam irritare et revocare non tantum quoad imposterum secuturos effectus, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea secutos.

Preces hae Guillelmi fuerunt a Summo Pontifice ad hanc S. Congreg. remissae; cumque juxta morem datis pro informatione litteris ad Archiepisc. Pragensem hic respondisset, nullum de facto matrimonium fuisse a Guillelmo coram sacerdote contractum, cum nec nomen ejus patefaciat, nec testes, qui matrimonio interfuerunt, et Ludmillam semper habitam fuisse pro concubina, ita ut factae fuerint monitiones pro ea dimittenda, aut in uxorem ducenda, non destiterunt defensores Guillelmi praedictam informationem impugnare, utpote suo principali inaudito exaratam, afferentes testes deponentes de parochi deficientia in loco Tman tempore contracti matrimonii, solemnia producendo juramenta tum Guillelmi, quam Ludmillae de re, uti

exponebatur, secuta, deducendo attestationes de publica voce, et fama circa creditam ab omnibus filiorum legitimitatem; sed instantia proposita in S. C. habita 13. Julii 1720 nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod probationes coadjuvarentur, juxta instructionem.

Ad tramites hujus rescripti instructio fuit composita, et patri consignata, cumque juxta eam examinandi essent formiter testes deponentes, quod filii semper habiti fuerint pro legitimis et alter ex eis matrimonium contraxerit cum nobili muliere, et quod per testes formiter examinandos vel per alia legitima documenta coadjuvarentur probationes de matrimonio contracto coram sacerdote et quod demum Guillelmus et Ludmilla se tanquam veros conjuges tractaverint, et ut tales habiti fuerint, factum fuit tertium examen, exhibita fuit epistola judicis delegati, exhibitum etiam est repetitum juramentum Guillelmi jam decrepiti, et morti proximi, sed proposito in s. Congreg. 16. Jan. 1723 dubio, an sit Sanctissimo consilium praestandum pro concessione dispensationis in radice matrimonii in casu, etc. responsum fuit: „*Negative*".

Occasione secundae propositionis hujus instantiae fuit ab altero ex EE. PP. insinuatum non parum esse petitioni profuturum, si notitia haberi posset de genere vitae Guillelmi et Ludmillae, de frequentia Sacramentorum, cum imperceptibile videatur, quod iidem christiane vixerint, et Sacramenta frequentaverint, et inter eos non praecesserit matrimonium putative validum, concessaque nova audientia, cum novae probationes advenerint de laudabili vita Guillelmi et Ludmillae, de Sacramentorum frequentia, de communi fama conjugii inter eosdem initi, quodque notabilius est, cum Guillelmus, qui hanc interim vitam cum morte commutavit, nedum in testamento filios scripserit haeredes, et eos asseruerit legitime procreatos, ex quo ante 40 annos cum Ludmilla matrimonium contraxit coram sacerdote in ecclesia loci Tman, aeternam sibi imprecando damnationem, si aliter res se habeat, sed ulterius post peractam confessionem Sacramentalem et paucis ante obitum horis coram parocho et aliis probatis testibus astantibus, et

matrimonium bona fide cum Ludmilla coram sacerdote contractum, et tempus initi matrimonii, ante videlicet annos 40 solemniter repetierit, uti parochus, aliique testes deponunt, quod si aliter esset, sua anima salutem consequi non deberet; — instantia reproponitur; dispensatio etenim in radice matrimonii conceditur etiam post mortem alterius ex conjugibus, uti late probat Barbos. vot. 27 n. 15 l. 2 et firmavit Rota decis. 455 n. 11 part. 1 recent.

His stantibus, S. C. C. ad dubium, an sit standum vel recedendum a decisis 16. Januarii 1723 in casu etc. respondit 18. Sept. 1723: „Praevio recessu a decisis, consulendum Sanctissimo pro dispensatione in radice matrimonii.“ [1])

Casus LV.

Dispensatio.

Contractum fuit matrimonium inter Joannem Sapicam et Constantiam Radziviliam, praevia Pontificia dispensatione super *quarto* gradu consanguinitatis, licet inter se essent conjuncti tertio et quarto.

Bis actum fuit de hac causa Lucaeorien. in hac S. C., die videl. 7. Sept. 1720, et d. 28. Febr. 1722, et licet in utraque propositione Causae tam scribentes pro Joanne, quam pro Constantia nullitatem admitterent matrimonii, et punctum reducerent ad poenas, quibus Joannes praetendebatur esse subjectus, ex quo matrimonium contraxit, scientem conjunctionem cum Constantia in tertio et quarto gradu; Sacra nihilominus Congregatio ex officio procedens, voluit, ut de validitate vel invaliditate matrimonii stricte videretur; et quia totalis pro nullitate constituebatur in stylo Datariae, hinc est, quod prima vice respondit, quod Datariae Regesta perquirerentur, et secunda vice instantibus Officialibus Datariae pro dilatione, quod causa proponeretur hac die 28 Martii. —

---

[1]) Thesaur. resolut. Caus. Pragens. — tom. I. p. 326. tom. II. p. 257, 355, 369.

Egregii Datariae Officiales pervolutis Regestis a tempore S. Pii V. usque ad praesens, discursum unacum summario justificativo exararunt, et simul et semel comprobare conati sunt, nulla semper et invalida habita fuisse matrimonia contracta inter conjunctos tertio et quarto gradu, praevia dispensatione super quarto, et non obtentis litteris declaratoriis super tertio, juxta praescripta in Bulla 13 S. Pii V. tom. 2. Quia vero, sicuti ad egregios Datariae Officiales pertinet Datariae opiniones et jura tueri, sic ad meam exiguitatem spectat hujus S. Congregationis, cujus sum a secretis, sententias propugnare; hinc est, quod inventa in Regestis punctuali resolutione super validitate matrimonii in hisce terminis contracti, operae pretium esse censui, ad calcem folii praesentis et alias etiam praestiti edere discursum, ut visis hinc inde videndis, tutum ab EE. VV. judicium proferri valeat, et simul, et semel sequentibus dubiis responderi,

I. An constet de nullitate matrimonii, et quatenus affirmative.

II. An princeps Joannes Sapica factus sit inhabilis ad contrahendum matrimonium cum aliis mulieribus in casu etc.

Ad primum negative, et Episcopus mandet, quod conjuges continuent in separatione, donec obtinuerint litteras declaratorias. Ad secundum provisum in primo et amplius[1]).

Casus LVI.

Munus confessarii impedimentum aliquod detegentis.

Florinda, cum in generali confessione delicta juventutis suae confessario exponeret, de una vel altera fornicatione se accusat. Interrogata de statu complicis, relatione ad se, respondit, complicem fuisse fratrem praesentis viri sui. Quaeritur, quomodo confessarius, audita hac responsione, debeat se gerere cum Florinda.

Resp. Prudentia non minus, quam sana doctrina confessario

---

[1]) Thesaur. resol. S. C. C. Causa Lucaeor. tom. II. p. 142.

utendum est, atque in primis explorare debet, an copula habita completa fuerit, et apta generationi; nam si secus fuerit, sicuti ex incompleta copula nulla est affinitas, sic nulla esse debet de ejus matrimonii nullitate suspicio, ut notum est. Posito autem verae fornicationis crimine confessarius Florindae conscientiam circa sui matrimonii valorem caute exploret, an scilicet sit in bona fide, vel mala, aut etiam dubia.

Si mulier in mala fide esse reperiatur, ut nempe sui matrimonii nullitatem perspectam habeat, reprehendenda est de turpi concubinatu, ac monenda, ut secretam dispensationem a. s. Poenitentiaria studeat impetrare, ad quam quidem obtinendam non modo parochus, sed etiam quivis confessarius, saltem ex caritate, debet, ubi opus fuerit, operam suam impendere; denique urgenda est, ut interim ab omnibus conjugii actibus abstineat; utpote, qui non conjugales, sed incestuosi sunt.

Si detegatur in dubia fide, tenetur Confessarius poenitentem de rei veritate docere. Nam ex una parte, conscientia dubia non est idonea regula morum; et ex alia confessarius non secus ac judicis, doctoris personam sustinet, et poenitens ad ipsam tamquam ad Doctorem et Vicarium Dei accedit, ut instruatur; atque ideo poenitentibus, qui scientia indigent, tenetur veritatem aperire; nec ulla de causa potest ab ea aperienda excusari, cum directe contra sui ministerii legem peccaret; an vero, si ad omnia se docilem exhibeat poenitens sive malae sive dubiae fidei, statim absolvi possit, affirmat *Moren.* cum aliis; verum cum Florinda in proxima versetur occasione, confessarius prudens prae oculis habebit, quae a sanioribus Theologis de hac re traduntur.

Difficultas et nodus esse videtur, si mulier in bona fide reperiatur; debetne confessarius matrimonii nullitatem detegere? Et quidem, si nullum grave damnum aut scandalum timeatur, nullus negat debere confessarium suo munere fungi, et veritatem docere. At si prudenter timeantur scandala, incontinentiae periculum, odia, rixae, quid dicendum?

Reponimus, confessarium non debere poenitentem in eo casu de matrimonii sui nullitate admonere; quia, quidquid in

casu ignorantiae de alia materia auctores dicunt, hunc casum ignorantiae etiam illi excipiunt, qui aliter negant, ignorantiam poenitentis posse admitti. Ratio est, quia mulier omnino in bona fide supponitur, ejus modi enim impedimenta juris humani facile possunt omnino ignorari; et aliunde pericula incontinentiae, dissidiorum et hujusmodi non ex parte sui, quo in casu aliis sibi remediis consulere posset, sed ex parte alterius conjugis oriri supponuntur. Unde ipsa per se ad veritatem suscipiendam, ad universam Dei legem servandam, atque ideo, si opus sit nihilque aliud obstet, ad Sacramentalem expediendam absolutionem disposita esse cognoscitur. Itaque confessarius prudenter dissimulabit, et interim a S. Poenitentiaria dispensationem impetrare et exequi studebit, juxta instruct. Bened. XIV. Inst. Eccl. 20. v. IV. [1])

Casus LVII.

Benedictio nuptialis.

Caja nupsit Sejo, et Seja Titio; neutrum tamen ex his matrimoniis, vel ex incuria, vel ob aliam causam, fuit benedictum. Nunc, mortuis Sejo et Seja, nubunt simul Titius et Caja, instantque ut tale matrimonium solemniter benedicatur. Quaeritur, an licite hoc fieri possit? Resp. *affirmative*, cum Navarro, Ugolino et aliis communiter. Ratio est, quia benedictio proprie non respicit nuptias, sed personas, quae nubunt; cum ergo Caja et Titius non fuerint antea benedicti, possunt benedici, licet alias nupserint; nec appositum evincitur ex Cap. *Vir, de secund. Nupt.* ubi dicitur: Vir autem vel mulier ad bigamiam transiens, non debet a presbytero benedici; nam textus ille procedit secundum ea, quae regulariter eveniant; unde cum regulariter primae nuptiae juxta praescriptum Ecclesiae benedicantur, supponit, quod primae jam fuerint benedictae; quod in casu nostro non verificatur. Et sane quod in hac supposi-

---

[1]) Casus conscient. vol. 5. pag. 143.

tione talis textus procedat, colligitur ex ratione ibi adducta, quia, inquit, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet. Quamobrem, cum Titius aut Caja non fuerint antea benedicti, dicendum, quod eorum secundum matrimonium licite possit benedici[1]).

Casus LVIII.

Votum.

Canariens. Anno 1653. Servus Dei Petrus de Betancur, de cujus Beatificationis causa intraducenda agitur in S. R. C., in civitate Guatimalae, auctoritate intercedente, quandam Religiosam Congregationem instituit, quae Bethlehemitarum dicta est, pro exercendis erga proximos in hospitalibus praecipue degentes, ferventioris christianae caritatis actibus. Factae etiam fuerunt hujus Congregationis Constitutiones, quae die 26. Martii 1687 fuerunt approbatae a Venerabili Dei Servo Innocentio XI. per suas litteras Apostolicas in forma Brevis.

Congregatio haec Religiosa, quae tractu temporis excrevit, et plures domos in variis civitatibus acquisivit, vulgo habita fuit pro vera Religione, et consequenter pro veris Religiosis habiti sunt illi, qui ei nomen dederunt; sed cum in Brevi supra memorato Congregatio Bethlemitica nomen habeat Confraternitatis hominum piorum, nec unquam in eodem Brevi sermo fiat vel de Congregatione in Religionem erigenda, vel de Votis expressis et perpetuis a Confratribus emittendis, quaestio excitata fuit, an praedicta Congregatio esset necne vera Religio.

Ad tollendam de medio hanc controversiam, annis praeteritis accessit ad Urbem Frater Michael a Jesu Maria, sufficienti instructus mandato procurae, ut a Sede Apostolica obtineret declarationem, quod Congregatio esset vera Religio, vel ad minus obtineret, ut Congregatio in veram Religionem erigeretur.

Pro hoc negotio discutiendo, fuit deputata Congregatio par-

---

1) Casus Cons. Bened. XIV. vol. 2. p. 77.

ticularis cl. mem. Cardinalium S. Clementis, Gabrielli et Eminent. Paraciani, a qua, perpensis perpendendis, sequens prodiit Decretum. S. C Em. et R. R. D. D. Cardinalium . . . . per Sanctissimum Dominum Nostrum specialiter deputata, visis et perpensis supra scriptis precibus, censuit, si Sanctitati Suae placuerit, posse per litteras Apostolicas in forma Brevis praedictam Congregationem Bethlemiticam in *Indiis Occidentalibus* erigi in veram Religionem, cum votis solemnibus emittendis ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota emiserunt in eadem Congregatione; ita tamen, ut emittentes nova Vota prius certiorentur de inefficacia praecedentium Votorum ad constituendos vere Religiosos. Romae 8. Octobr. 1709; et cohaerenter ad haec fuit anno 1710 expeditum Breve a Smo. Dno. Nostro.

Habita hujusce rei notitia a Mathia Gonzalez . . . Insulae Tanerifae Canariens., qui in Congregatione Bethlemitica professionem emiserat, habitum ipse dimisit, et indutus veste saeculari ubique incedere incepit, videntibus et non reclamantibus Fratribus Bethlemiticis; cumque coram Episcopo Insularum S. Jacobi, Cubae, Jamaicae et Floridae die 4. Octobr. 1714 comparuisset, et declarari petiisset, se esse personam liberam, nullo matrimonii vel Religionis vinculo innodatam, et petitam declarationem obtinuisset, ab Jndiis ad Jnsulas Canarienses rediit, et exhibita praedicta declaratione coram Ordinario, licentiam ab eodem die 18. Junii 1715 reportavit contrahendi matrimonium, quod et subsequenter contraxit cum Maria Emanuela Peniche.

Post contractum matrimonium, Mathias Sanctissimo supplicavit pro declaratione validitatis ejusdem, ejusque instantia inniti posse videtur sequenti fundamento, quod vota ab eo praecedenter emissa, sunt vota simplicia, non solemnia, solumque votum solemne in Religione approbata impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum; exceptis Votis simplicibus, quae post biennium Novitiatus in Societate Jesu emittuntur, (ex constit. Gregorii XIII. edita anno 1582, et ex alia ejusd. Pontif. edita anno 1584) ita ut dubitari tantum valeat in foro conscientiae, an Orator citra dispensationem possit exi-

gere debitum ab uxore, licet reddere teneatur, juxta doctrinam d. Thomae in 4. sent. dist. 38. quaest. 1. art. 2. . . Cum autem Mathiae Gonzalez preces fuerint a Sanctitate Sua ad hanc S. C. remissae, dignabuntur E. E. V. V. decernere, an matrimonium, de quo agitur, sit validum in casu, etc. Respons. fuit die 9. Aprilis. 1718. „*Matrimonium esse validum, sed illicitum*[1])"

---

[1]) Thes. resolut. S. C. C. tom. I. 35, 36, 41.

Appendix II.

Formularium.

I. Formulae expetendi dispensationes.

1) Litterae supplices pro petenda dispensatione in secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis.

Reverendissime ac Clementissime D. D. Episcope!

Exponitur humiliter Reverendissimo ac Clementissimo D. D. Episcopo pro parte devotorum Oratorum Andreae N. et Christinae N. de parochia (missione) . . . . hujus Dioecesis . . . ., quod ipsi alias scientes, se secundo consanguinitatis gradu a communi stipiti aequaliter proveniente invicem esse conjunctos [1]), vigore annexi schematis, non quidem sub spe facilius obtinendi gratiam, sed solum fragilitate carnis devicti esse carnaliter cognoverint. Cum autem, nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier diffamata, et innupta remaneret, gravia exinde scandala possent veri similiter exoriri [2]), cupiunt matrimonialiter invicem copulari. Sed quia obstante praedicto impedimento desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque speciali gratia dispensationis; idcirco humiliter supplicant Oratores, quatenus Clementia Vestra secum, ut publice, (servata forma Concilii Tridentini,) matrimonium invicem contrahere, ac in eo postmodum remanere libere et licite valeant, dispensare pro-

---

[1]) Vel secundo affinitatis gradu ex copula matrimoniali proveniente se attinere.

[2]) Addita insuper ex parte humillime signati, quod, nisi dispensatio concedatur timendum foret, ne Oratores in fide pervertantur et ab ea deficiant, cum in loco Acatholius mixto degant. — (Periculum haeresis.)

lemque susceptam (si adsit); ac (vel) suscipiendas legitimas decernere dignetur; pro qua gratia gratias maximas aget, ea, qua par est, reverentia ac devotione

Reverendissimae Clementiae Vestrae


submississimus

Milwauchiae, die 30. Dec. 1859.

N. N. parochus, seu sacerdos missionarius.

A tergo folii, seu infra textum libelli ponatur schema consanguinitatis[1]).

Stipes communis




Quando vero copula praehabita fuit sine notitia impedimenti, sic proponitur supplicatio:

Reverdissime etc.

Exponitur humiliter Reverendissimo ac Clementissimo D. D. Episcopo pro parte devotorum Oratorum Andreae N. et Christinae N. . . ., quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter se existere, quominus possint matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverint; ex tunc vero ad eorum notitiam pervenerit, se secundo consanguinitatis gradu

---

[1]) Schema affinitatis in secundo gradu.



esse conjunctos, prout liquet ex annexo schemate; cum autem, nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta mulier . . . . ut supra.

Si vero praecessisset copula cum spe facilius obtinendi dispensationem, ita supplicandum esset:

Exponitur humiliter etc. . . . . quod ipsi alias scientes se secundo gradu consanguinitatis gradu aequali esse conjunctos, sub spe facilius obtinendi dispensationem sese carnaliter cognoverint, etc. ut supra.

Si una tantum pars, v. g. Orator sub tali spe peccasset, sic exprimi potest:

Exponitur . . . . quod ipsi alias scientes, se . . . . esse conjunctos, praefatus Orator sub spe facilius obtinendi dispensationem Oratricem, similem spem non habentem, carnaliter cognoverit; cum autem etc. ut supra.

2) Alia formula, copula inter oratores non intercedente [1].

Reverendissime ac Clementissime D. D. Episcope.

Exponitur humiliter Reverendissimo ac Clementissimo D. D. Episcopo pro parte devotorum Oratorum N. N. et N. N. de parochia Dioecesis hujus . . . . quod cum oratrix vigesimum quartum aetatis suae annum excedens virum paris conditionis, cui nubere possit, usque adhuc non invenerit [2]), *vel*, quod cum dicta oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum ibi non consanguineum (vel affinem) paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat [3]); *vel* quod, cum dicta oratrix vidua et quinque filiis ex alio viro procreatis gravata existat, et dictus orator illam in uxorem ducere, dictosque ejus filios alere et gubernare intendat [4]), cupiant . . . *vel*, quod, cum Oratores prae-

---

[1]) Fert stylus Curiarum, ut, quando impedimentum ex copula provenit impedimentum ante causam, seu motivum, in reliquis vero motivum ante impedimentum referantur. — Instruct. past. Eyst. p. 320.

[2]) Aetas feminae superadulta.

[3]) Angustia loci.

[4]) Si oratrix liberis sit gravata.

dicti noverint se fidei orthodoxae cultores, ac Deo dante, sub obedientia sanctae Romanae Ecclesiae vivere et mori intendunt, et in illis partibus non satis tutum sit, cum quibusvis personis matrimonium contrahere, ipsique Oratores pares religione existant[1]), . . . *vel*, quod cum inter dictos Oratores, sive eorum parentes graves lites (vel inimicitiae) ortae jam sint et de praesenti jam vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi provenientes, et ante illius tractatum exortae, certumque sit, quod, si Oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiae, seu lites omnino componerentur, pro illis igitur componendis ac pro bono pacis[2]) cupiunt oratores praefati matrimonio conjungi. Quia vero secundo et tertio consanguinitatis gradibus lineae transversae inter se conjuncti sunt, ut ex adjecto schemate liquet, desiderium suum adimplere non possunt, sine speciali dispensationis gratia. Quare Reverendissimo ac Clementissimo D. D. Episcopo humiliter supplicant, ut, legis ecclesiasticae venia eis clementissime data, matrimonium servata forma Concilii Tridentini in facie Ecclesiae inire, et postmodum in eo libere et licite vivere valeant[3]). Pro qua gratia gratias maximas aget ea, quae par est, reverentia et devotione

Reverendissimae Clementiae Vestrae

Milwauchiae die 20. Julii 1859. submississimus

N. N.

3) **Alia formula, scilicet quando dispensatio petitur ex causa infamiae mulieris ex singulari familiaritate orta, absque praevia copula.**

Reverendissime etc. ut supra.

Exponitur . . . . quod ipsi scientes, se secundo affinitatis

---

[1]) Periculum seductionis.

[2]) Bonum pacis, inimicitia gravis.

[3]) Addito insuper ex parte humillime signati, quod nisi dispensatio concedatur, valde timendum foret, ne oratores in fide pervertantur, et ab ea deficiant, cum in loco acatholicis mixto degant. — (Periculum haeresis seu perversionis).

gradu se invicem attinere lineae transversae, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret Clementiam Vestram ad gratiam ergo ipsos faciliorem reddendi, insimul conversati, seque (v. g) deosculati sunt; carnali tamen copula inter eos minime subsecuta; et nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod ipsi Oratores se carnaliter cognoverint. Cum autem praemissa publica existant, et nisi matrimonium inter eos contrahatur dicta Oratrix graviter diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt etc. ut in formula prima.

4) Formula petendi dispensationem ex causa matrimonii bona fide jam contracti.

Reverendissime ut supra.

Exponitur . . . . quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de praesenti publice factis proclamationibus in eorum parochiali ecclesia, juxta formam Conc. Trid, nulloque detecto, neque denuntiato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, et carnali copula consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitia, eos tertio et quarto a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, propter quod a carnali copula hujusmodi abstinuerunt, (sive et nihilominus in eadem carnali copula perstiterunt.) Cum autem, Reverendissime Domine, Oratores praedicti in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque dispensatione, et, si separatio inter eos fieret, gravia exinde scandala possent oriri, supplicant, ut legis ecclesiasticae venia eis clementissime data, etc. ut supra, formula 2da.

5) Formula petendi dispensationem ex causa matrimonii jam contracti, mala tamen fide.

Reverendissime ac Clementissime D. D. Episcope!

Exponitur humiliter Revmo et Clementissimo D. D. Epis-

copo, nomine Oratorum Joannis N. et Mariae N. de parochia N. N. hujus Dioecesis N., quod ipsi alias scientes se secundo consanguinitatis gradu a communi stipite aequaliter proveniente invicem esse conjunctos, dispensationem a Reverendissima Clementia Vestra ad valide inter se matrimonium contrahendum, dicto impedimento non obstante, postulaverunt, sed, repulsam passi, tunc obcaecati vesana libidine ac circumventi diabolica fraude coram magistratu civili matrimonium incestuosum contraxerunt, ac consummaverunt, ex quo jam tres interdum filii ab ipsis suscepti sunt. Nunc vero, ex superabundante Dei misericordia, de periculo salutis aeternae valde timentes, magno sunt commoti dolore ob anteactam vitam, cum autem, si separatio inter eos fieret, gravia exinde scandala orirentur; nec non magnum damnum emergeret liberis suis, in matrimonio vero remanere non possint absque dispensatione, supplicant, quatenus Clementia Vestra cum ipsis, ut servata forma Conc. Tridentini omissis tamen publicis denuntiationibus, matrimonium invicem, consensu renovato, contrahere, ac in eo remanere libere et licite valeant, dispensare dignetur, addito insuper ex parte infrasignati hoc motivo, quod, nisi dispensatio concedatur, valde timendum foret, ne oratores in fide omnino pervertantur, et ab ea deficiant, una cum filiis susceptis, cum inter Acatholicos et infideles degant. Pro qua gratia etc.

Clementiae Vestrae submississimus etc.

6) Formula pro dispensatione obtinenda in impedimento criminis occulto.

Reverendissime et Clementissime D. D. Episcope!

Titius et Caja vivente adhuc prima Titii conjuge carnaliter sese cognoverunt et sibi fidem invicem dederunt, de matrimonio inter se contrahendo, si uxor Titii praemoreretur; qua modo mortua, neutro tamen Oratorum in ejus mortem machinante, matrimonium inter se contrahere desiderant; cum autem impedimentum criminis ex adulterio et promissione proveniens sit occultum, et nisi matrimonium inter eos contrahatur, periculum immineat scandalorum aut perseverantiae in peccato, ideo ad

haec evitanda et pro conscientiae suae quiete supplicant humillime, ut Clementia Vestra gratiam dispensationis sibi clementissime impertiri dignetur. Pro qua gratia etc. ut supra.

7) Supplicationis formula super restitutione juris petendi debitum propter votum simplex castitatis emissum ante matrimonium.

Titius emisit votum simplex castitatis perpetuae; exinde vero uxorem duxit ad praesens viventem et successive matrimonium consummavit. Cum autem de suae promissionis transgressione plurimum doleat, et ob periculum incontinentiae debitum conjugale licite exigere posse desideret, ideo pro quiete suae conscientiae Reverendissimae Clementiae Vestrae humillime supplicat pro opportuno remedio dispensationis. Pro qua gratia, etc. ut supra.

8) Litterae supplices pro petenda dispensatione in voto perpetuae castitatis.

Reverendissime et Clementissime D. D. Episcope!

Caja, virgo laica, emisit votum castitatis. Verum quum modo adsit (timendum sit) periculum incontinentiae, nisi nubat, Reverendissimae Clementiae Vestrae per me humillime supplicat, ut opportunum dispensationis remedium sibi concedere dignetur. Pro qua benignitate etc. ut supra.

9) Supplicatio super amisso jure petendi debitum propter occultum incestum, cum affine commissum.

Sempronius, vesana libidine victus, sororem suae uxoris carnaliter cognovit, ac propterea amisit jus petendi debitum conjugale. Cum autem de libidinis excessu, qui occultus est, plurimum doleat, ac debitum conjugale ob incontinentiae periculum licite exigere posse desideret, cumque omnem recidendi occasionem abstulerit, ideo humiliter petit, ut gratia dispensationis sibi desuper impertiatur. Pro qua gratia etc.

10) Formula supplicationis pro obtinenda dispensatione super occulto impedimento affinitatis in primo gradu, et quidem cum sanatione matrimonii in radice.

Reverendissime ac Clementissime D. D. Episcope!

Sempronia, Dioecesis N. N. ignara impedimenti, in facie Ecclesiae et praemissis denuntiationibus, bona fide contraxit matrimonium cum viro, a cujus fratre (vel filio) prius carnaliter fuerat cognita. Quare cum absque scandalo separari non possint, et periculum incontinentiae aut gravis diffamationis subsit, marito putativo impedimenti plane inscio, ac proinde, consensus matrimonialis nequeat renovari absque gravi dissidiorum periculo, hinc supplicat humiliter pro celeri remedio dispensationis super hujusmodi impedimento penitus occulto, ac quidem, ut dicunt, in radice matrimonii, ut, absque consensus renovatione, matrimonium sanari valeat. Pro qua gratia gratias etc. ut supra.

11) Formula supplicationis ad Datariam.

Sanctissime Pater!

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae, Georgium N. et Annam N. Dioecesanos N. N. et parochianos meos in secundo gradu lineae transversae aequalis esse conjunctos, ut ex apposito schemate colligitur. Cum autem ambo, scientes sese praedicto consanguinitatis gradu esse conjunctos, non quidem sub spe facilius impetrandi gratiam, adeo familiariter conversati sunt, ut ex eo orta sit suspicio licet falsa, quod se carnaliter cognoverint (*vel*, conversati sint, ut copula carnalis reipsa intercesserit, sponsaque impraegnata existat), et cum, nisi matrimonium inter eos contrahatur, illa graviter diffamata atque innupta maneret, aliaque gravia scandala verisimiliter orirentur; cupiunt oratores praedicti invicem matrimonialiter conjungi. Quoniam vero desiderium eorum absque Sedis Apostolicae dispensatione adimpleri non potest, humillime per me supplicant, ut Sanctitas Vestra iisdem, qui vere pauperes sunt et miserabiles, et de suo labore manuum et industria tantum vivunt, gratiam dispensationis in impedimento praedicto clementissime largiri dignetur. Pro

qua gratia gratias maximas aget ea, qua par est reverentia et devotione Sanctitati Vestrae

Datum N. N. a. 18 . . submississimus
N. N.
parochus N. . .

12) Ad Poenitentiariam.

Eminentissime ac Reverendissime D. D. S. R. E. Cardinalis!

Exponitur humillime Eminentiae Vestrae pro parte oratorum Titii et Cajae laicorum, quod matrimonium contrahere intendant, sed quod Titius conjugatus Cajam, vivente adhuc propria uxore Sempronia, carnaliter cognoverit copula perfecta, sibique invicem fidem dederint de matrimonio inter se contrahendo, si Sempronia uxor Titii praemoreretur, quae etiam per venenum per Titium propinatum praemortua est. Cum autem ex praemissis impedimentum criminis sit exortum, et exinde matrimonium nec licite, nec valide contrahere possint, supplicant oratores pro gratia dispensationis super isto impedimento criminis, quo non obstante publice servata forma Concil. Trident. matrimonium inter se contrahere, et in eo postmodum licite et libere remanere valeant, prolemque legitimam decernendo, quia impedimentum *omnino* occultum est, et urget perseverantia in peccato, quin etiam scandalum grave, si matrimonio legitimo copulari nequeant. Quare pro quiete conscientiae suae, de praemissis summe dolentes, Eminentiae Vestrae humiliter supplicant, ut super his de opportuno remedio auctoritate apostolica providere dignetur. Quam gratiam studebit suis ad Deum precibus pro possibili demereri

Eminentiae Vestrae

Dignetur autem Eminentia Vestra responsum dirigere Monachium, ad me infra scriptum. submississimus
N. N.

Exterius postquam signavit epistolam, inscriptionem sic formet: Eminentissimo et Reverendissimo D. D. S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario, Romae.

NB. Si ipse Confessarius nolit scribere Romam pro dispensatione, istud caritatis obsequium petat a Vicario Generali,

aut ab Episcopo. Si autem hos fugiat ex aliqua causa, nec ad Poenitentiariam Majorem immediate scribere velit, poterit scribere ad unum ex procuratoribus Generalibus Ordinum.

II. Formulae pro aliis litteris matrimonialibus.

1) Forma petendi proclamationes, quando eæ faciendae sunt in aliis parochiis præter locum, ubi matrimonium celebratur.

Inita coram me sponsalia inter honestum juvenem Bernardum N., filium legitimum Jacobi N. et Magdalenae N., parochianum meum, et honestam Apolloniam N., filiam legitimam Andreae N. et Helenae N., parochianam tuam, tibi, Reverende Frater, hisce significo, ut pro tua parte consuetas promulgationes facias. De quibus peractis ac de impedimento, si quod fortasse lateat, aut detectum fuerit, me in tempore certiorem facias esto rogatus.

N. N.

2) Litteræ testimoniales junctæ cum dimissoralibus.

Sponsalia inter honestum juvenem (vel Viduum) Joannem N., sutorem et pudicam virginem Annam N., parochianam meam inita tribus distinctis vicibus in ecclesia hujate parochiali rite denuntiata fuisse, nullumque impedimentum canonicum innotuisse; praeterea, sponsum illum (sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae jam refectum) ad connubium in parochia sponsae aut alibi pro arbitratu contrahendum a me hisce dimissum esse, consueto sigillo parochiali apposito meaeque ipsius manus subscriptione testor.

Eystadii die 6. Nov. 1859. N. N.

3) Litteræ testimoniales de facta copulatione.

Conradum N. et Paulam N. in parochia mea habitantes, praemissis denuntiationibus praescriptis, publice in facie Ecclesiae a me parocho in . . . . . matrimonialiter copulatos esse, hisce litteris testimonialibus attestor, sigillo parochiali obsignatis.

N. N.

4) Litterae testimoniales de juncto legitime matrimonio.

Ego infra scriptus Rector Ecclesiae parochialis loci N. Dioecis N. fidem facio ac testor N. et N. parochianos meos anno millesimo octingentesimo . . . . mensis . . . . die . . . matrimonium in facie Ecclesiae, servatisque servandis contraxisse, ut constat ex registro matrimoniorum ejusdem Ecclesiae parochialis.

Dabam hac . . . . die . . . N. N.

III. Formulae dispensationis ab Episcopo concessae.

1) Forma dispensationis super denuntiationibus matrimonii.

N. N.

Dei Miseratione et Apostolicae Sedis Gratia

Episcopus N.

dilecto Nobis in Christo N. N. salutem in Domino!

Justis de causis animum Nostrum moventibus, his Nostris litteris facultatem tibi concedimus, ut, cum nullum ex informationibus oretenus sumptis inter N. N. et N. N. legitimum detectum fuerit matrimonii impedimentum, eos in matrimonium conjungere valeas, remissis tribus denuntiationibus, praesentibus tamen tribus, vel saltem duobus testibus, servatisque servandis reliquis juxta formam a Concil. Trident. praescriptam.

In quorum fidem praesentes litteras manu Nostra signatas, sigilloque Nostro munitas, et per Secretarium Nostrum subscriptas exarari jussimus.

Datum . . . . . . N. N.

L. S. De mandato

Revmi et Illustr. D. Episcopi

N. N. Secretarius.

2) Formula dispensationis auctoritate Apostolicæ concedendæ super matrimonio jam contracto ob aliquod impedimentum. (Ex *Barbosa*.)

N. N.
Dei et Apostolicae Sedis Gratia
Episcopus N. N.
dilectis Nobis in Christo N. et N. salutem in Domino!

Oblatae nobis nuper pro parte vestra petitionis series continebat, alias vos in (secundo gradu consanguinitatis) conjunctos invicem matrimonium conjunxisse, in eodemque sic contracto matrimonio legitime vivere cupere, quia, si matrimonium inter vos non sequeretur, gravia exinde scandala et alia incommoda in animarum vestrarum periculum possent verisimiliter exoriri, tuque N. N. (nomen feminae) perpetuo diffamata et forsan innupta remaneres. Verum cum hoc desiderium vestrum adimplere non possitis absque Sedis Apostolicae dispensatione, propterea nobis humiliter supplicari fecistis, ut vobis in praemissis de absolutionis beneficio, ac dispensationis gratia, auctoritate Apostolica Nobis in hac parte concessa, prout ex litteris S. D. N. D. Urbani, divina providentia Papae VIII., ad Nos hac de re scriptis opportune providere dignaremur. Nos igitur saluti animarum vestrarum consulere volentes praemissis ex causis animum Nostrum moventibus auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, vos a quibusvis censuris et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, quibus quomodolibet ob incestus reatum, et excessibus hujusmodi innodati forsan existitis, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolvimus, et liberamus, injuncta vobis salutari poenitentia ... qua peracta, ut impedimento secundi gradus consanguinitatis ex communi stipite non obstante, matrimonium inter vos publice, videlicet coram proprio parocho et duobus vel tribus testibus in Ecclesia, omissis tamen denuntiationibus, quas hac vice ex gratia speciali remittimus, contrahere, et in eo postmodum remanere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate Apostolica harum litterarum serie dispensamus.

In quorum fidem praesentes literas manu nostra signatas et per infra scriptum Secretarium Nostrum subscriptas, sigilloque Nostro munitas fieri jussimus.

Datum N. N. 17 . . N. N.

De mandato etc.
ut supra etc.

3) Alia formula similis dispensationis. *(Reiffenstuel.)*

N. N.
Dei et Apostolicae Sedis Gratia
Episcopus Dioecesis N.

Universis et singulis praesentes visuris, lecturis et audituris notum facimus, quod N. et N. humillime Nobis supplicaverint, ut cum eis in tertio consanguinitatis gradu simplici, quo conjuncti existunt, ob notum defectum dotis ipsius sponsae in ordine ad contrahendum matrimonium dispensare clementissime dignaremur. Nos igitur, qui a Sanctissimo Domino Nostro Papa Clemente XII. speciali facultate delegata desuper anno . . . die . . mensis . . . . ad quinquennium Nobis concessa muniti existimus, tenoris, ut sequitur — (verba ipsa litterarum Apostolicarum dentur), vi delegatae Nobis potestatis Apostolicae allegatae cum memoratis N. et N., ex causa Nobis satis cognita et probata, in Domino dispensamus, et dispensatum declaramus, servatis in reliquo servandis de jure. In quorum fidem etc. . . . ut supra.

4) Alia formula dispensationis.

N. N.
Miseratione Divina et Sedis Apostolicae Gratia
Episcopus N. N.
Dilecto Nobis filio N. N. parocho N.
Salutem in Domino!

Oblatae Nobis nuper petitionis series pro parte N. N. et N. N., in missione degentium tibi in curam tradita, continebat, quod illi memorati, alias in secundo gradu consanguinitatis simplici ex communi stipite conjuncti invicem matrimonium inter

se contrahere cupiunt, quia, si matrimonium non sequeretur, gravia scandala ex suspecta inter se conversatione et alia incommoda in animae periculum possent verisimiliter exoriri, feminaque dicta perpetuo diffamata et forsan innupta maneret. Cum autem hoc desiderium adimplere non possint absque Sedis Apostolicae dispensatione, Nos praemissis ex causis animum Nostrum moventibus vi delegatae Nobis potestatis Apostolicae a Sanctissimo Domino Nostro Papa Pio IX. die . . . . anno . . . . per praesentes de dicto impedimento in Domino dispensamus, dispensatumque declaramus, ut memorati sponsi, confessione Sacramentali peracta et rite dispositi, validum matrimonium contrahere valeant, observatis observandis, injuncta tamen ex Nostra parte in salutarem poenitentiam obligatione, tertiam partem Rosarii B. M. V. singulis hebdomadis recitandi, et saepius quotannis S. Sacramenta poenitentiae et SS. Eucharistiae devote suscipiendi, quamdiu vivent in hoc matrimonio. Insuper te monemus, ut hae litterae inter acta parochialia praeserventur, atque dispensatio concessa in libro matrimoniorum annotetur.

In quorum fidem praesentes litteras exarari Nostroque sigillo muniri jussimus.

Datum N. die . . mensis . . . . A. D. 1859.

N. N. Episcopus.
N. N. Secretarius.

5) Formula dispensationis in foro interno.

Notandum est 1) dispensatio pro foro interno mittitur ad latorem petitionis, sub ejus nomine et cognomine, ut curet ejus executionem. 2) Facultas dispensandi non latori precum, sed confessario approbato ab oratoribus eligendo committitur, ad quod tamen munus etiam lator petitionis potest ab oratoribus designari. Hinc inscriptio tali dispensationi facienda est fere hujusmodi.

Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario, per Oratores eligendo, ad intra scripta specialiter deputato. 3) Ille confessarius, quem eligunt oratores, accipit et aperit dispensationem, cujus forma sic datur:

N. N.

Dei et Sedis Apostolicae Gratia Episcopus N.

Committitur confessario ex approbatis ab Ordinario per Titium (*vel* per Sempronium et Cajam) specialiter deligendo potestas dispensandi circa impedimentum affinitatis (criminis etc.) cum marito suo contractae ob praecedentem copulam, cum fratre ipsius habitam; in foro tamen conscientiae tantum, ac dummodo impedimentum sit occultum, injungatur tamen poenitentia gravis et salutaris. — In quorum fidem etc. ut supra.

6) Alia formula juxta stylum S. Pœnitentiariæ.

N. N.

Dei et Sedis Apostolicae Gratia Episcopus N.

discreto vero confessario ex approbatis ab Ordinario per Oratores eligendo.

Ex parte N. (vel N. et N.) nobis oblata petitio continebat, quod ipse (vel ipsi) alias matrimonium cum muliere, cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiae contraxit, et successive consummavit. Cum autem orator ob impedimentum ex praemissis proveniens in dicto matrimonio remanere nequeat absque Apostolicae Sedis dispensatione, ad vitanda scandala, quae, si divortium fieret inter eos, verisimiliter oriri possent, ac pro conscientiae quiete cupit a praemissis, quae sunt occulta, et de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Nos itaque, qui a Sanctissimo D. N. P. Pio IX. speciali facultate desuper Nobis concessa muniti existimus, vi hujusce delegatae potestatis Apostolicae discretioni tuae committimus, quatenus, si est ita, dictum Oratorem audita prius ejus sacramentali Confessione ac sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis censuris, et poenis ecclesiasticis, incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi poenitentia, ac confessione Sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimum, semel, aut quoties tibi videbitur, et aliis, quae de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum prae-

fatum sit occultum, et separatio oratorum fieri non possit absque scandalo, cum eodem misericorditer dispenses,[1]) ut, certiorata muliere de nullitate prioris consensus sed ita caute, ut delictum viri non detegatur, uterque inter se secrete, praemissis non obstantibus, contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, prolem insimul susceptam et suscipiendam legitimam declarando in foro conscientiae; nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, sed praesentibus laceratis, sub poena censurae. In quorum fidem, ut supra.

7) Formula[2]) dispensationis Episcopalis vigore specialis facultatis, et quasi privilegii factae, pro foro externo super impedimento consanguinitatis in tertio et quarto gradu.

Nos N. N.
Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus N. etc.
Josepho N. parocho in N. salutem in Domino!

Oblatae Nobis nuper ex parte devotorum Oratorum Casimiri N. Laici et Annae N., Dioecesis Nostrae N., parochiae N., petitionis series continebat; quod, cum dicta oratrix dotem habens minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator cum dicta minus competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat, cupiunt Oratores praefati invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio et quarto a communi stipite provenientibus gradibus invicem conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque dispensatione. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eisdem in praemissis de opportunae dispensationis remedio de benignitate nostra providere dignare-

---

[1]) Quando dispensatur in radice matrimonii, sic fere exprimendum erit: „misericorditer dispenses, et sanes matrimonium in radice, ita, ut, renovato consensu ab Oratore, quin tamen mulier de nullitate prioris consensus certioretur, in matrimonio postmodum remanere licite valeant, prolem insimul declarando legitimum in foro conscientiae, etc. . . .“

[2]) Juxta Reiffenst. append. §. 10. n. 507.

mur. Nos igitur, qui specialem a SS. Domino nostro Pio Papa IX. die . . . mensis Junii Anno . . . Nobis ad quadriennium generaliter concessam, et die . . . mensis . . . anno . . . denuo renovatam habemus tenoris sequentis „dispensandi in tertio et quarto simplici, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis, in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam", capta de expositis diligendi informatione, et reperta precum veritate, ac imposita illis salutari poenitentia (v. g. Rosarii singulis hebdomadis per annum recitandi) nec non recepto ab eis juramento,[1]) quod data opera ad dispensationem facilius obtinendam crimen incestus non commiserint, eosdem Casimirum et Annam, et eorum quemlibet auctoritate Apostolica Nobis delegata a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis,[2]) si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum duntaxat praesentium consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, cum eodem Casimiro et Anna (dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, aut si rapta fuerit, in raptoris potestate non amplius existat,) quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Concil. Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, praefata Auctoritate Apostolica harum litterarum serie dispensamus;[3]) distantiam vero tertii gradus praedicti eis non obstare declaramus prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legi-

---

[1]) Si dispensatio fit ob praecedentem copulam.

[2]) Debet et potest etiam Episcopus in sua dispensatione praemittere absolutionem praedictam; *debet*, quia Oratores non essent capaces gratiae dispensationis casu, quo excommunicatione irretiti existerent; *potest;* quia quando Papa concedit finem, concedere etiam censetur media ad finem. — Reiffenst. append. §. 10. n. 505.

[3]) Si ob praecedentem copulam, vel ob matrimonium jam contractum dispensatur, additur etiam legitimatio prolis illis verbis. — Reiffenst. l. c. n. 507.

timam nuntiando. In quorum fidem etc. Datum N. die mensis . . . Anno . . .[1])

---

[1]) Si Episcopus facultatem dispensandi parocho alicui pro casu particulari et valet et vult subdelegare, eodem stylo uti potest, omissis illis capta de expositis diligenti informatione etc. usque ad absolutionem a censuris, quae in serie litterarum Episcopalium non praetermittitur; absolutione autem data sic continuatur: „ac certam de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae, de qua in his specialem in Domino fiduciam habemus, hisce Auctoritate Apostolica mandamus, quatenus de posita per te omni spe cujuscunque muneris aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere monemus, te de praemissis diligenter informes; et si per informationem eandem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eadem Casimiro et Anna (dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, aut si rapta fuerit, in potestate raptoris non amplius existat), quod impedimento quarti et tertii consanguinitatis gradus hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Trident. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, Auctoritate Apostolica, quam Nobis in hoc generaliter delegatam habemus, tibi specialiter communicamus, dispenses. In quorum fidem etc. Datum die .. mensis ... Anno ...

Reiffenstuel append. §. 10. n. 505. Quas commissionis litteras debet subdelegatus mutatis mutandis exequi et in executione clausulas, et alia observanda observare, sicut Apostolicas dispensationis litteras exequitur Papae Delegatus. v. g. Vicarius Generalis.

Addenda

ex Rituali Baltimorensi, nuperrime denuo edito nec non a Rmo et Illmo D. Archiep. Baltimor. 2. Junii 1860 approbato, pag. 188

de

Matrimoniis Mixtis.

1) Ineundis istiusmodi (mixtis) nuptiis, Ecclesia ea generatim omittenda indixit, per quae Catholicorum matrimonia decorantur, inclusis etiam proclamationibus. Quod autem, ex occasione decreti tertii Concilii Provincialis Baltimorensis VI. a S. Congregatione de Propaganda Fide rescriptum fuisse legitur, nempe ut fiant proclamationes *etiam quando agitur de matrimoniis mixtis*, id in epistolam, amanuensis incuria, mendose irrepsisse declaravit ejusdem S. Congregationis Secretarius.

2) SSmus, in Audientia habita die 20. Decemb. 1837, audita relatione dubii, utrum scilicet in praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae matrimonium cum parte Catholica a Sede Apostolica dispensata inire cupienti, conferri debeat iterum baptisma sub conditione, dixit:

Detur decretum latum die 17. Septembr. 1830, ut sequitur: (Quaesitum erat) an Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Cui instantiae responsum fuit: 1) Quoad haereticos quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. 2) Quoad alios qui juxta eorum ritualia valide baptizant, validum censendum esse baptisma. Quodsi dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. 3) Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium. Hisque omnibus SSmus superaddi mandavit: in tertio casu praefati decreti respiciente nullitatem certam baptismi in parte haeretica, reccurratur in casibus particularibus.

Index
Rerum praecipuarum.

A.

Acceptatio, in Sponsalibus pag. 45. §. 15. quaest. 3. et 4. pag. 47.

Acceptio personarum in dispensationibus p. 204. §. 52. II. not. 1.

Adoptio, p. 148. §. 39. I. II. an ex adoptione juxta leges modernas cognatio legalis oriatur. not. 1.

Adulterium, causa divortii p. 249. §. 65. I. p. 251. III. et quidem perpetui p. 252. IV. quomodo probari debeat. quaest. 1. p. 253. Jus partis innocentis, quaest. 2. 3. p. 253. Si adulterium obvenerit ex utraque parte, quaest. 4. p. 254. Vide *Crimen*.

Aetas, pro Sponsalibus p. 45. §. 15. pro Matrimonio p. 105. §. 31. I.

Affinitas, p. 150. §. 40. Etymologia. I. not. 3. Ex quo jure, ibidem. — Origo h. impedimenti: Gradus variis temporibus p. 151. II. inquantum dirimit p. 153. III. ex copula licita vel illicita, ibid. — Affinitas Matrimonium superveniens p. 154. IV. Affinitas ex Matrimonio invalido orta. §. 40. p. 155. quaest. 3. poenae in contraheutes cum hoc impedimento p. 156. quaest. 4. Affinitas cum infidelibus contracta p. 156. quaest. 5. Dispensatio in affinitatis gradibus p. 211. §. 53. I. Casus XXX—XXXV. p. 348—358.

Amentes, §. 26. not. 3. Casus XV. p. 315.

Angustia loci, locorum. §. 52. IV. 4. a. b. p. 208.

Angustia temporis, causa dispensationis de promulgatione bannorum §. 48. III. 5. p. 191.

Annullatio matrimonii, §. 66. p. 254.

Annulus nuptialis, §. 71. not. 2. p. 271.

Arrogatio, vide Adoptio.

Assistentia parochi in matrimoniis mixtis, conditiones p. 75. §. 23. V. modus p. 285. §. 75. I. not. 1. passiva p. 285. II. Si nuptiae antea vel postea ritu protestantico ineantur, quid faciendum p. 285. §. 75. II. in matrimonio Acatholicorum ex utraque parte §. 75. quaest. p. 286. in matrimonio absque praemissa confessione p. 261. §. 69. Cui parocho competit assistentia p. 176. §. 45. I. IV. p. 179. an suspensus, excommunicatus, intrusus possit assistere §. 45. VI. p. 180.

B.

Bannorum publicationes, v. denuntiationes.

Baptismus, si dubius §. 36. quaest. 1. et 2. p. 133. Casus XXVI. p. 339. parentes prolem baptizantes p. 146. §. 38. II. not. 3. illegitimam prolem not. 4. v. Cognatio spiritualis.
Benedictio nuptialis p. 273. §. 72. quibus dare licet. I. II. Quomodo III. p. 274. Origo IV. p. 275. Apud Graecos IV. p. 276. non potest matrimonio consummato suppleri §. 19. III. not. 1. p. 59. benedictio brevis ex Rituali §. 6. III. not. 3. p. 19.
Bona matrimonii §. 8. p. 21. §. 28. quaest. 2. et 3. p. 93. et 95.

C.

Catechismus, seu instructio in doctrina christiana requisita p. 259. §. 68. I. cum notis. instructio de usu matrimonii p. 260. II cum not 3. et 1. p. 261.
Catholici, quomodo matrimonium possint inter haereticos vel infideles, ubi nullus est parochus §. 22. not. 2. p. 68. §. 44. V. p. 175. Casus XLIII. p. 370. nunquam licite coram praedicante haeretico §. 22. not. 2.
Causae, matrimoniales p. 185. §. 47. introd. causae dispensationis, vide dispensatio.
Cautelae, in matrimoniis cum haereticis, et infidelibus p. 75. §. 23. V. §. 53. VI. p. 216. §. 75. II. Qua conditione Catholici, qui absque venia Ecclesiae mixta matrimonia contraxerunt, reconcilientur §. 75. III. p. 286. et qua conditione, qui taliter contraxerunt cum infidelibus §. 75. n. 1. p. 286.
Clandestinitas, p. 67. §. 22. ubi decretum Conc. Trid. non viget p. 169. §. 44. ubi viget. revalidatio ex hoc defectu p. 238. §. 62. In quo differt hoc impedimentum a ceteris p. 171. §. 44. II. an etiam obligat Acatholicos baptizatos, ubi decretum C. T. viget §. 11. V. p. 33. cum notis. Casus XLIII. p. 370. XLIV. p. 373. — Affinitas ex matrimonio invalido ob clandestinitatem §. 40. quaest. 4. not. 1. p. 156.
Cognatio naturalis seu *Consanguinitas*, notio hujus impedimenti p. 134. §. 37. I. III. p. 137. stipes, linea, gradus I. canonica computatio II. ex quo jure IV. V. multiplex III. n. 1. p. 138. poena in contrahentes cum hoc impedimento III. 37. quaest. 2. Nil differt, utrum sit legitima, an illegitima, ex patre tantum, an ex eadem matre simul, et vice versa III. p. 137. Regulae ad discernendos gradus II. Disciplina vetus et nova VI. Rationes, quibus innititur IV. Dispensatio desuper p. 205. §. 52. III. §. 56. III. p. 223.
Cognatio spiritualis, definitio, origo, extensio paternitas, compaternitas p. 145. §. 38. dispensatio desuper §. 53. V. p. 215. §. 56. III. 3. p. 224.
Cognatio legalis, notio p. 148. §. 39. an etiam in his locis possit contrahi, ibidem. not. 1. p. 150.
Cohabitatio, §. 65. III. IV. p. 251. et 252. num matrimonium metu extortum fiat validum per cohabitationem. Casus XV. p. 307.
Commissio assistentiae in celebratione matrimonii §. 45. V. p. 179.

delegatus ad universitatem causarum potest subdelegare, ibidem; quomodo extinguitur delegatio, ibidem. Commissio dispensationis. §. 49. III. p. 197. delegatio ad universitatem causarum, ibidem; delegatio Vicarii Generalis. Vicarii Capitularis seu Administratoris dioeceseos, ibid. Commissio a Dataria §. 57. I. p. 225.

Compaternitas, v. cognatio spiritualis.

Conditio servilis p. 88. §. 27. Origo I. ratio hujus impedimenti, n. 3. p. 90. in hisce regionibus, not. 2. p. 88. not. 2. p. 90.

Conditiones, p. 90. §. 28. de praeterito et praesenti II. conditiones honestae, III. p. 91. substantiae matrimonii repugnantes IV. impossibiles et turpes V. p. 92. an convalescat matrimonium taliter initum subsecuta copula. quaest. 6. conditio servandae castitatis. quaest. 2. p. 93. conditio educandi liberos in haeresi seu infidelitate, quaest. 3. cum notis p. 95.

Confessarius, in audienda confessione ante matrimonium p. 257. §. 67. I. 68. II. not. 1. Quomodo agendum, si in confessione aliquod impedimentum detegat, §. 63. II. p. 240. §. 64. quaest. I. p. 246. Cas. LVI. p. 390. et LI. p. 380. quomodo agendum in dispensatione impedimentorum impedientium, §. 48. V. p. 193. dirimentium p. 230. §. 59. I. II. III.

Confessio, nuptiis praemittenda p. 261. §. 69. monet Conc. Trident. I. inquantum matrimonium est Sacramentum *vivorum*. II. p. 262. cum magna prudentia agendum. III. IV. Aliquot dies ante matrimonii celebrationem. §. 69. V. p. 265.

Confirmatio, v. cognatio spiritualis.

Conscientiae matrimonium, quid sit, p. 283. §. 74. II. quomodo in talibus procedendum. ibid.

Consuetudo, num inducat impedimentum, p. 29. §. 9. quaest. 3. an potestatem dispensandi, p. 189. §. 48. I. §. 49. I. p. 194.

Copula, num pertinet ad essentiam matrimonii, p. 2. §. 1. II. §. 2. II. p. 4. effectus copulae post sponsalia, v. matrimonium praesumptum, effectus copulae quoad dispensationem, p. 205. §. 52. III. p. 218. §. 54. III. p. 222. §. 56. I. 6. p. 223. II. 4. p. 226. §. 57. II. cum not. 4. §. 59. II. 4. p. 232. Causa dispensationis, §. 52. III. 1. p. 206.

Crimen, p. 160. §. 42. Origo hujus impedimenti, quadruplex; num incurritur cum ignorantia juris quaest. 1. p. 165. an infideles obliget quaest. 2. p. 165. dispensatio desuper, §. 53. IV. p. 215. Casus XXXIX. XL. XLI. p. 363. 367. et 368.

Cultus disparitas, v. Disparitas Cultus.

D.

Dataria, p. 219. §. 55. I. not. 4. facultas dispensandi, II. p. 221. modus dispensationem petendi a Dataria, §. 56. p. 222. modus exequendi §. 57. p. 225.

Debitum conjugale, in matrimonio dubio, p. 38. §. 12.

Defensor matrimonii, p. 255. §. 66. II.
Delegatio, v. Commissio.
Denuntiationes bannorum, p. 60. §. 21. origo II. vis obligationis III. p. 62. modus IV. V. p. 63. not. 2. VI. p. 64. in mixtis matrimoniis VII. p. 65. not. 1. cf. §. 70. p. 266. Litterae testimoniales de factis denuntiationibus, §. 70. III. p. 268. append. II. p. 405.
Denuntiatio impedimentorum p. 267. §. 70. II.
Disparitas Cultus p. 131. §. 36. I. Origo II. dispensatio desuper III. p. 132. in his regionibus bene notanda, ibidem. §. 53. VI. p. 216. §. 75. II. p. 285.
Dispensatio, definitio, p. 185. §. 47. I. Annot. histor. II. ibid. Concil. Trident. de dispensationibus III. p. 186. dispensatio impedimentorum impedientium p. 189. §. 48. dirimentium, p. 194. §. 49. Quando Episcopi possunt dispensare in occultis *ordinaria* potestate. §. 49. II. p. 195. dispensatio ex quasi-privilegio III. p. 197. Causae dispensationis in genere p. 201. §. 51. in specie p. 203. §. 52. pro singulis impedimentis p. 205. §. 52. III. §. 53. p. 211. de triplici forma dispensationis §. 52. III. p. 205; subreptitia, obreptitia, p. 202, §. 51. III. p. 216, §. 54. I. cessatio dispensationis p. 216. §. 54. ob errorem, copulam etc. §. 54, ibid. dispensatio in foro externo, et interno p. 219. §. 55. Modus petendi dispensationem p. 222, §. 56. exequendi p. 225, 227, 230, §. 57, 58, 59. modus procurandi, concedendi et exequendi in his provinciis Americanis p. 233, §. 60. dispensatio in radice p. 242, §. 64. ratio I. conditiones II. p. 244, modus exequendi talem dispensationem III. p. 245.
Divortium, in quantum licet. p. 249, §. 65. I. causae II. separatio temporalis III. p. 251, perpetua IV. p. 252, probationes requisitae §. 65. quaest. 1. p. 253, v. *adulterium*.
Dolus, p. 82, §. 26. II. not. 1, quoad sponsalia p. 45, §. 15. 3.
Domicilium. p. 176, §. 45. verum II. p. 277; *quasidomicilium* p. 178, III. duo domicilia §. 45. not. 4. p. 179, quoad denuntiationes bannorum. §. 21. V. not. 1. p. 63; quoad provincias, ubi decretum Conc. Trid. non viget. §. 22. quaest. 1. p. 69. §. 44. III. p. 172.
Dubium, de impedimentis, post matrimonium p. 38 §. 12. I. II. III. IV. ante matrimonium p. 39. §. 12. II. III. p. 257, §. 67. I. II. p. 59. §. 20. II. 1. p. 268 §. 70. III. p. 346 Casus XXIX., XXX. p. 348.

E.

Ecclesia sola habet potestatem condendi impedimenta pro fidelibus. §. 9. II. III. p. 25, 26. quaest. 1. p. 27.
Episcopus, judex matrimonii §. 66. II. parochus proprius tota dioecesi. §. 45. 1. 2. ejus potestas dispensandi de impedimentis §. 48. I. II. not. 7. ibid. IV. 7. §. 49. II. an possit dispensare, quatenus est delegatus, aliter, quam in forma pauperum §. 52. quaest. 1. quomodo possit

facultatem delegatorum dispensandi aliis delegare §. 49. III.

Epistola, an matrimonium possit contrahi per epistolam §. 5. quaest.

Error, quoad sponsalia. p. 45. §. 15. 3. §. 15. quaest. 6. p. 48. quoad matrimonium p. 82. §. 26; antecedens vel concomitans §. 26. II. p. 82. accidentalis III. p. 83 in personam redundans IV. p. 84. probari debet V. p. 86. error de existentia impedimenti. §. 26. quaest. p. 87. Casus VIII. p. 296. error sententiae judicialis §. 30. not. 1. p. 105. §. 66. II. p. 255.

Eunuchi, an possint contrahere matrimonium, p. 104, §. 30. II.

Excommunicatio, an parochus excommunicatus possit assistere matrimonio p. 180, §. 45. VI. an possit parochus matrimonio excommunicati assistere §. 69. not. 3 p. 264. Excommunicatio in incestuosos v. Incestus.

F.

Fama, de morte conjugis. §. 32. quaest. 6. p. 119. de impedimentis aliis p. 227, §. 58. §. 20. 1. p. 59.

Feriatum tempus v. tempus vetitum.

Fictio, matrimonii, §. 2. quaest. 1. p. 6. sponsalium §. 15. quaest. 1. p. 46.

Filius, *Filia*, — de consensu parentum ad matrimonium p. 76. §. 24. an ligentur per sponsalia pro ipsis inita. §. 24. n. 2. p. 77.

Fornicatio, quatenus dissolvit sponsalia §. 17. II. p. 52.

G.

Gradus consanguinitatis p. 134, §. 37. I. computatio canonica graduum p. 135. II. affinitatis p. 150. §. 40. I.

Gratia Sacramenti. p. 9. §. 4. I. II. quaest. 4. p. 13.

H.

Haeresis, causa divortii. p. 250. §. 65. II. 3.

Haeretici, an eorum matrimonio sint Sacramenta. §. 7. quaest. 2. p. 21. Casus IX. p. 299, vide impedim. mixtae religionis; an subjecti sint impedimentis ecclesiasticis §. 11. IV. p. 32. an etiam impedimento clandestinitatis §. 11. V. an parochus possit assistere matrimonio haereticorum ex utraque parte §. 75. quaest. 1. p. 286. modus assistendi matrimoniis cum haereticis §. 75. I. p. 284, an matrimonia cum haereticis sint promulganda §. 21. VII. not. 1. pag. 66.

Homicidium, vide impedimentum criminis.

Honestas publica, p. 157. §. 41. notio, II. p. 158, quid Conc. Trid. de hoc impedimento statuerit, III. p. 158. requisita ad illud incurrendum IV. p. 159. an oriatur ex matrimonio invalido? IV. dispensatio desuper. §. 53. VII. p. 216. §. 56. III. 4. p. 225.

I.

Ignorantia — non excusat in impedimentis dirimentibus p. 81, §. 25. III. IV. 5. p. 82. excusat a poena contra incestuosos §. 40. quaest. 4. p. 156.

Impedimentum, origo impedimentorum. §. 9. I. p. 25. potestas statuendi impedimenta II. p. 25. IV.

p. 27, poenalia impedimenta §. 9. quaest. 2. p. 28. not. 3. divisio et numerus impedimentorum p. 29, §. 10. subjecti impedimentis §. 11. p. 311. an etiam haeretici et infideles; impedimenta dubia p. 38. §. 12. Impedimenta impedientia p. 43 §. 13. Impedimenta dirimentia p. 79. §. 25. Impedimentum publicum et occultum. p. 227. §. 58. I. formaliter, materialiter occultum I. 4. p. 228. Inquisitio in impedimenta §. 67. p. 257.

Impotentia, p. 103. §. 30. steriles, senes, not. 2. Eunuchi II. p. 104. in dubio IV. p. 105, an possint cohabitare ut frater et soror not. 4. in casu sententiae erroneae not. 1. Casus XIII. p. 311.

Impuberes, vid. aetas.

Incestus, cum consanguinea uxoris privat jure petendi debitum. p. 154. §. 40. IV. nonnisi voluntarie commissus, *ibidem*. etiam ignorantia juris excusat. *ibid*. Episcopus potest dispensare, *ibid*. poena in matrimonium incestuosum. §. 40. quaest. 4. p. 156.

Infidelis, an pro infidelibus possit statui impedimentum matrimonii a magistratu civili §. 9. quaest. 1. an matrimonium infidelium sit indissolubile. §. 32. quaest. 1. p. 110. an dissolubile sit matrimonium fidelis cum infideli per dispensationem initum §. 32. quaest. 5. p. 118, quomodo dissolvatur matrimonium in infidelitate contractum per conversionem partis unius §. 32. quaest. 4. p. 216. num contrahatur affinitas ab infidelibus §. 40. quaest. 5. p. 156. crimen. 42. quaest. 2. p. 165, an matrimonium in infidelitate contractum dissolvatur per ingressum in religionem partis conversae §. 32. not. 2. v. *interpellatio*.

Infirmitas, causa dissolvendi sponsalia p. 53. §. 17. III. causa divortii §. 65. II. 5. p. 250.

Inimicitiae, in sponsalibus. §. 17. III. p. 53. causa dispensationis §. 52. IV. p. 207.

Indissolubilitas matrimonii. de quo jure §. 32. quaest. 1. p. 110, matrimonii rati. §. 32. II. III. p. 107. matrimonii consummati inter fideles. §. 32. II. p. 107, inter infideles III. 108. an indissolubilitas oriatur vi Sacramenti §. 32. quaest. 2. p. 113. quomodo solvatur matrimonium ratum per professionem religiosam, quaest. 3. p. 114. et per dispensationem Apostolicam. *ibid*. in casu conversionis unius partis, quaest. 4. p. 116, quomodo constare debeat de obitu conjugis. quaest. 6. p. 119.

Interdictum, v. Vetitum.

Interpellatio, partis infidelis in casu conversionis. §. 32. quaest. 4. 2. p. 116. an haec interpretatio possit omitti, ibid. not. 2.

Iudex, causae matrimonialis est Episcopus, in prima Instantia. §. 66. II. p. 225. in secunda Metropolita, in tertia Sedes Apostolica.

L.

Liber matrimoniorum, p. 282. §. 74. liber pro matrimoniis conscientiae. *ibid*.

Ligamen, v. indissolubilitas.

Litterae, dispensationis, quomodo exequendae, append. II. III. 1 — 7. p. 406 — 411. Litterae supplicatoriae. §. 56. p. 222, §. 58. p. 227, §. 60. p. 233. quomodo exarandae §. 57. p. 225, 59. 230, 60. 233, append. II. I. p. 396. Litterae matrimoniales append. II. II. p. 405. Litterae amatoriae in divortio §. 65. quaest. 1. p. 253.

M.

Matrimonium, definitio, divisio. §. 1. p. 1. essentia §. 2. p. 3. institutio §. 3. p. 7. Sacramentum. §. 4. p. 9. an duplex Sacramentum. §. 4. quaest. 1. p. 11. bonum triplex matrimonii §. 8. p. 21. vinculum matrimonii oritur ex consensu. §. 2. p. 3.

Metus, absolutus, conditionatus. §. 29. I. p. 95. impedimentum metus conditionati est probabiliter de jure positivo. II. p. 96. metus levis, gravis III. p. 97, cadens in virum constantem IV. 98. ad consensum in matrimonium extorquendum. V. p. 100. Metus juste, injuste incussus, §. 29. quaest. 1. p. 101, metus reverentialis, quaest. 2. p. 101. quomodo metus sit probandus, quaest. 3. p. 102.

Minister Sacramenti, an contrahentes p. 17. §. 6. I. II. pro praxi. III. p. 18.

Mixtae religionis impedimentum, p. 71. §. 23. fons hujus impedimenti. I. p. 71. causae contra talia matrimonia II. p. 73. an dispensari valeat de illa IV. p. 74. not. 1. p. 75. sub quibus cautelis. V. p. 75. potestas dispensandi §. 48. II. 4. p. 191. vide *Assistentia, de nuntio bannorum.*

Modus contractui matrimoniali appositus. §. 28. IV. not. 3. p. 92.

Monialis seu virgo Deo solemniter consecrata v. Votum solemne.

Mors conjugis, quomodo debeat probari. §. 32. quaest. 6. p. 119.

Missa pro sponsis, §. 73. p. 277, parochus monere debet, ut sponsi Missae intersint. I. privilegia hujus Missae. II. p. 273 et seq. commemoratio hujus Missae. III.

N.

Noviciatus dissolvit ex una parte sponsalia §. 17. II. 4. p. 52, non dissolvit matrimonium ratum. §. 35. IV. p. 130.

Nuptiae §. 1. not. 1. p. 1 secundae nuptiae, quatenus sint benedicendae, v. *Benedictio*, quomodo se gerere debeat parochus, quando ab ipso petatur, ut assistat secundis nuptiis §. 32. quaest. 7. p. 120, de secundis nuptiis §. 72. not. 2. p. 274.

O.

Ordo, dissolvit sponsalia, §. 17. I. II. p. 52. non tamen matrimonium ratum §. 34. III. p. 124. ordo sub metu gravi receptus non est impedimentum dirimens, § 34. IV. p. 126, obligatio mulieris, qua consentiente maritus ss. Ordines suscipit. III. not. 1. p. 125. causae justae desuper dispensandi. §. 34. V. p. 126. §. 53. II. p. 214; origo hujus impedimenti. 34. I. p. 122.

Oscula, an propter illa possit institui divortium §. 65. quaest. 1.

p. 253. inter sponsos. Casus LI. p. 380.

P.

Paranymphae. §. 71. not. 1. p. 270.

Parentes, quatenus possunt contrahere sponsalia pro filiis, §. 15. quaest. 4. p. 47, parentum consensus ad matrimonium filiorum. §. 24. I. II. p. 76 cum notis.

Parochus, poena in parochos, qui omittunt denuntiationes, §. 21. II. III. p. 60, 62. a quo parocho sunt faciendae. §. 21. IV. V. p. 63. parochus proprius. §. 45. I. p. 176, an possit delegare facultatem assistendi V. p. 179, parochus excommunicatus, metu coactus, contradicens etc. VI. p. 180. quomodo agere debeat, si detegat aliquod impedimentum §. 70. III. p. 268. si in confessione, §. 70. not. 2. p. 268. quomodo agere debeat in casu dispensationis §. 60. p. 233, an possit interdicere matrimonium. §. 20. II. p. 59.

Paternitas, v. *Cognatio* spiritualis.

Peccata inter sponsos. Casus LI. p. 380.

Poena ob omissas denuntiationes. §. 21. II. III. p. 60, 61. poena contrahentium incestuosas nuptias et sacrilegas, v. *Excommunicatio*, *Ordo*, *Votum solemne.*

S. Poenitentiaria Romana, origo. §. 55. not. 5. p. 219, in quibus dispensat. §. 55. II. p. 221, quando revalidat dispensationem Datariae. III. p. 222. modus petendi dispensationem a s. poenitentiaria, seu ab Episcopo in occultis impedimentis. §. 58. p. 227, modus exequendi dispensationem in occultis impedimentis. §. 59. p. 230.

Papa, habet plenam potestatem dispensandi in impedimentis ecclesiasticis. §. 49. I. p. 194, etiam de matrimonio rato §. 32. II. not. 1. p. 103, statuendi impedimenta. §. 9. IV. p. 27, vetandi matrimonia cum clausula irritante in casu particulari. §. 46. p. 182.

Principes, quid de jure principum statuendi impedimenta pro fidelibus §. 9. quaest. 1. p. 27. pro infidelibus ibid. not. 1. p. 28.

Procurator, an matrimonium per procuratorem sit Sacramentum. §. 5. quaest. 1. p. 17, procurator dispensationis §. 59. I. p. 230.

Professio, quid requiratur, ut dirimat matrimonium contrahendum. §. 35. II. p. 128. matrimonium ratum, jam contractum. §. 32. II. p. 107. an dirimat matrimonium in infidelitate contractum et consummatum. §. 32. not. 2. p. 109.

Publicatio matrimonii v. *denuntiatio.*

R.

Raptus, p. 166. §. 43. origo hujus impedimenti. I. ibid. ejus expositio II. p. 167. in favorem mulieris. *ibid.* quando cessat. III. 168, poena in raptorem. *ibid.* de eo non dispensatur. §. 50. I. p. 199.

Religio approbata. §. 35. II. p. 129. Casus LVIII. p. 393.

Repudii libellus abrogatus etiam quoad Judaeos. Casus XXIII. p. 334.

Revalidatio, matrimonii invalidi ob defectum consensus §. 61. I. p. 236, an consensus debeat necessario re-

novari ex utraque parte. II. III. p. 236, 237. an requiratur praesentia parochi, IV. ibid. ob defectum formae praescriptae §. 62. I. II. p. 238, ob inhabilitatem partium. §. 63. p. 239, modo ordinario I. ibid. quomodo procedendum, si detegatur aliquod matrimonium invalidum 4. §. 63. II. p. 240, §. 64. 1. p. 243. per dispensationem in radice. §. 64. p. 242, conditiones hujus dispensationis. II. p. 244, modus exequendi ejusmodi dispensationem. III. p. 245.

S.

Sacerdos, an sit minister hujus Sacramenti v. *minister*.

Sacramentum, matrimonium est Sacramentum in duplici sensu. §. 3. III. p. 8, §. 4. I. p. 9, duplex bonum Sacramenti. §. 8. IV. p. 24, num indissolubilitas eveniat ex Sacramento. §. 32. quaest. 2. p. 113, an sit Sacramentum in *fieri*, vel in *facto esse*. §. 4. III. p. 11. an matrimonium a fidelibus contractum sit duplex sacramentum §. 4. quaest. 1. p. 11. an matrimonium a fideli contractum cum infideli per dispensationem. quaest. 2. p. 12, an matrimonium in infidelitate contractum per subsequentem baptismum. quaest. 3. p. 12. Gratia hujus Sacramenti. quaest. 4. p. 13, materia et forma §. 5. p. 14. minister hujus Sacramenti. §. 6. p. 17 Subjectum hujus Sacramenti. §. 7. p. 19. Sacramentum a contractu est inseparabile, qu. 1. p. 19. matrimonia haereticorum. Casus IX. p. 299.

Sacrilegium, comittunt, qui contrahunt in statu peccati mortalis. §. 7. II. p. 19. §. 69. p. 261.

Saevitia, causa divortii. §. 65. III. n. 6. p. 251.

Secundae nuptiae, v. nuptiae.

Servi, conditio servilis, p. 88. §. 27. Quid tenendum de conjugiis servorum, non baptizatorum in hisce regionibus. *ibid.*

Societas Jesu, votum simplex dirimit matrimonium contrahendum, non autem ratum, jam contractum. §. 18. not. 2. p. 54.

Sponsus, *sponsa*, *sponsalia*, Etymologia vocis §. 14. n. 1. ratio hujus impedimenti. II. III. p. 44, 45, definitio sponsalium. §. 15. p. 45, ficta sponsalia, quaest. 1, 2, p. 46. 47. de modo exprimendi promissionem sponsalem. qu. 4. p. 47. clandestina. quaest. 5. p. 48. dubia quaest. 6. p. 48. effectus spons. §. 16. p. 49. matrimonium praesumptum. §. 16. II. p. 50. De dissolutione sponsalium. §. 17. p. 52. sub conditione obtinendae dispensationis §. 17. quaest. 3. p. 54, sponsus et sponsa in celebratione matrimonii §. 71. not. 2. Coronatio sponsorum. §. 72. IV. p. 275. Missa pro sponsis. §. 73. p. 277.

Steriles, §. 30. not. 2. p. 103.

Supplicatio dispensationis v. dispensatio et appendix II. I.

T.

Taciturnitas in sponsalibus. §. 15. quaest. 4. p. 47.

Tempus Vetitum, feriatum, sacratum,

origo, §. 19. p. 57, quatenus matrimonia hoc tempore vetantur §. 19. II. p. 57. Vetus, nova disciplina. ibid. quomodo hoc tempore nuptiae sunt ineundae. III. p. 58.

Testes, ubi decretum Concil. Trid. non est promulgatum. §. 22. IV. p. 69 cum notis, ubi est promulgatum. §. 45. VII. p. 180. Testes de morte conjugis §: 32. quaest. 6. p. 119, testes ad probandum matrimonium metu extortum. §. 29. quaest. 3. p. 102.

Turpis conditio, v. *conditio.*

U.

Uxoricidium, v. *crimen.*

Unio prolium, v. Adoptio, sub finem.

V.

Vagi — qui sunt vagi. §. 45. quaest. 2. I. p. 181. Conc. Trid. de vagis, *ibid.* Quomodo procedendum cum illis, *ibid.* not. 2.

Verba, an sint necessaria ad formam Sacramenti. §. 2. III. 6. p. 5, §. 5. II. p. 15.

Vetitum Ecclesiae, particulare. §. 20. I. p. 59, parochi II. Episcopi, Papae III. p. 60. Vetitum generale de publicatione bannorum. §. 21. p. 60. clandestinitas §. 22. p. 67. mixtae religionis. §. 23. p. 71, v. haeretici, de consensu parentum §. 24. p. 76.

Vicarius Generalis, delegatus ad dispensationem a Dataria, §. 57. I. not. 2. p. 225, ab Episcopo §. 49. III. not. 4. p. 198. Vicarius capitularis, *ibidem*. Vicarius est parochus proprius §. 45. I. p. 176.

Vidua, non benedicitur §. 72. II. p. 273, non dicitur Missa pro sponsis §. 73. II. p. 277.

Vis §. 29. I. p. 95, absoluta, conditionata, v. metus.

Votum, simplex §. 18. I. p. 54, quadruplex II. ibid. cum vario effectu III. p. 55, post matrimonium IV. p. 56, causae dispensationis de hoc imped. §. 48. IV. p. 192, modus petendi et exequendi dispensationem V. p. 193. *Votum solemne*, origo. §. 35. I. p. 127, conditiones II. p. 128, effectus ante et post matrimonium III. IV. p. 129, 130, votum annexum s. Ordinibus §. 34 not. 3. p. 124, dispensatio §. 50. III. p. 200, causae §. 53. II. p. 214, matrimonium cum voto castitatis. §. 28. quaest. 2. not. 2, p. 94.

Addenda ad §. 21. VII. et §. 70. I. ad fin.

In editione altera Excerpt. ex Rit. Rom. approbata a R̃mo. Archiepiscopo Baltimorensi sic legitur:

„In ineundis istius modi (mixtis) nuptiis, Ecclesia ea generatim omittenda indixit, per quae Catholicorum matrimonia decorantur, inclusis etiam *proclamationibus*. Quod autem, ex occasione decreti tertii Concilii Provincialis Baltimorensis VI., a S. Congregatione P. F. rescriptum fuisse legitur, nempe ut fiant proclamationes *etiam quando agitur de matrimoniis mixtis*, id in epistolam amanuensis incuria, mendose irrepsisse declaravit ejusdem S. Congreg. Secretarius. — Unde patet, proclamationes contra ea, quae supra diximus, in hujusmodi matrimoniis omnino esse omittendas.“

Addenda ad §. 36. quæst. 1. et 2.

Sanctissimus, in Audientia habita die 20. Decembr. 1837, audita relatione dubii, utrum scilicet, in praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae matrimonium cum parte Catholica a Sede Apostolica dispensata inire cupienti, conferri debeat iterum baptisma sub conditione, dixit: „Detur Decretum latum die 17. Septembris 1830, ut sequitur: Quaesitum erat, an Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Cui instantiae responsum fuit:

1) Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.
2) Quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum esse baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.
3) Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

Hisque omnibus Sanctissimus superaddi mandavit: In tertio casu praefati decreti respiciente nullitatem certam baptismi in parte haeretica, recurratur in casibus particularibus.

Errata,

quae lector benevolus auctori ob nimiam distantiam loci, ubi opusculum typis mandatum est, indulgebit.

In Praefatione p. IV. l. 2 et 3 ab inf. l. tum pr. tam.
" " p. V. l. 14. l. permultas pr. per multas.
" " p. V. l. 17. l. disserui pr. discerni.

pag. lin.
1. 5. ab infr. l. velato pr. veluto.
2. 14. a sup. l. perpetuam pr. perpetuum.
3. 14. a sup. l. hinc pr. hunc.
8. 16. a sup. l. enim pr. autem.
8. 10. a sup. l. matrimonia pr. matrimonio.
10. 14. a sup. post illius adde conjuges.
10. 5. ab infr. l. rei pr. nec.
11. 2. a sup. l. largius pr. larguis.
13. 4. a sup. l. perfectus pr. perfectas.
13. 14. a sup. l. fieri pr. fit.
13. 9. ab infr. l. ipse pr. ipsi.
14. 7. a sup. l. mutuo pr. mutuis.
17. 10. a sup. l. contracto pr. contracti.
24. 10. ab infr. l. manuductio pr. manducatio.
31. 4. a sup. l. reddita pr. redditur.
34. 16. a sup. l. avertenda pr. advertenda.
35. 11. a sup. l. esse pr. esset.
35. 12. a sup. l. probatas pr. probatus.
35. 5. ab infr. l. mixtis pr. mentis.
37. 10. ab infr. l. Anglicas pr. Angelicas.
45. 3. a sup. l. praeparare pr. praeparari.
46. 16. ab infr. l. sponsalium pr. sponsaliam.
55. 14. ab infr. l. provenienti pr. proveniente.
61. 1. a sup. l. pro pr. per.
61. 14. ab infr. l. prorogandam pr. proroganda.
63. 6. a sup. l. aut ab alio pr. aut alio.
64. 9. a sup. l. ibique pr. ubique.
65. 12. a sup. l. omissae pr. omissa.
68. 15. a sup. l. sint pr. esse.
69. 7. ab infr. l. quia si alter pr. quin alterum.
71. 16. a sup. l. extrinseci pr. intrinseci.
75. 5. a sup. l. contrahentibus, abesse, tunc tollit per dispensationem juris eccl. obligationem, quae . . .
76. 10. a sup. l. impedimentum pr. impedimens.

pag. lin.
78. 5. ab inf. adde ne post confessarios.
81. 13. ab infr. l. applicatis pr. applicatio.
94. 6. ab infr. l. quia pr. quin.
95. 1. a sup. l. sit pr. est.
95. 10. a sup. l. matrimonia pr. matrimonii.
95. 13. a sup. l. non pr. nisi.
98. 16. ab inf. l. minoris pr. majoris.
107. 5. a sup. l. dixerunt pr. deserunt.
107. 11. a sup. l. impedimentum pr. impedimenti.
121. 1. a sup. l. ejusque pr. quoque.
137. 16. a sup. l. patre pr. parte.
140. 4. a sup. l. rationum pr. rationes.
154. 9. et 13. a sup. l. incestum pr. incertum.
168. 15. ab infr. l. reddita pr. reddito.
172. 14. ab infr. l. afficere pr. afficit.
182. 12. a sup. l. debere pr. debet.
190. 10. a sup. l. 1834 pr. 1814.
191. 8. a sup. l. bannorum pr. bonorum.
195. 16. a sup. l. perseveraverit pr. praeseveravit.
198. 12. ab infr. l. subdelegari pr. subdelegare.
216. 7. ab infr. l. nam si pr. nam.
221. 6. a sup. l. poenitentiam pr. sententiam.
261. 17. ab infr. l. affectu pr. effectu.
263. 5. a sup. adde moneat.
264. 13. a sup. l. avertendo pr. advertendo.
276. §. 72. IV. ad finem corrigatur juxta §. 73. IV. sub finem.
301. 8. a sup. l. nisi pr. si.
301. 12. ab infr. l. num pr. non.
350. in schemata consanguinitatis „Angelo" non est nectendus cum stipite communi.
357. 19. l. nam pr. num.
358. 16. l. recursum pr. recussum.
366. 4. ab inf. l. occisione pr. occisionem.
368. 1. l. obeunt pr. obeant.
369. 6. l. Amicus (nomen pr.) pr. amicus.
380. 11. l. quodsi pr. quod ei.
391. 10. l. ipsum pr. ipsam.
396. 13. l. sese pr. esse.
414. Juxta „Addenda" corrigantur §. 21. VII. cum not. §. 36. quaest. 1. 2. et §. 70. I. sub finem

